RITUALE

ROMANO-SERAPHICUM

ORDINIS

FRATRUM MINORUM

EDITIO ALTERA

1941. VIII.

TYPIS SOCIETATIS S. JOANNIS EVANGELISTÆ

DESCLÉE ET SOCII

S. Sedis Apostolicæ et Sacrorum Rituum Congregationis Typographi

PARISIIS, TORNACI, ROMÆ

1931

FR. BONAVENTURA MARRANI

Provinciæ Seraphicæ a S. Clara alumnus

Ex-Procurator Generalis

Totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis

et humilis in Domino Servus

DECRETUM

Quum prima editio Ritualis Romano-Seraphici a Sacra Rituum Congregatione Decreto diei 3 Decembris 1909 approbati jam ab aliquot annis totaliter exhausta sit, de consilio et consensu Rev.mi Definitorii nostri Generalis novam ejusdem editionem præparandam curavimus. In hac altera editione imprimis illa mutata atque emendata sunt, quæ necessaria evaserunt, ut Rituale Ordinis nostri novissimæ editioni typicæ Ritualis Romani et recentioribus S. Sedis Apostolicæ Decretis omnino correspondeat. Præterea juxta vota a pluribus Provinciis Nobis manifestata nonnullæ additiones et variationes in textu peractæ sunt, impetrata prius ad hoc debita licentia S. Sedis. Hac ratione etiam notæ cantus Gregoriani ad illos textus additæ sunt, qui in solemnibus functionibus cantari solent; forma quoque exterior ipsius Ritualis commodior selecta est.

Postquam igitur hæc altera editio Ritualis Romano-Seraphici debite revisa, typis impressa atque a Sacra Rituum Congregatione denuo approbata est, ipsam per præsens Decretum publicamus, atque omnibus Fratribus et Monialibus jurisdictioni Nostræ subjectis mandamus ut in illis sacris functionibus, quæ in Rituali continentur, unice hoc Rituale Ordinis nostri adhibeant atque in omnibus et quoad omnia fideliter observent, memores præscripti Constitutionum nostrarum Generalium art. 157 præcipientium, *ut sacræ functiones omnino peragantur ad præscriptum nostri... Ritualis; neque pietatis etiam intuitu novum aliquid introduci permittatur.*

Quoad Moniales autem Secundi et Tertii Ordinis jurisdictioni Ordinariorum loci subjectas, necnon Fratres et Sorores quamplurium Congregationum religiosarum Franciscalium, quæ Ordini nostro legitime jam aggregatæ sunt vel in posterum aggregabuntur, illam dispositionem libenter repetimus, quam Rev.mus P. Dionysius Schuler piæ memoriæ, Prædecessor Noster, occasione primæ editionis hujus Ritualis in suo Decreto diei 8 Decembris 1909 exposuit. Propterea omnibus et singulis præfatis Sodalibus magnæ Familiæ Seraphicæ non solum ad mentem Decretorum S. Sedis Apostolicæ adoptionem et usum præsentis Ritualis Romano-Seraphici ultro permittimus, sed eisdem etiam in Domino commendamus, ut hoc Rituali libenter utantur in illis præsertim functionibus, quæ Ordini nostro propriæ sunt vel ad vitam religiosam specialiter pertinent.

Demum votum illud, quod S. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap. XV, v. 5 et 6 expresserat, etiam ad concordem usum et observantiam sacrorum Rituum traducentes, cum ipso Doctore Gentium enixe adprecamur : *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.*

Datum Romæ, e Collegio S. Antonii, in festo Ascensionis D. N. J. Christi, die 14 mensis Maji 1931.

F. Bonaventura Marrani O. F. M.

Minister Generalis

In universam nostram excogitandi scribendique rhythmi rationem omnia jura vindicabimus.

Desclée et Socii, Tornaci (Belg.)

DECRETA SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS

APPROBATIONIS ET CONCESSIONIS

PRÆSENTIS RITUALIS ROMANO-SERAPHICI

APPROBATIO PRIORIS EDITIONIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Præsens Rituale Romano-Seraphicum, rite revisum atque emendatum, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributarum, adprobavit, atque ab omnibus ritu, quem vocant, Romano-Seraphico legitime utentibus, adhibendum permisit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 Decembris 1909.

Fr. S. Card. MARTINELLI, S. R. C. Præfectus.

L. † S. Ph. Can. DI FAVA, S. R. C. Substitutus.

APPROBATIO PRÆSENTIS NOVÆ EDITIONIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Hanc Ritualis Romano-Seraphici editionem diligenter revisam, emendatam et auctam juxta editionem typicam Ritualis Romani et recentiora Sanctæ Sedis Decreta, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, probavit et ab omnibus ritu, quem vocant, Romano-Seraphico legitime utentibus, in posterum adhibendam mandavit. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 1 Maji 1931.

C. Card. LAURENTI, S. R. C. Præfectus.

L. † S. A. CARINCI, S. R. C. Secretarius.

TITULUS I

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM

CAPUT I

DE PŒNITENTIA

ARTICULUS I

ORDO ADMINISTRANDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ

UILIBET Religiosus semel saltem in hebdomada Ordinis Sacerdoti rite approbato peccata sua confessurus, illa qua decet humilitate mentis et corporis pœnitens ad Confessarium suum accedit et flexis ante eum genibus petit benedictionem dicens : Benedícite, Pater Reverénde, et signo Crucis se munit. Confessarius vero sedens benedicit ei dicendo :

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut rite confiteáris ómnia peccáta tua. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Deinde pœnitens corpore mediocriter inclinatus lingua latina recitat Confíteor usque ad verba verbo et ópere inclusive. Tum corpore erecto peccata sua confitetur; quibus rite manifestatis, iterum mediocriter inclinatus, confessionem generalem prosequens, subjungit : mea culpa, etc. ac tunc erectus auscultat instructionem et admonitionem Confessarii, atque salutarem pœnitentiam sibi impositam acceptat.

2. Confessarius autem, cum pœnitentem absolvere velit, injuncta ei prius et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit :

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit :

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens, et miséricors Dóminus. Amen.

Dóminus noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus te absólvo ab omni vínculo excommunicatiónis, [suspensiónis], et interdícti, in quantum possum, et tu índiges. Deínde ego te absólvo a peccátis tuis, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum suspensiónis.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis, et ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, et mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augméntum grátiæ, et prǽmium vitæ ætérnæ. Amen.

Dum Confessarius absolutionem pronuntiat, pœnitens iterum mediocriter se inclinat et Cruce se signat.

3. Justa de causa omitti potest Misereátur, etc. et satis est dicere : Dóminus noster Jesus Christus, etc. ut supra usque ad illud : Pássio Dómini nostri, etc.

4. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, Sacerdos breviter dicere poterit :

Ego te absólvo ab ómnibus censúris, et peccátis, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

ARTICULUS II

FORMA ABSOLVENDI AB EXCOMMUNICATIONE EXTRA SACRAMENTALEM CONFESSIONEM

1. Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit a Superiore, et in mandato certa forma sit præscripta, illa omnino servanda est; si vero ipse Prælatus potestate ordinaria absolutionem impertiturus est, vel in mandato seu commissione dicitur : *In forma Ecclesiæ consueta absolvat,* tunc formam infra positam adhibebit.

2. Religiosis jussu Superioris capitulariter congregatis, suisque in locis ordine stantibus, recitatur Psalmus Miserére mei Deus. Interim duo Fratres excommunicatum in medio genuflexum et caputio exutum flagellis (disciplinis) in humeris leniter percutiunt. Psalmo finito, Superior vel alius Sacerdos delegatus, superpelliceo et stola coloris violacei indutus dicit : Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (-am) fac servum tuum, (ancíllam tuam), Dómine.
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram, ut hunc fámulum tuum, quem (hanc fámulam tuam, quam) excommunicatiónis senténtia constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Deinde idem Superior (vel ab eo delegatus) mox sedet, et cooperto capite dicit :

DOminus noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus, in hac parte mihi commíssa, absólvo te a vínculo excommunicatiónis, in quam incurrísti (vel incurrísse declarátus [-a] es), propter tale factum (vel talem causam); et restítuo te communióni et unitáti fidélium, et sanctis Sacraméntis Ecclésiæ, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Quando agitur de laico, dicitur :

Dóminus noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus, et sanctíssimi Dómini nostri Papæ (vel reverendíssimi Epíscopi N., vel talis Superióris) mihi commíssa, absólvo te a vínculo excommunicatiónis, in quam incurrísti (vel incurrísse declarátus [-a] es), propter tale factum (vel talem causam, etc.); et restítuo te communióni et unitáti fidélium, et sanctis Sacraméntis Ecclésiæ, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

4. Quod si Sacerdoti nulla sit a Superiore præscripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiæ communi, vel consueta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam cæremoniam et preces adhibeat; at vero si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens :

Dóminus noster Jesus Christus te absólvat : et ego auctoritáte ipsíus, et sanctíssimi Dómini nostri Papæ (si a Papa fuerit delegatus), (vel reverendíssimi Epíscopi N., vel talis Superióris) mihi concéssa, absólvo te, etc., ut supra.

5. In foro autem sacramentali, Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra præscriptam in sacramentali absolutione.

ARTICULUS III

FORMA ABSOLVENDI A SUSPENSIONE VEL AB INTERDICTO EXTRA SACRAMENTALEM CONFESSIONEM, ET DISPENSANDI SUPER IRREGULARITATE

1. Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, uti poterit hac formula :

Pœnitens dicit : Confíteor Deo omnipoténti, etc.

Sacerdos : Misereátur tui, etc. Indulgéntiam, etc.

Auctoritáte mihi ab N. trádita, ego absólvo te a vínculo suspensiónis (vel interdícti), quam (vel quod) propter tale factum (vel talem causam) incurrísti (seu incurrísse declarátus [-a] es), in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

2. Si vero Confessario, sive in foro sacramentali sive extra, data sit potestas dispensandi super irregularitate, tunc, postquam absolverit a peccatis, addat consequenter :

Et eádem auctoritáte dispénso tecum super irregularitáte (vel irregularitátibus, si sint plures), in quam (vel in quas) ob talem causam (tales causas, eas exprimendo) incurrísti; et hábilem reddo, et restítuo te exsecutióni Ordinum et officiórum tuórum, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

3. Si nullum habeat Ordinem, dicatur :

Hábilem reddo te ad omnes Ordines suscipiéndos, (vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati).

4. Quod si necesse sit titulum beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare, subjungat :

Et restítuo tibi títulum (títulos) Beneficii (Beneficiórum), et condóno tibi fructus male percéptos, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

5. Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suæ terminos excedat.

ARTICULUS IV

FORMA ABSOLUTIONIS GENERALIS PRO RELIGIOSIS NOSTRIS

1. Hæc absolutio generalis Fratribus nostris dari potest in festis Nativitatis et Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis B. M. V., Mysteriorum Viæ Crucis, S. Joseph (19 Mart.), Annuntiationis B. M. V., singulis diebus Hebdomadæ Majoris, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, Ss. App. Petri et Pauli, Visitationis B. M. V., S. Claræ, Assumptionis B. M. V., VII Gaudiorum B. M. V., S. Ludovici Regis, Nativitatis B. M. V., Stigmatum B. P. N. Francisci, S. Francisci, Omnium Sanctorum, S. Elisabeth Hung., Præsentationis B. M. V., S. Catharinæ, Conceptionis Immaculatæ B. M. V., necnon in fine Visitationis canonicæ, et quater in anno diebus ad libitum eligendis.

2. Eadem formula pro Sororibus secundi Ordinis et pro Tertiariis in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus adhibenda est, suppresso verbo suspensiónis.

3. Superior igitur, vel qui loco Superioris est, superpelliceo ac stola violacea, vel saltem stola indutus, et omnibus Fratribus in genua provolutis, pariter genuflexus dicit :

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde stans sequentes recitat Orationes.

Orémus — Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæsumus Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus, vel juxta consuetudinem ab omnibus Fratribus, mediocriter inclinatis, dicitur Confiteor, addito nomine S. P. N. Francisci. Deinde Sacerdos dicit :

Misereátur vestri, etc. Indulgéntiam, absolutiónem, etc.

Postea subjungit :

DOminus noster Jesus Christus per mérita suæ sacratíssimæ Passiónis vos absólvat, et grátiam suam vobis infúndat. Et ego, auctoritáte ipsíus, et beatórum Apostolórum Petri et Pauli et Summórum Pontíficum Ordini nostro ac vobis concéssa, et mihi in hac parte commíssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunica-

tiónis (suspensiónis) et interdícti, si quod forte incurrístis, et restítuo vos unióni et participatióni fidélium, necnon sacrosánctis Ecclésiæ Sacraméntis. Item eádem auctoritáte absólvo vos ab omni transgressióne votórum et régulæ, constitutiónum, ordinatiónum et admonitiónum majórum nostrórum, ab ómnibus pœniténtiis oblítis, seu étiam negléctis, concédens vobis remissiónem et indulgéntiam ómnium peccatórum, quibus contra Deum et próximum fragilitáte humána, ignorántia, vel malítia deliquístis, ac de quibus jam confessi estis. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

In fine dicitur semel Pater, Ave et Glória ad mentem Summi Pontificis.

4. Si absolutio generalis privatim immediate post absolutionem sacramentalem impertiatur, Confessarius, reliquis omissis, absolute incipit a verbis Dóminus noster Jesus Christus, et ita prosequitur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato. Si adjuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit :

Auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi commíssa plenáriam ómnium peccatórum tuórum indulgéntiam tibi impértior. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

CAPUT II

DE SS. EUCHARISTIA

ARTICULUS I

ORDO ADMINISTRANDI S. COMMUNIONEM

1. Sacerdos sanctissimam Eucharistiam extra Missam ministraturus, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris Officio illius diei convenientis [1] vel coloris albi, manibus junctis vel bursam cum corporali ante pectus deferens, præcedente Ministro, ad Altare procedit, et accensis duobus cereis, facta prius genuflexione in plano, tabernaculum aperit, genuflectit, extrahit Pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit.

2. Interim Religiosi bini et bini, manibus junctis, cum modestia, et gravi incessu ante infimum Altaris gradum se conferunt, ubi utrumque genu flectunt ac mediocriter inclinati una cum Ministro ad cornu Epistolæ genuflexo faciunt confessionem generalem, recta voce recitantes Confíteor Deo omnipoténti, etc.

3. Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus ante pectus junctis vertit se ad communicandos, advertens, ne terga vertat Sacramento, et in cornu Evangelii dicit :

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Et additur : Indulgéntiam, absolutiónem, ✠ et remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens, et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Dicens Indulgéntiam, etc. manu dextera in formam crucis signat communicandos.

4. Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra Pyxidem prehendit; et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum accipit, et elevat : conversusque ad Religiosos in medio Altaris dicit clara voce :

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Mox subdit : Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum

[1] In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum sumitur violaceus pro nigro colore.

meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea; quod iterum ac tertio repetit.

5. Postea Religiosi bini et bini surgentes, præmissa mediocri corporis inclinatione, in ora suppedanei genuflectunt et S. Communionem percipiunt. Sacerdotes, si adsint, cum stola coloris Officio illius diei convenientis vel coloris albi communicant, Diaconi cum stola transversa.

6. Sacerdos incipiens in parte Epistolæ, Sacerdotibus, Diaconis, Subdiaconis, Clericis ceterisque Religiosis, Ministro vero inservienti ante alios ejusdem ordinis, unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum crucis super Pyxidem, simul dicit :

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

7. Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare Pyxidem super corporale deponit, genuflectit, ac deinde dicit :

O sacrum convívium in quo Christus súmitur, recólitur memória Passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de cælo præstitísti eis.

Minister respondet : Omne delectaméntum in se habéntem.

Temp. Pasch. et per Octavam Corporis Christi tum Antiphonæ tum ℣. et ℟. additur : Allelúia.

8. Mox Sacerdos dicit :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tempore Paschali dicitur Oratio :

SPíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde : ut quos Sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

9. Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponat ; moxque eam claudat, et digitos quibus tetigit Sacramentum abluat, et abstergat purificatorio. Postea reponit Pyxidem in tabernaculo, genuflectit, et ipsius tabernaculi ostiolum clave obserat.

10. Deinde elevatis oculis, extendens, elevans et jungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

11. Communio autem intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

Itaque Sacerdos, sumpto sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, ponat particulas consecratas in Pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positæ fuerint in Pyxide ; et genuflectit, Ministro interim faciente confessionem, ut supra. Postea vertens se ad populum, in cornu Evangelii dicit : Misereátur vestri, etc. et eo quo supra dictum est modo porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a Ministris Altaris, si velint communicare. Finita Communione, revertitur ad Altare, nihil dicens, non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ. Deinde dicit secreto : Quod ore súmpsimus, etc. ut in Missali, se purificat, et Missam absolvit.

12. Quod si contingat, proxime ante aut statim post Missam privatam aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos, planeta indutus, sacram Communionem eo modo quo supra dictum est ministrabit ; omissis tamen semper Allelúia et benedictione in fine, si paramenta nigri coloris adhibeantur.

ARTICULUS II

DE COMMUNIONE INFIRMORUM ET DE VIATICO

1. Præparanda :

1° Infirmi cubiculum bene mundetur ;
2° Mensa linteo mundo cooperta cum 2 cereis accensis ;
3° Corporale explicatum ;
4° Vasculum cum aqua et purificatorium ;
5° Rituale ;
6° Linteum mundum (ac stola alba pro infirmo, si sit Sacerdos vel Diaconus).

2. Religiosi Conventus signo campanulæ evocati in sacristiam se conferunt, SS. Sacramentum cum cereis ad cubiculum infirmi comitaturi. Superior vero, vel alius Sacerdos ab eo deputatus, superpelliceo, stola et pluviali albi coloris se induit, et duobus Acolythis pariter superpelliceo indutis ceterisque Religiosis præeuntibus, ad Altare de more se confert. Ibi Pyxidem e tabernaculo cum debitis genuflexionibus extrahit et super corporale collocat ; dehinc in ora suppedanei genuflexus velum humerale albi coloris assumit, iterumque Altare conscendens Pyxidem cum sacris particulis bene clausam suoque velo coopertam utraque manu accipit et velum humerale desuper imponit, ita ut manus et tota sacra Pyxis bene tegantur. — Si vero præter hanc Pyxidem alterum vas cum SS. Sacramento in tabernaculo non adsit, ne interea in ecclesia Eucharistia deficiat, e præfata Pyxide aliquot particulas consecratas in altera Pyxide ponat, quam ad infirmum deferat. — Ita SS. Sacramentum ante pectus elevatum gestans in planum descendit et umbellam seu baldachinum ab aliquo Acolytho super eum elevatum subit.

3. Præcedunt duo Acolythi, quorum unus vas aquæ benedictæ cum aspersorio gestat, alter vero tintinnabulum jugiter pulsat ; sequuntur Religiosi bini et bini, cereos accensos in manibus tenentes ; ultimo Sacerdos cum sacra Pyxide sub umbella incedit, intelligibili voce incipiens Psalmum Miserére, qui a ceteris alternatim recitatur. Infirmus interim de lecto surgat et religionis habitu indutus prope cubile genuflectat, si possit ; sin autem, cum tunica saltem et caputio, si fieri possit, in lecto sedet vel decumbit.

4. Cum processio ad cubiculum infirmi pervenerit, Religiosi ab utraque parte genuflectunt, in medio transitum relinquentes Sacerdoti, quem duo ex senioribus Patribus in præfatum cubiculum præcedunt ; deinde ingrediuntur duo Acolythi et alii, quotquot

pro loci capacitate potuerint. Sacerdos autem cubiculum infirmi ingrediens primum dicit :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

5. Tum SS. Sacramentum super mensa depositum genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, et velum humerale in manus Acolythi dimittit; mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens Antiphonam :

Aspérges me, Dómine, hyssópo et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor; et primum versum Psalmi Miserére, cum Glória Patri, etc. Sicut erat, etc.

Deinde repetit Ant. Aspérges me, etc.

Postea conversus ad SS. Sacramentum subdit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. His dictis, si Religiosus infirmus sacram Communionem pro Viatico recepturus est, Superior ad ipsum accedit eumque congruis verbis monet, ut juxta piam Religiosorum consuetudinem coram coadunatis Fratribus veniam petat de negligentiis et offensionibus suis, atque ipse omnibus, qui eum forsan offenderint, ex corde indulgeat precibusque confratrum se enixe commendet; porro ipsum adhortetur, ut coram SS. Sacramento professionem suam religiosam pio mentis affectu renovet totumque divinæ voluntati se committat.

7. Postea facta de more confessione generali, sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit in singulari :

Misereátur tui, etc. Indulgéntiam... tuórum tríbuat tibi, etc.

Si pluribus simul infirmis in eodem cubiculo vel loco Sacramen-

tum administretur, Sacerdos dicat in plurali : Misereátur vestri... Indulgéntiam... vestrórum, etc.

8. Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de Pyxide, atque illud elevans ostendit infirmo dicens :

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, et more solito ter dicat : Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

9. Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce. Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam dicit :

Accipe, frater (soror), Viáticum Córporis Dómini nostri Jesu Christi, qui te custódiat ab hoste malígno, et perdúcat in vitam ætérnam. Amen.

10. Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicit more ordinario :

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

11. Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto Misereátur, etc., prædictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum præbeatur.

12. Postea Sacerdos Pyxidem claudit, abluit digitos in vase cum aqua parato, nihil dicens : et abstergit purificatorio; aqua vero ablutionis suo tempore mittitur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem. Deinde dicit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, te fidéliter deprecámur, ut accipiénti fratri nostro (soróri nostræ) sacrosánctum Corpus Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui, tam córpori, quam ánimæ prosit ad remédium sempitérnum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Si pluribus simul infirmis in eodem cubiculo vel loco Eucharistia præbeatur, Sacerdos dicat in plurali : Dómine sancte... ut accipiéntibus frátribus (soróribus) nostris, etc.

13. His expletis, Sacerdos velum humerale reassumit, genuflectit, et accipiens Pyxidem cum SS. Sacramento, facit cum ea signum Crucis super infirmum, nihil dicens. Tunc reverenter illam deferens, ordine quo venerat revertitur ad ecclesiam dicendo Psalmum Laudáte Dóminum de cælis etc., quem ceteri alternatim prosequuntur; imo et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.

14. Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, genuflectit ac deinde dicit :

℣. Panem de cælo præstitísti eis. (T. P. et per Octavam Corporis Christi additur : Allelúia).
℟. Omne delectaméntum in se habéntem. (Allelúia.)
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

15. Postea cum SS. Sacramento in Pyxide velo humerali cooperta facit signum Crucis super præsentes, nihil dicens; demum sacram Pyxidem in tabernaculo reponit, et exstinctis cereis, cum Religiosis ordine quo venerat in sacristiam revertit.

16. Quando infirmus sacram Communionem non pro Viatico sed ex devotione recipere cupit, sufficiet, si Sacerdos superpelliceo et stola absque pluviali indutus sit, et duo tantum Religiosi cum cereis accensis SS. Sacramentum comitentur. In ceteris omnia observentur quæ supra dicta sunt.

17. Quod si, ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia, ea qua decet veneratione, Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non posset, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos, prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, dicens more solito : Benedíctio Dei omnipoténtis... descéndat super te (vel vos, si plures infirmos communicaverit), etc., et una cum aliis privato habitu, exstinctis luminibus, umbella demissa, latente Pyxide, ad ecclesiam, vel domum quisque suam revertitur.

18. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono sacram Communionem ministrante.

19. Quando, ex justa et rationabili causa, privatim sacra Communio ad infirmos defertur, Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, Sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola, si illud antea non induerit.

20. Quando sacra Communio distribuitur pluribus infirmis, qui in eadem domo vel in eodem hospitali, sed in distinctis cubiculis degant, Sacerdos vel Diaconus ministrans, in primo tantum cubiculo recitet plurali numero omnes preces ante infirmorum Communionem dicendas juxta supra dicta n. 4. ss. Postquam autem primo infirmo S. Communionem dederit, abluit digitos et velo humerali reassumpto dat benedictionem cum Sanctissimo. Dein procedit ad alterum cubiculum, deponit Sacramentum et, quin recitetur Confíteor, dicit Misereátur tui (vestri), etc. Indulgéntiam, etc. Ecce Agnus Dei, etc. et semel Dómine, non sum dignus. In ultimo demum cubiculo, ablutis digitis, dicit ℣. Dóminus vobíscum et Orationem Dómine sancte ut supra, ast in plurali; dein benedictionem Eucharisticam impertitur, ac tandem reliquas preces præscriptas in ecclesia de more persolvit.

CAPUT III

DE EXTREMA UNCTIONE

ARTICULUS I

ORDO MINISTRANDI RELIGIOSO INFIRMO SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS

1. Extremæ Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, tamquam cælestis medicina, non animæ solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculose ægrotantibus adhibendum est, et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

2. Præparanda :

1° Mensa mappa candida cooperta;
2° Super mensa Crux cum imagine Crucifixi;
3° Vas cum bombacio vel simili materia in sex globulos distincta, ad abstergendas partes inunctas;
4° Medulla panis ad detergendos digitos Sacerdotis;
5° Aqua ad abluendas Sacerdotis manus;
6° Cerea candela, quæ deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat.

3. Omnibus igitur præparatis, hora constituta Communitas religiosa ad cubiculum infirmi cum silentio convenit ibique Sacerdotem hoc Sacramentum ministraturum exspectat. Superior vero, vel alius Sacerdos ad hoc ab ipso deputatus, superpelliceo et stola coloris violacei indutus, decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei item coloris inclusum, illudque defert ad cellam vel infirmariam, ubi Confrater ægrotans decumbit, præeuntibus duobus Clericis seu Ministris, quorum unus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, alter Rituale deferat. Intrans cubiculum infirmi Sacerdos dicit :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

4. Deinde deposito Oleo super mensam, ægroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis aqua benedicta eum, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam : Aspérges me, Dómine, etc. Quod si ægrotus velit confiteri, audiat

illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat : et, quantum opus sit, ejus animam confirmet et in spem erigat vitæ æternæ.

5. Postea dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

INtróeat, Dómine Jesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitátis ingréssu, ætérna felícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cáritas fructuósa, sánitas sempitérna : effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum : adsint Angeli pacis, domúmque hanc déserat omnis malígna discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum; et béne✠dic nostræ conversatióni : sanctífica nostræ humilitátis ingréssum, qui sanctus et qui pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu Sancto in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus et deprecémur Dóminum nostrum Jesum Christum, ut benedicéndo bene✠dícat hoc tabernáculum, et omnes habitántes in eo, et det eis Angelum bonum custódem, et fáciat eos sibi servíre ad considerándum mirabília de lege sua : avértat ab eis omnes contrárias potestátes : erípiat eos ab omni formídine, et ab omni perturbatióne, ac sanos in hoc tabernáculo custodíre dignétur : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Quæ Orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti. Tum infirmus vel ipsius nomine circumstantes de

more confessionem generalem faciunt, post quam Sacerdos dicit : Misereátur tui, etc. Indulgéntiam, etc. in numero singulari.

7. Antequam Sacerdos incipiat ungere infirmum moneat Fratres astantes ut pro illo orent, et, ubi commodum sit, pro loco et tempore et astantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos pœnitentiales cum Litaniis Sanctorum vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Sacerdos vero mox cum duobus Clericis, quorum unus candelam accensam et vas sacri Olei apertum, alter patinulam cum globulis bombacii in manibus tenet, propius ad infirmum accedit, et extensa super caput ejus manu dextera dicit :

In nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, exstinguátur in te omnis virtus diáboli per impositiónem mánuum nostrárum, et per invocatiónem gloriósæ et sanctæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ, ejúsque ínclyti Sponsi Joseph, et ómnium sanctórum Angelórum, Archangelórum, Patriarchárum, Prophetárum, Apostolórum, Mártyrum, Confessórum, Vírginum, atque ómnium simul Sanctórum. Amen.

8. Deinde, intincto pollice in Oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum :

Ad Oculos

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per visum deliquísti. Amen.

Dum oculos, aures et alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

9. Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in sacrarium.

Ad Aures

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per audítum deliquísti. Amen.

Ad Nares

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per odorátum deliquísti. Amen.

Ad Os, compressis labiis

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per gustum et locutiónem deliquísti. Amen.

Ad Manus

Sacerdotum manus non inunguntur interius, sed exterius.

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per tactum deliquísti. Amen.

Ad Pedes

Per istam sanctam Uncti✠ónem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per gressum deliquísti. Amen.

10. Hæc autem unctio ad pedes ex qualibet rationabili causa omitti potest.

11. Unctionibus peractis, Sacerdos pollicem fricat cum medulla panis, et ministrantibus duobus Clericis, manus lavat linteoque abstergit; aqua vero lotionis cum pane suo tempore mittitur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem. Tunc stans coram Cruce prosequitur :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam).
℟. Deus meus sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eam).
℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Deus, qui per Apóstolum tuum Jacóbum locútus es : Infirmátur quis in vobis? indúcat presbýteros Ecclésiæ, et orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini : et orátio fídei salvábit infírmum, et alleviábit eum Dóminus : et si in peccátis sit, remitténtur ei; cura, quæsumus, Redémptor noster, grátia Sancti Spíritus languóres istius infírmi (-æ), ejúsque sana vúlnera et dimítte peccáta, atque dolóres cunctos mentis et córporis ab eo (ea) expélle, plenámque intérius et extérius sanitátem misericórditer redde, ut ope misericórdiæ tuæ restitútus (a), ad prístina reparétur offícia : Qui cum Patre et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

RESpice, quæsumus Dómine, fámulum tuum N. (fámulam tuam N.) in infirmitáte sui córporis fatiscéntem, et ánimam réfove, quam creásti : ut castigatiónibus emendátus (-a), se tua séntiat medicína salvátum (-am). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui benedictiónis tuæ grátiam ægris infundéndo corpóribus, factúram tuam multíplici pietáte custódis : ad invocatiónem tui nóminis benígnus assíste; ut fámulum tuum (fámulam tuam) ab ægritúdine liberátum (-am), et sanitáte donátum (-am), déxtera tua érigas, virtúte confírmes, potestáte tueáris, atque Ecclésiæ tuæ sanctæ, cum omni desiderata prosperitáte, restítuas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

12. Finitis precibus, pro personæ qualitate salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.

13. Denique infirmo Confratri juxta piam Ordinis consuetudinem benedictionem S. P. N. Francisci impertit dicens :

Benedícat tibi Dóminus, et custódiat te. Osténdat fáciem suam tibi, et misereátur tui. Convértat vultum suum ad te, et det tibi pacem. Dóminus te bene✠dícat. ℟. Amen.

14. Omnibus tandem absolutis, Fratres cum silentio discedunt, et Sacerdos vas sacri Olei in ecclesiam vel sacristiam reportat ibique suo loco reverenter reponit.

15. Si infirmus in extremis laborat et periculum imminet, ne decedat antequam finiantur Unctiones, omitti debent preces ante unctiones positæ, et Sacerdos statim incipit per formam sacramentalem : Per istam sanctam Unctiónem, etc. ungendo singulos sensus, ut supra. Deinde si moribundus adhuc supervivat, Orationes prætermissæ supplendæ sunt.

16. In casu autem necessitatis sufficit hæc forma inungendo in fronte vel in parte magis ad unctionem exposita :

Per istam sanctam Uncti✠ónem indúlgeat tibi Dóminus quidquid deliquísti. Amen.

Salva tamen manet obligatio singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

17. Quod si Sacerdos dubitet an infirmus vivat adhuc, Unctionem faciat vel prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens : Si vivis, per istam sanctam Unctiónem, etc.

18. Si eodem tempore ministretur S. Viaticum ac Extrema Unctio, S. Eucharistia et S. Oleum, si fieri potest, deferuntur a duobus Sacerdotibus (Diaconis) distinctis; postquam infirmus Viaticum sumpserit inungatur a Sacerdote, incipiendo a n. 5. (6.). Si postea Benedictio Apostolica impertienda est, incipitur ab Adjutórium nostrum, ut infra Art. III.

ARTICULUS II

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMI

1. Quum sancta Regula nostra jubente Fratres debeant Fratri suo, qui in infirmitatem ceciderit, servire, sicut vellent sibi serviri, Superiores præprimis una cum sollicitudine de corporali Fratrum ægrotantium salute etiam spiritualem eorum curam sollicite gerant, omnemque diligentiam in eo ponant, ut in viam salutis

eosdem dirigant, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendant ac tueantur.

Quapropter Guardianus et Vicarius Fratres ægrotos frequenter visitent, ut et solatio illis sint et ab eis, quæ necessaria fuerint melius cognoscant ac de iis sollicite provideant; et si nihil obstat, etiam ceteri Fratres eos visitent, quin tamen ipsis fastidio sint, sed pie potius eos in Domino consolari studeant.

In qua paterna vel fraterna ægrotantium Confratrum visitatione sequentes preces omnes, vel ex parte, prout tempus et ægrotorum conditio feret, pro arbitrio Sacerdotis dici possunt.

2. Sacerdos igitur infirmi cubiculum ingressus, primum dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

3. Mox infirmum, et lectum ejus, et cubiculum aspergat aqua benedicta, dicens Antiphonam :

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Deinde erga infirmum officium suum præstet, ut supra dictum est. Quo præstito, vel antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum ex quatuor prioribus Pœnitentialibus, vel Psalmum Qui hábitat, etc. cum Glória Patri, in fine. Postea dicat :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum (Salvam fac ancíllam tuam).
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eam).
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dóminus opem ferat illi.
℟. Super lectum dolóris ejus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam), quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

DEus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium, auxílii tui super infírmum fámulum tuum (infírmam fámulam tuam) osténde virtútem : ut ope misericórdiæ tuæ adjútus (-a), Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur.

COncéde hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam), quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

4. Qui sequuntur Psalmi et Evangelia cum Precibus, pro temporis etiam opportunitate, et ægrotantium pio desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterunt.

Psalmus 6

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
℟. Glória tibi, Dómine.

5. Dum Sacerdos dicit Sequéntia, etc. faciat signum crucis de more super se in fronte, ore, et in pectore, similiter super infirmum, si ob infirmitatem non potest se signare.

Si autem sit femina, dum Sacerdos se signat, illa per semetipsam in locis prædictis se signet, si possit; si vero non possit, alia mulier eam signet : et hoc idem in sequentibus Evangeliis servetur.

Matth. 8, 5-13

IN illo témpore : Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum et dicens : Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus : Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio ait : Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic : Vade, et vadit; et álii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit : Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum; fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres; ibi erit fletus, et stridor

déntium. Et dixit Jesus centurióni : Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, salus ætérna credéntium, exáudi nos pro infírmo fámulo tuo N. (infírma fámula tua N.), pro quo (qua) misericórdiæ tuæ implorámus auxílium : ut réddita sibi sanitáte, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferat actiónes. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ps. 15 Consérva me, ut infra.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.
℟. Glória tibi, Dómine.

Marc. 16, 14-18

IN illo témpore : Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Jesus, et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis; quia iis, qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et dixit eis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient : linguis loquéntur novis : serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Orémus Oratio

VIrtútum cæléstium Deus, qui ab humánis corpóribus omnem languórem, et omnem infirmitátem præcépti tui potestáte depéllis : adésto propítius huic fámulo tuo N. (fámulæ tuæ N.), ut fugátis infirmitátibus, et víribus recéptis, nomen sanctum tuum, instauráta prótinus sanitáte, benedícat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 19

EXáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Glória Patri.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
℟. Glória tibi, Dómine.

Luc. 4, 38-40

IN illo témpore : Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus : et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam, imperávit febri : et dimísit illam. Et contínuo surgens ministrábat illis. Cum autem sol occidísset, omnes, qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos.

Orémus — Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui fragilitátem humánæ conditiónis, infúsa virtútis tuæ dignatióne, confírmas, ut salutáribus remédiis pietátis tuæ córpora nostra et mentes vegeténtur : super hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam) propítius inténde; ut omni necessitáte corpóreæ infirmitátis exclúsa, grátia

in eo (ea) prístinæ sanitátis perfécte reparétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 85

INclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis, * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo : * et glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus, miserátor et miséricors : * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei : * da impérium tuum púero tuo, et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant, qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
℟. Glória tibi, Dómine.

Joann. 5, 1-14

IN illo témpore : Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis Probática piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam : et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte. Erat autem quidam homo ibi, trigínta et octo annos habens in infirmitáte sua. Hunc cum vidísset Jesus jacéntem, et cognovísset quia jam multum tempus habéret, dicit ei : Vis sanus fieri? Respóndit ei lánguidus : Dómine, hóminem non hábeo, ut cum turbáta fúerit aqua, mittat me in piscínam : dum vénio enim ego, álius ante me descéndit. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabátum tuum, et ámbula. Et statim sanus factus est homo ille : et sústulit grabátum suum, et ambulábat. Erat autem Sábbatum in die illo. Dicébant ergo Judæi illi, qui sanátus fúerat : Sábbatum est, non licet tibi tóllere grabátum tuum. Respóndit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabátum tuum, et ámbula. Interrogavérunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabátum tuum, et ámbula? Is autem, qui sanus fúerat efféctus, nesciébat quis esset. Jesus enim declinávit a turba constitúta in loco. Póstea invénit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contíngat.

Orémus — Oratio

RESpice, Dómine, fámulum tuum (fámulam tuam) in infirmitáte sui córporis laborántem, et ánimam réfove, quam creásti : ut castigatiónibus emendátus (-a),

contínuo se séntiat tua medicína salvátum (-am). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Psalmus 90

QUI hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis: * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne, erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * et osténdam illi salutáre meum.

Glória Patri.

Orémus

Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, infirmitátem fámuli tui (fámulæ tuæ) propítius réspice: atque ad protegéndum eum (eam) déxteram tuæ majestátis exténde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Completa Oratione ultima, Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi, et dicat :

Super ægros manus impónent, et bene habébunt. Jesus, Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus, méritis et intercessióne sanctórum Apostolórum suórum Petri et Pauli, et ómnium Sanctórum, sit tibi clemens et propítius. Amen.

Postea dicat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.
℟. Glória tibi, Dómine.

Joann. 1, 1-14

IN princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum; et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine ejus : qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt (Hic genuflectitur). Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ, et veritátis.

℟. Deo grátias.

7. Postea benedicens infirmum subjungat, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et

Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat cum aqua benedicta.

8. Si fuerint plures infirmi in eodem cubiculo vel loco, preces et Orationes prædictæ dicantur super eos in numero plurali. Quæ omnia etiam poterunt, arbitrio Sacerdotis, breviora fieri.

ARTICULUS III

RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ IN ARTICULO MORTIS IMPERTIENDÆ

1. Paulus Papa V in sua Constitutione Románus Póntifex omnibus Regularibus pro mortis articulo indulgentiam plenariam sine alterius ministerio concessit, dummodo Religiosus vere pœnitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem, corde devote invocaverit.

2. Quamvis autem pro Regularibus in articulo mortis constitutis nulla necessitas existat ad acquirendam præfatam indulgentiam, ut illis per specialem formulam applicetur, tamen nihil obstat, quominus Superior vel quilibet alius Sacerdos eamdem per formulam, a Benedicto Papa XIV præscriptam, Religioso moribundo applicet, præsertim si ab ipso petatur.

3. Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiam si postea linguæ, ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

4. Sacerdos igitur ad prædictam benedictionem impertiendam superpelliceo et stola violacea indutus, cubiculum ingressus, ubi jacet infirmus, dicat : Pax huic dómui, etc., ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam : Aspérges me, etc.

5. Quod si ægrotus velit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut sanctis-

simum nomen Jesu corde saltem invocet, morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam.

6. Postea dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Antiphona. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (fámulæ tuæ) : neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum (Salvam fac ancillam tuam).
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

CLementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem atque sperántem : secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem (fámulam tuam N., quam) tibi vera fides, et spes christiána comméndant. Vísita eum (eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge : ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in Sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Tunc dicto a Religioso infirmo vel ab uno ex adstantibus Confíteor etc. Sacerdos dicat : Misereátur et Indulgéntiam, ac deinde :

Dóminus noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti : et ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam, et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo.

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. ℟. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

8. Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur dicendo :

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam, et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Per sacrosáncta etc. ut supra.

Benedícat te etc. ut supra.

In casu vero necessitatis sufficit dicere :

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam, et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, et benedíco te. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

9. Quando hujusmodi Benedictio Apostolica pluribus simul infirmis impertitur, omnia dicuntur semel ut supra, singulari tantum numero in pluralem immutato.

ARTICULUS IV

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

1. Superior vel alius Sacerdos ab eo ad assistendum Fratri agonizanti designatus, superpelliceo et stola violacea indutus, ad ingressum in cubiculum infirmi dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde aspergat ægrotum, lectum et circumstantes aqua benedicta, dicens :

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

2. Postea Salvatoris nostri Crucifixi imaginem ægroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suæ spem sumat.

3. Deinde candela benedicta accendatur, atque Fratri agonizanti porrigatur, vel prope ipsum ab alio teneatur, dum sequentes preces recitantur. Sacerdos cum omnibus Religiosis, qui ad pie assistendum agonizanti convenerint, genibus flexis breves Litanias devote recitet in hunc modum :

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Sancta María, ora pro eo (ea).
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo (ea).
Sancte Abel, ora pro eo (ea).
Omnis chorus Justórum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte pro eo (ea).
Sancte Petre, ora pro eo (ea).
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora pro eo (ea).
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte pro eo (ea).
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo (ea).

Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte [Pater noster] Francísce, ora pro eo (ea).
Sancte Camílle, ora.
Sancte Joánnes de Deo, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte pro eo (ea).
Sancta María Magdaléna, ora pro eo (ea).
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte pro eo (ea).
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (ea).
Propítius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto, líbera eum (eam), Dómine.
Propítius esto, líbera eum (eam), Dómine.

Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera eum (eam), Dómine.
A potestáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus Sancti Paráclíti, líbera.
In die judícii, líbera eum (eam), Dómine.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus audi nos.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.

℣. Cum in agone sui exitus anima anxiatur, Sacerdos stans coram lecto infirmi sequentes Orationes cum congruis intervallis pro eo dicat :

Oratio

PRoficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit : in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est : in nómine Spíritus Sancti, qui in te effúsus est : in nómine gloriósæ et sanctæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ : in nómine beáti Joseph, ínclyti ejúsdem Vírginis Sponsi : in nómine Angelórum et Archangelórum : in nómine Thro-

nórum et Dominatiónum : in nómine Principátuum et Potestátum : in nómine Virtútum, Chérubim et Séraphim : in nómine Patriarchárum et Prophetárum : in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum : in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum : in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum : in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio

DEus miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas : réspice propítius super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem deprecátus exáudi. Rénova in eo (ea), piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est : et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemituum, miserére lacrimárum ejus : et non habéntem fidúciam nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

COmménde te omnipoténti Deo, caríssime Frater (caríssima Soror), et ei, cujus es creatúra, commítto : ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti itaque ánimæ tuæ de córpore, spléndidus Angelórum cœtus occúrrat : judex Apostolórum tibi senátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat, et beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus adstríngat : sanctus Joseph, moriéntium Patrónus dulcíssimus, in magnam spem te érigat : sancta Dei Génitrix Virgo María suos benígnos óculos ad te

convértat : mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum satellítibus suis : in advéntu tuo te comitántibus Angelis contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei : et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur et erubéscant omnes tartáreæ legiónes, et minístri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus, Fílius Dei vivi, intra paradísi sui semper amœna viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et præsens, semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus (-a) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

SUscipe, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) ex ómnibus periculis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Henoch et Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Lot de Sódomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti David de manu Regis Saul, et de manu Golíæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui (ancíllæ tuæ), et tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℟. Amen.

Oratio

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali

desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum non negávit, sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio

DElícta juventútis et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine : sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) súscipe. Suscípiat eum (eam) sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum (eam) in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum (eam) beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum (eam) sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo (ea) sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo (ea) omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo (ea) omnes Sancti et Elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt : ut vínculis carnis exútus (-a), pervenire mereátur ad glóriam regni cæléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

CLementíssima Virgo Dei Génitrix María, mæréntium piíssima consolátrix, fámuli N. (fámulæ N.) spíritum Fílio suo comméndet, ut hoc matérno intervéntu terróres mortis non tímeat; sed desiderátam cæléstis pátriæ mansiónem, ea cómite, lætus (-a) ádeat. ℟. Amen.

Oratio

AD te confúgio, sancte Joseph, Patróne moriéntium, tibíque, in cujus beáto tránsitu vígiles adstitérunt Jesus et María, per hoc utrúmque caríssimum pignus, ánimam hujus fámuli N. (fámulæ N.), in extrémo agóne

laborántem, eníxe comménde, ut ab insídiis diáboli, et a morte perpétua, te protegénte, liberétur, et ad gáudia ætérna pervenire mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Si vero anima diutius in mortis agone laboret, Sacerdos infirmum interdum aqua benedicta aspergat, illique Crucifixum ad deosculandum porrigat; porro vel repetantur Litaniæ et Orationes supradictæ, vel super agonizantem legi poterit caput XVII Evangelii S. Joannis incipiendo a verbis : Sublevátis óculis in cælum, Jesus dixit etc. necnon Pássio Dómini nostri Jesu Christi secúndum Joánnem. In illo témpore : Egréssus est Jesus etc. (Joann. XVIII et XIX).

6. Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi.
℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum.

DEus, qui pro redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti, et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári, flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, véstibus éxui, cruci clavis affígi, in cruce levári, inter latrónes deputári, felle et acéto potári, et láncea vulnerári : tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, quas ego indígnus récolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, líbera me (vel si alius dicit pro eo, líbera fámulum tuum N. vel fámulam tuam N.) a pœnis inférni, et perdúcere dignéris quo perduxísti latrónem tecum crucifíxum : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Dici præterea possunt pro agonizante Psalmus 117 Confitémini (ut in die Dominica ad Primam) et Psalmus 118 Beáti immaculáti in via (ut ad Primam Dominicæ) cum interjecto Versu Glória Patri.

7. Tres piæ et morientibus utiles Orationes cum tribus Pater noster, et tribus Ave María, in agone mortis recitandæ.

Primo dicitur : Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster. Ave María.

Oratio

DOmine Jesu Christe, per tuam sanctíssimam agoníam, et oratiónem, qua orásti pro nobis in monte Olivéti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram : óbsecro te, ut multitúdinem sudóris tui sanguínei, quem præ timóris angústia copiosíssime pro nobis effudísti, offérre et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti contra multitúdinem ómnium peccatórum hujus fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), et líbera eum (eam) in hac hora mortis suæ ab ómnibus pœnis et angústiis, quas pro peccátis suis se timet meruísse : Qui cum eódem Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Secundo dicitur : Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster. Ave María.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignátus es in Cruce, óbsecro te, ut omnes amaritúdines passiónum et pœnárum tuárum, quas pro nobis míseris peccatóribus sustinuísti in Cruce, máxime in illa hora, quando sanctíssima ánima tua egréssa est de sanctíssimo córpore tuo, offérre et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.) et líbera eum (eam) in hac hora mortis ab ómnibus pœnis et passiónibus, quas pro peccátis suis se timet meruísse : Qui cum eódem Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tertio dicitur : Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster. Ave María.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixísti : In caritáte perpétua diléxi te, ídeo attráxi te, miserans; óbsecro te, ut eámdem caritátem tuam, quæ te de

cælis in terram ad tolerándas ómnium passiónum tuárum amaritúdines attráxit, offérre et osténdere dignéris Deo Patri omnipoténti pro ánima hujus fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), et líbera eum (eam) ab ómnibus passiónibus et pœnis, quas pro peccátis suis timet se meruísse. Et salva ánimam ejus in hac hora éxitus sui. Aperi ei jánuam vitæ, et fac eum (eam) gaudére cum Sanctis tuis in glória ætérna. Et tu, piíssime Dómine Jesu Christe, qui redemísti nos pretiosíssimo Sánguine tuo, miserére ánimæ hujus fámuli tui (fámulæ tuæ) et eam introdúcere dignéris ad semper viréntia et amœna loca paradísi, ut vivat tibi amóre indivisíbili, qui a te, et ab eléctis tuis numquam separári potest: Qui cum eódem Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Cum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat; vel, si non potest, assistens sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: Jesu, Jesu, Jesu. Quod et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat:

In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

Dómine Jesu Christe, súscipe spíritum meum.

Sancta María, ora pro me.

María, mater grátiæ, mater misericórdiæ, tu me ab hoste prótege, et hora mortis súscipe.

Sancte Joseph, ora pro me.

Sancte Joseph, cum beáta Vírgine Sponsa tua, áperi mihi divínæ misericórdiæ sinum.

Jesu, María, Joseph, vobis cor et ánimam meam dono.

Jesu, María, Joseph, adstáte mihi in extrémo agóne.

Jesu, María, Joseph, in pace vobíscum dórmiam et requiéscam.

Tunc, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana (parœcialis) ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus instantem mortem exspirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint.

9. Egressa anima de corpore, statim dicatur:

℟. Subveníte Sancti Dei, occúrrite Angeli Dómini, * Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te.

℟. Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, et lux perpétua lúceat ei. * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

TIbi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui N. (Fratris nostri) [fámulæ tuæ N. (Soróris nostræ)], ut defúnctus (-a) sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, post nomen N. addatur vox Sacerdótis.

10. Interim campana detur signum transitus Defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Deinde corpus de more honeste curandum, atque habitu Ordinis cum caputio et cingulo induendum, et parva Crux super pectus inter manus Defuncti ponenda est. Si vero defunctus Frater fuerit Sacerdos vel Diaconus, stola violacea ordinis sui super habitum religiosum indui debet. Corpus sic compositum in loco decenti cum lumine collocetur, et prope illud in aliqua mensa vas aquæ benedictæ cum aspersorio ponatur, qua Defuncti corpus interdum

aspergatur. Interim Religiosi Conventus coram corpore defuncti Confratris, donec ad sepulturam efferatur, vigilias successive servare et pro ipsius anima orare studeant.

ARTICULUS V

§ I. Exsequiarum Ordo

1. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, in obitu Religiosorum retineatur, ut Missa, præsente corpore Defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

2. Si quis die festo sit sepeliendus, Missa exsequialis præsente corpore celebrari poterit; dum tamen conventualis Missa et officia divina non impediantur, magnaque diei solemnitas non obstet. Dies autem qui Missam exsequialem impediunt et publicam ac solemnem delationem cadaveris ad ecclesiam, sunt : Festa Nativitatis, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, SS. Cordis Jesu, Corporis Christi et Christi Regis; Festa Conceptionis immaculatæ, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., Dedicationis S. Michaelis Archangeli et Omnium Sanctorum; Festum (19 Mart.) et Solemnitas S. Joseph, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festa Ss. Apost. Petri et Pauli, S. P. N. Francisci; Patronus præcipuus loci, Dedicatio et Titulus ecclesiæ ubi funus peragitur, Triduum Sacrum Majoris Hebdomadæ et tempore expositionis SS. Sacramenti in forma solemni. Item Missa exsequialis prohibetur quoties urgeat obligatio Missæ cujuslibet conventualis vel parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat. Item in ecclesiis unam tantum Missam habentibus in die 2 Februarii, Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum et Vigilia Pentecostes, si fiat benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis baptismalis; in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

3. Corpora Defunctorum in ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus; vel si conduntur in oratoriis, aut capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum Altaria : quod etiam pro situ et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare.

4. Ceterum nemo christianus in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam, aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse.

5. Constituto igitur tempore, quo corpus ad ecclesiam deferendum est, Religiosi in sacristia conveniunt, et distribuuntur cerei

postea accendendi, et in delatione corporis ad ecclesiam gestandi. Datis certis campanæ signis juxta loci consuetudinem, Superior Conventus, ad quem officium Exsequias peragendi pertinet, indutus super amictum et albam stola nigra ac etiam pluviali ejusdem coloris, una cum Religiosis, sed absque sacris Ministris, sub silentio ad locum se confert ubi corpus Defuncti jacet, præcedentibus Acolythis superpelliceis indutis, quorum unus vas aquæ benedictæ cum aspersorio, alter vero medius inter duos Ceroferarios candelabra tenentes Crucem processionalem deferunt.

6. Superior, postquam in eo loco advenit, ad pedes Defuncti consistens, cadaver aqua benedicta aspergit, nihil dicens; deinde alta voce, sed absque cantu, inchoat Antiphonam Si iniquitátes; interim candelæ accenduntur.

Mox subjungit Psalmum 129, quem alternatim cum Religiosis recitat :

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam * dona ei, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat ei.

Celebrans repetit Antiphonam totam :

Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

7. Deinde cadaver effertur, et omnes eodem ordine ad ecclesiam procedunt quo venerant; Celebrans tamen præcedens feretrum gravi voce intonat Antiphonam :



EXsultábunt Dómino.

Duo vero Cantores inchoant Psalmum 50, quem Religiosi alternatim cum debitis pausis prosequuntur :



Mi-se-ré-re ME- i DE- us, * secúndum magnam



mi-se-ricór*di-am* TU- am.

Et secúndum multitúdinem miseratiOnum tuArum : * dele iniqui*tátem* MEam.

Amplius lava me ab iniquiTAte MEa : * et a peccáto *meo* MUNda me.

Quóniam iniquitátem meam Ego coGNOsco : * et peccátum meum contra *me est* SEMper.

Tibi soli peccávi, et malum COram te FEci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum *judi*CAris.

Ecce enim in iniquitátiBUS conCEptus sum : * et in peccátis concépit me *mater* MEa.

Ecce enim veritátem DIleXIsti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifes*tásti* MIhi.

Aspérges me hyssópo, ET munDAbor : * lavábis me, et super nivem *deal*BAbor.

Audítui meo dabis gáudium ET lætTItiam : * et exsultábunt ossa hu*mili*Ata.

Avérte fáciem tuam a pecCAtis MEis : * et omnes iniquitátes *meas* DEle.

Cor mundum crea IN me, DEus : * et spíritum rectum ínnova in viscé*ribus* MEis.

Ne projícias me a FAcie TUa : * et spíritum sanctum tuum ne áu*feras* A me.

Redde mihi lætítiam saluTAris TUi : * et spíritu principá*li con*FIRma me.

Docébo iníquos VIas TUas : * et ímpii ad te *conver*TENtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus saLUtis MEæ : * et exsultábit lingua mea justí*tiam* TUam.

Dómine, lábia MEa aPEries : * et os meum annuntiábit *laudem* TUam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, deDISsem Utique : * holocáustis non *dele*CTAberis.

Sacrificium Deo spíritus conTRIbuLAtus : * cor contrítum et humiliátum, Deus, *non de*SPIcies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte TUa SIon : * ut ædificéntur mu*ri Je*RUsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes et HOloCAUsta : * tunc impónent super altáre *tuum* VItulos.

RéquiEM æTERnam * dona *ei,* DOmine.

Et LUX perPEtua * lú*ceat* Ei.

8. Ad ingressum Celebrantis in ecclesiam cessat Psalmi cantus, et dicto a Cantoribus Réquiem ætérnam, etc. repetitur Antiphona :



Deinde ecclesiam ingressi cantant Responsorium Subveníte, Magistro chori intonante :



Cantores





9. Deposito feretro in medio ecclesiæ, ita ut Defuncti pedes, si fuerit Laicus vel Clericus, sint versus Altare majus; si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare; et cereis circa corpus accensis, statim, nisi quid impediat, dicatur Officium Defunctorum ritu duplici, cum tribus Nocturnis, et Laudibus. In casu autem, quo post delationem cadaveris ad ecclesiam Officium Defunctorum ad aliam horam differri debeat, cantato Responsorio Subvenite,

addantur Kýrie, eléison, Pater noster, ut p. 52 et Oratio Absólve, ut infra, cum conclusione brevi Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde :

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.

10. Ad finem Officii Defunctorum, post repetitam Antiphonam Cantici Benedictus : Ego sum, (vel post Nocturnum vel Nocturnos, si Laudes omittantur) dicitur flexis genibus, cantando ut infra, p. 52 :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. (Fratris nostri) fámulæ tuæ N. (Soróris nostræ) ab omni vínculo delictórum : † ut in resurrectiónis glória * inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitátus (-a) respíret. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, post nomen proprium addatur vox Sacerdótis.

Vel dicatur alia Oratio conveniens, ut infra, pag. 70 et seqq.

Post Orationem, si hæc non dicitur immediate ante Exsequias vel Missam vel Absolutionem, adduntur ℣℣. Réquiem ætérnam et Requiéscant, ut infra, pag. 67.

Omnes Orationes in Exsequiis et in Officio Defunctorum cantantur in tono feriali, id est recto tono, vel in altero tono feriali ad libitum.

Conclusio longa Orationum adhibetur tantummodo in Missa et Officio, extra vero semper brevis.

11. Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro Defuncto, si tempus congruens sit, ut in die depositionis in Missali Romano.

12. Finita Missa, Celebrans, depositis casula seu planeta et manipulo in plano ad cornu Epistolæ, accipit pluviale nigri coloris, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen manipulis. Tum Subdiaconus accipit Crucem, et, præcedentibus duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, accedit ad feretrum, et sistit se cum Cruce ad caput Defuncti, medius inter duos Ceroferarios cum candelabris et candelis accensis; et omnes Religiosi veniunt ordinatim cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri; tum sequitur Celebrans cum Diacono a sinistris aliisque Ministris, et facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes Defuncti, retro adstantibus ei a sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ et aspersorio. Tunc Diacono tenente librum, junctis manibus in tono feriali absolute cantat sequentem Orationem, nulla numeri aut generis facta mutatione, etiamsi pro pluribus aut pro femina dicatur :

NON intres in judícium cum servo tuo, Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális sententia premat, quem tibi vera supplicátio fídei christiánæ comméndat : sed grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret, insignítus est signáculo sanctæ Trinitátis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

13. Deinde Magistro chori incipiente, chorales cantant sequens Responsorium :

1.



LIbe-ra me, Dó- mine, * de morte ætér-


na, in di- e illa tremén- da : * Quando cæ- li
mo- véndi sunt et ter-ra : † Dum vé- ne-
ris ju-di-cá- re sæ- cu-lum per i- gnem.
Cantores
℣. Tremens factus sum ego, et tí- me- o, dum dis-
Chorus
cússi- o vé-ne-rit, at-que ventú-ra i-ra. * Quando
Cantores
cæ- li mo- véndi sunt et ter-ra. ℣. Di- es illa,
di- es i-ræ, ca-lami-tá-tis et mi-sé-ri- æ, di- es ma-
Chorus
gna et amá-ra val- de. † Dum vé- ne-ris

Cantores



Chorus



14. Dum repetitur prædictum Responsorium, Celebrans, Acolytho et Diacono ministrantibus, de more imponit et benedicit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, Magister chori cum primo choro cantat :



Et secundus chorus respondet :



Deinde omnes simul dicunt :



Celebrans :

15. Et secreto completur ab omnibus; et ipse interim accipit a Diacono aspersorium, et facta Altari debita reverentia, Diacono genuflectente eumque comitante a dexteris ac fimbrias pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum, genuflectit), corpus Defuncti, incipiens a sua parte dextera, ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in pede, in medio et in capite; et transiens ante Crucem Subdiaconi profunde se inclinat, Diacono denuo genuflectente; deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat ut asperserat : postea reddito

thuribulo ei a quo acceperat, stans in loco suo, Diacono librum apertum ante eum tenente, dicit junctis manibus :



℣. Et ne nos indúcas in tenta-ti-ónem. ℟. Sed líbe-ra



nos a ma-lo. ℣. A porta ínfe-ri. ℟. Eru-e, Dómine,

ánimam e-jus. ℣. Requi-éscat in pace. ℟. Amen.



℣. Dómine, exáudi o-ra-ti-ónem me-am. ℟. Et cla-



mor me-us ad te véni- at.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. (Fratris nostri) [fámulæ tuæ N., (Soróris nostræ)], quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti, † ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci; * ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gáudia ætérna possídeat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si defunctus Frater fuerit Sacerdos vel Episcopus, in Oratione dicitur : pro ánima fámuli tui N., Fratris nostri, Sacerdótis (vel Epíscopi), quam...

16. Finita hac Oratione, corpus defertur ad sepulchrum si tunc deferendum sit, et quidem eodem modo et ordine quo ad ecclesiam delatum est; et dum portatur vel in eodem loco, si tunc non portetur, chorales cantant Antiphonam :

7.





advéntu suscípi- ant te Mártyres, et perdúcant te



in civi-tátem sanctam Je-rú-sa-lem. Chorus Ange-ló-



rum te sus- cí-pi-at, et cum Láza-ro quondam páupe-

re ætérnam hábe- as réqui- em.

Si longior sit via, cantari quoque possunt Psalmi ex Officio Defunctorum.

17. Cum autem pervenerit ad sepulchrum, feretrum prope illud deponitur omnesque prout in ecclesia infra absolutionem se sistunt; et si sepulchrum nondum sit benedictum, Celebrans illud benedicit, dicens hanc Orationem :

Orémus

Oratio

DEus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, hunc túmulum bene✠dícere dignáre, eíque Angelum tuum sanctum députa custódem : et quorum quarúmque córpora hic sepeliúntur, ánimas eórum ab ómnibus absólve vínculis delíctórum, ut in te semper cum Sanctis

tuis sine fine læténtur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si sepulchrum pro uno tantum inserviat, dicatur : et cujus corpus hic sepelítur, ánimam ejus... lætétur.

Dicta Oratione, Celebrans aqua benedicta aspergit, deinde incensat corpus Defuncti et tumulum.

18. Si vero sepulchrum jam benedictum fuerit, tunc omissa ejusdem benedictione ac etiam aspersione et incensatione corporis et tumuli, Celebrans etiamsi corpus tunc ad sepulturam delatum non fuerit, statim intonat Antiphonam Ego sum et Cantores inchoant Canticum Benedíctus.

2.



E -go sum.

Cantores inchoant Canticum Benedíctus, quod alternatim cum choro decantant.

Canticum Zachariæ



Benedíctus Dóminus, De-us ISra-el : * qui- a vi-si-távit



et fe-cit redempti-ónem ple*bis* SU- æ. Et eré-xit...

Et eréxit cornu salútis NObis, * in domo David púe*ri* SUi.

Sicut locútus est per os sanCTOrum, * qui a sæculo sunt, prophetá*rum* Ejus :

Salútem ex inimícis NOstris, * et de manu ómnium, qui *o*DErunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus NOstris : * et memorári testaménti su*i* SANcti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abráham patrem NOstrum, * datúrum *se* NObis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberATi, * serviámus ILli :

In sanctitáte et justítia coram Ipso, * ómnibus diébus NOstris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi voCAberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias Ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi Ejus, * in remissiónem peccatórum eOrum :

Per víscera misericórdiæ Dei NOstri : * in quibus visitávit nos, óriens *ex* ALto :

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis SEdent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam PAcis.

Réquiem æTERnam * dona ei, DOmine.

Et lux perPEtua * lúceat Ei.

Et repetitur ab omnibus Antiphona :



Postea Sacerdos dicit : Chorus prosequitur :



Interim corpus, quin circumeat, aspergit.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

FAC, quæsumus, Dómine, hanc cum servo tuo defúncto (Fratre nostro) [ancílla tua defúncta (Soróre nostra)] misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui (quæ) tuam in votis ténuit voluntátem : † ut, sicut hic eum (eam) vera fides junxit fidélium turmis; * ita illic eum (eam) tua miserátio sóciet angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Celebrans manu dextera signum Crucis super feretrum faciens cantat :



℣. Réqui- em ✠ ætérnam dona e- i, Dómine. ℟. Et lux

Cantores :



perpétu- a lúce- at e- i. ℣. Requi- éscat in pa-ce.



℟. Amen.

Et Celebrans subjungit :



℣. Anima e-jus et ánimæ ómni- um fidé-li- um de-



19. Postea revertentes a sepultura ad sacristiam eodem ordine quo venerant, Celebrans sine cantu inchoat Antiphonam Si iniquitátes et Psalmum De profúndis, quem Religiosi alternatim gravi voce recitant. In fine Psalmi additur Réquiem ætérnam, etc. in numero plurali, et repetitur ab omnibus tota Antiphona :

Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

Deinde in sacristia Sacerdos, antequam paramentis exuatur, dicit sequentes Preces :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

20. Quod si corpus Defuncti post absolutionem in ecclesia ad sepulchrum non deferatur, tunc dicta Oratione Deus, cui próprium est, etc., et Antiphona In paradísum, Celebrans apud feretrum consistens statim intonat Antiphonam Ego sum, atque cantatur Canticum Benedíctus, etc. cum Versiculis et Oratione, ut supra, et deinde in reditu ad sacristiam recitatur Psalmus De profúndis, et reliqua.

21. Si vero, ob rationabilem causam ex. gr. ob temporis angustiam vel aliorum funerum instantem necessitatem, prædictum Officium Defunctorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non possit, deposito in ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primus Nocturnus cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, incipiendo ab Invitatorio Regem, cui ómnia vivunt. Et postea omnia alia dicantur, quæ supra præscripta sunt dicenda post Officium Defunctorum et Missam.

22. Quod si ob rationabilem causam ne unus quidem Nocturnus sine Laudibus dici possit, aliæ prædictæ preces et suffragia numquam omittantur.

23. Ritus superius descriptus servandus est pro defunctis adultis, tam Clericis quam Laicis, etiam a Diacono Exsequias peragente de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quæ in casu necessitatis legitime præsumitur.

§ II. IN EXSEQUIIS MINISTRI GENERALIS VEL PROVINCIALIS

1. In Exsequiis vero defuncti Ministri Generalis vel Provincialis in ecclesiis suæ jurisdictionis, præsente cadavere, quinque absolutiones per Prælatos Ordinis vel Provinciæ fiunt. Pro quibus quinque scabella ad feretrum apponuntur : quatuor in singulis feretri angulis, quintum ad pedes Defuncti, et scamna pro Ministris.

Finita Missa, Prælatus qui celebravit, prope Altare ad scamnum, depositis planeta et manipulo, accipit pluviale nigrum; et quatuor alii Prælati super amictum, albam et stolam pariter pluviali nigro induti ad Prælatum celebrantem hinc inde accedunt, quocum, omnibus rite dispositis, ad feretrum vadunt hoc ordine : Præcedunt duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula incensi, alter cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; tum Ceroferarii cum candelabris cereisque accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, deferens Crucem; post eam religiosa Communitas, Cæremoniarius et Minister de libro, dein quatuor Prælati; ultimo loco incedet Prælatus celebrans, medius inter Presbyterum assistentem et Diaconum Missæ. Cum

ad feretrum pervenerint, Thuriferarius cum Acolytho aquam benedictam deferente consistunt ad pedes Defuncti a parte sinistra; Ceroferarii vero ac Subdiaconus cum Cruce ibunt ad caput Defuncti; junior Prælatus sedebit in scabello ad humerum sinistrum, secundus in angulo ad humerum dexterum, tertius in angulo ad pedem dexterum, et quartus seu dignior in angulo ad pedem sinistrum, Celebrans vero in scabello ad pedes in medio, ita ut Crucem directe aspiciat. Omnibus sic ordinatis, cum aliquantisper sederit, Celebrans cum ceteris Prælatis surgit et capite detecto, Presbytero assistente librum ante pectus ipsi sustinente, in tono lectionis absolute incipit Orationem :

NON intres in judícium cum servo tuo, Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális sententia premat, quem tibi vera supplicátio fídei christiánæ comméndat : sed grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret, insignítus est signáculo sanctæ Trinitátis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes capite cooperto sedent, exceptis Subdiacono et Ministris inferioribus; Cantores vero incipiunt Responsorium : Subveníte, p. 47.

Incepto Versiculo Réquiem ætérnam, Cæremoniarius Diaconum, Acolythos de thuribulo et aqua benedicta necnon Ministrum de libro ducit ad Prælatum digniorem; qui omnes salutant Prælatum celebrantem a quo discedunt, et digniorem Prælatum ad quem accedunt; et se sistunt Cæremoniarius et Minister de libro ad sinistram Prælati, Diaconus autem ad dexteram ejus, et Acolythi de thuribulo et aqua benedicta ad dexteram Diaconi vel post eum pro loci capacitate. Tunc dignior Prælatus de more imponit et benedicit incensum in thuribulo; finito Responsorio, omnes detectis capitibus surgunt, et Magister chori cum primo choro cantat :



Ký-ri-e e-lé-i-son.

Et secundus chorus respondet :



Christe, e-lé-i-son.

Deinde omnes simul dicunt :



Ký-ri-e e-lé-i-son.

Dignior Prælatus :



Pater noster.

Et secreto completur ab omnibus; interim ipse accipit a Diacono aspersorium, et feretrum, circumcirca, incipiens a sua parte dextera, hoc est ad cornu Epistolæ, ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in pede, in medio et in capite, Diacono a dexteris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et transiens ante alios Prælatos, illos salutat, et similiter Cruci Subdiaconi reverentiam facit. Redux ad locum unde discesserat, Diacono aspersorium reddit, et ibidem ab eodem Diacono thuribulum accipit, feretrum rursum circumit, incensans idipsum eo modo quo asperserat, non prætermissis in transitu ante alios Prælatos salutationibus et Cruci Subdiaconi reverentia. Reddito post thurificationem in manus Diaconi thuribulo, idem Prælatus stans ante suum scabellum, Ministro de libro hunc ante eum sustinente, alta voce dicit :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cui ómnia vivunt, et cui non péreunt moriéndo córpora nostra, sed mutántur in mélius : † te súpplices deprecámur, ut súscipi júbeas ánimam fámuli tui N., Fratris nostri, per manus sanctórum Angelórum tuórum deducéndam in sinum amíci tui Abrahæ Patriárchæ, resuscitandámque in novíssimo judícii magni die; * et quidquid vitiórum, diábolo fallénte, contráxit, tu pius et miséricors ábluas indulgéndo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Qua Oratione finita, omnes sedent capite cooperto, et Cantores pro secunda Absolutione cantant Responsorium : Qui Lazárum, cui additur ℣. sequens :



* Tu e- is.

Incepto Versiculo Réquiem ætérnam, etc. Cæremoniarius Diaconum, Acolythos de thuribulo et aqua benedicta necnon Ministrum de libro ducit ad secundum Prælatum; qui omnes salutant Prælatum digniorem a quo discedunt, Prælatum celebrantem ante quem transeunt et secundum Prælatum ad quem accedunt; et se sistunt uti supra. Tunc secundus Prælatus de more imponit et benedicit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, omnes detectis capitibus surgunt; et Cantores cantant :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie eléison; p. 60.

Deinde secundus Prælatus cantat : Pater noster : quod secreto completur ab omnibus; interim ipse accipit a Diacono aspersorium aquæ benedictæ, et feretrum, circumcirca, incipiens a sua parte dextera, hoc est ad cornu Epistolæ, ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in pede, in medio et in capite, Diacono a dexteris comitante, et limbrias pluvialis sublevante; et transiens ante alios Prælatos, illos salutat, et similiter Cruci Subdiaconi reverentiam facit. Redux ad locum unde discesserat, Diacono aspersorium reddit, et ibidem ab eodem Diacono thuribulum accipit, feretrum rursum circumit, incensans idipsum eo modo quo asperserat, non prætermissis in transitu ante alios Prælatos salutationibus et Cruci Subdiaconi reverentia. Reddito post thurificationem in manus Diaconi thuribulo, idem Prælatus stans ante suum scabellum, Ministro de libro hunc ante eum sustinente, alta voce dicit :

℣. Et ne nos indúcas, etc. ut supra, p. 61.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

FAC, quæsumus, Dómine, hanc cum servo tuo N., Fratre nostro, defúncto misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui tuam in votis ténuit voluntátem : † ut sicut hic eum vera fides junxit fidélium turmis; * ita eum illic tua miserátio sóciet Angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Qua Oratione finita, omnes sedent capite cooperto, et Cantores pro tertia Absolutione cantant Responsorium :





Incepto Versiculo Réquiem ætérnam, etc. Cæremoniarius Diaconum, Acolythos de thuribulo et aqua benedicta necnon Ministrum de libro ducit ad tertium Prælatum, quem omnes salutant; et se sistunt uti supra. Tunc tertius Prælatus de more imponit et benedicit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, omnes detectis capitibus surgunt; et Cantores cantant :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. p. 60.

Deinde tertius Prælatus cantat : Pater noster : quod secreto completur ab omnibus; interim ipse accipit a Diacono aspersorium aquæ benedictæ, et feretrum, circumcirca, incipiens a sua parte dextera ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in capite, in medio et in pede, Diacono a dexteris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et transiens ante alios Prælatos, illos salutat, et similiter Cruci Subdiaconi reverentiam facit. Redux ad locum unde discesserat, Diacono aspersorium reddit, et ibidem ab eodem Diacono thuribulum accipit, feretrum rursum circumit, incensans idipsum eo modo quo asperserat, non prætermissis in transitu ante alios Prælatos salutationibus et Cruci Subdiaconi reverentia. Reddito post thurificationem in manus Diaconi thuribulo, idem Prælatus stans ante suum scabellum, Ministro de libro hunc ante eum sustinente, alta voce dicit :

℣. Et ne nos indúcas, etc. ut supra, p. 61.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : † ut ánimam fámuli tui N., Fratris nostri, quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, * et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Qua Oratione finita, omnes sedent capite cooperto, et cantores pro quarta Absolutione cantant Responsorium :

Resp. 6.



Incepto Versiculo Réquiem ætérnam, etc., Cæremoniarius Diaconum, Acolythos de thuribulo et aqua benedicta necnon Ministrum de libro ducit ad quartum seu juniorem Prælatum, cum reverentia Cruci Subdiaconi in transitu ante eam, et salutatione ejusdem Prælati; et se sistunt uti supra. Tunc quartus Prælatus de more

imponit et benedicit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, omnes detectis capitibus surgunt, et Cantores cantant :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie eléison, p. 60.

Deinde quartus Prælatus cantat Pater noster : quod secreto completur ab omnibus; interim ipse accipit a Diacono aspersorium aquæ benedictæ, et feretrum, circumcirca, incipiens a sua parte dextera, ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in capite, in medio et in pede, Diacono a dexteris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et transiens ante Crucem Subdiaconi reverentiam facit, et similiter alios Prælatos salutat. Redux ad locum unde discesserat, Diacono aspersorium reddit, et ibidem ab eodem Diacono thuribulum accipit, feretrum rursum circumit, incensans idipsum eo modo quo asperserat, non prætermissis in transitu ante Crucem Subdiaconi reverentia et ante alios Prælatos salutationibus. Reddito post thurificationem in manus Diaconi thuribulo, idem Prælatus stans ante suum scabellum, Ministro de libro hunc ante eum sustinente, cantat :

℣. Et ne nos indúcas, etc. ut supra, p. 61.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N., Fratris nostri, Sacerdótis, ab omni vínculo delictórum : † ut in resurrectiónis glória * inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitátus respíret. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Qua Oratione finita, omnes sedent capite cooperto, et Cantores pro quinta Absolutione cantant Responsorium : Libera me, p. 50.

Incepta repetitione Responsorii, Cæremoniarius Presbyterum assistentem, Diaconum, Acolythos de thuribulo et aqua benedicta necnon Ministrum de libro ducit ad Prælatum celebrantem, quem omnes salutant; et se sistunt uti supra. Tunc Prælatus celebrans de more imponit et benedicit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, omnes detectis capitibus surgunt; et Cantores cantant :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison, p. 60.

Deinde Prælatus celebrans cantat Pater noster : quod secreto completur ab omnibus; interim ipse accipit a Diacono asper-

sorium aquæ benedictæ, et feretrum, circumcirca, a sua parte dextera, ter aspergit in quamlibet partem lateralem, scilicet in pede, in medio et in capite, Diacono a dexteris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et transiens ante alios Prælatos, illos salutat, et similiter Cruci Subdiaconi reverentiam facit. Redux ad locum unde discesserat, Diacono aspersorium reddit, et ibidem ab eodem Diacono thuribulum accipit, feretrum rursum circumit, incensans idipsum eo modo quo asperserat, non prætermissis in transitu ante alios Prælatos salutationibus et Cruci Subdiaconi reverentia. Reddito post thurificationem in manus Diaconi thuribulo, idem Prælatus stans ante suum scabellum, Presbytero assistente librum apertum ante eum sustinente, cantat :

℣. Et ne nos indúcas, etc. ut supra, p. 61.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N., Fratris nostri, Sacerdótis, ut defúnctus sæculo tibi vivat : † et quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, * tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde idem Prælatus benedicens manu dextera feretrum dicit :

℣. Réquiem ✠ ætérnam dona ei, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Tunc duo Cantores dicunt alta voce :



℣. Requi-éscat in pa-ce. ℟. Amen.

Quibus peractis, omnes eo ordine quo venerant, ad sacristiam revertuntur, ubi sacras vestes deponunt. Reliqua autem circa sepulturam Defuncti fiunt ut supra n. 16, p. 54 seq.

CAPUT IV

RITUS ABSOLUTIONIS AD TUMULUM

POST MISSAM PRO DEFUNCTIS ABSENTE CORPORE DEFUNCTI

1. Absolutio ad tumulum peragenda est, quando fiunt Exsequiæ absente corpore Defuncti vel celebratur Missa de Requie die opportuniori post acceptum nuntium de obitu, atque in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario ejusdem; præterea in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tam universalis Ecclesiæ quam Ordinis nostri, necnon illis diebus, quibus juxta Rubricas nostras peculiares quatuor Officia generalia Defunctorum persolvuntur; demum post alias quoque Missas de Requie, quando ex legato vel mandato eleemosynam offerentium fuerit præscripta.

2. Post Missam, Celebrans deponit planetam et manipulum in plano ad cornu Epistolæ, accipit pluviale nigri coloris, et, præcedentibus duobus Acolythis, uno cum navicula incensi et thuribulo, altero cum vasculo aquæ benedictæ, et aspersorio cum Rituali, post eos Subdiacono cum Cruce, et duobus Ceroferariis cum luminaribus accensis, et Clero, accedit cum Diacono a sinistris ad locum tumuli. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria; Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare et tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat; a sinistris ejus Diaconus, et prope eum alii duo Acolythi deferentes thuribulum et vas aquæ benedictæ. Tunc, omissa Oratione Non intres, etc., a Clero circumstante cantatur ℟. Líbera me, Dómine, etc., ut supra, pag. 50. Interim ministratur incensum, imponitur in thuribulum, et benedicitur.

3. Postea dicitur :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie eléison, p. 60.

Mox Sacerdos dicit : Pater noster, quod dum secreto continuatur, accipit aspersorium, et circuit tumulum aspergens, atque incensans eodem modo ac supra dictum est.

Postea dicit :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus (ánimas eórum).

℣. Requiéscat (-ant) in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N., [Fratris nostri (Sacerdótis)] [fámulæ tuæ N. (Soróris nostræ)] ab omni vínculo delictórum: † ut in resurrectiónis glória * inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitátus (-a) respíret. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Quando absolutio ad tumulum pro pluribus Defunctis peragitur, Oratio et Versiculi eam præcedentes et subsequentes in numero plurali dicuntur.

Si hæc Oratio dicitur pro defuncto Fratre primi aut tertii (etiam sæcularis) Ordinis nostri, verbis fámuli tui N. addatur Fratris nostri; similiter quando dicitur pro defuncta Moniali secundi vel Sorore tertii (etiam sæcularis) Ordinis, verbis fámulæ tuæ N. addatur Soróris nostræ; quod in aliis quoque Orationibus pro defuncto Fratre aut Sorore ex familia Seraphica attendendum est.

Loco præfatæ Orationis assumi potest pro absolutione eadem Oratio quæ dicta est in Missa, vel alia conveniens ex iis, quæ infra habentur, p. 70 seq.

4. Completa Oratione, Celebrans, faciens Crucem manu dextera super tumulum, dicit :

℣. Réquiem ✠ ætérnam dona ei (eis), Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei (eis).

Tunc duo Cantores cantant ut supra, p. 67.

℣. Requiéscat (-ant) in pace.
℟. Amen.

Celebrans vero subjungit :

℣. Anima ejus (Animæ eórum) et ánimæ ómnium fidélium Defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

5. Quibus persolutis, omnes in sacristiam, Cruce præcedente, revertuntur, et Celebrans voce submissa sed intelligibili dicit : Si

iniquitátes; deinde alternatim cum Religiosis recitat Psalmum De profúndis cum subsequentibus Precibus et Oratione, sicut habentur in ordine Exsequiarum, pag. 58.

In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum et quando alias absolutio pro omnibus fidelibus Defunctis peragitur, in fine absolutionis ℣. Animæ eórum, etc., Psalmus De profúndis et Preces subsequentes in reditu ad sacristiam omittuntur.

ORATIONES DIVERSÆ
PRO DEFUNCTIS IN ABSOLUTIONE AD TUMULUM

Pro defuncto Summo Pontifice

Oratio

DEus, qui inter Summos Sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dispositióne connumerári voluísti : † præsta, quæsumus; ut qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, * sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro defuncto Episcopo

Oratio

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N., (Fratrem nostrum), pontificáli fecísti dignitáte vigére : † præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro defuncto Episcopo Cardinali dicatur : fámulum tuum N., (Fratrem nostrum), Epíscopum Cardinálem pontificáli fecísti dignitáte, etc.

Pro Presbytero Cardinali qui consecrationem episcopalem accepit, dicatur : fámulum tuum N., (Fratrem nostrum), Presbýterum Cardinálem pontificáli fecísti dignitáte, etc.

Pro Presbytero Cardinali dicatur : fámulum tuum N., (Fratrem nostrum), Presbýterum Cardinálem sacerdotáli, etc.

Pro Diacono Cardinali, qui charactere episcopali vel sacerdotali est insignitus, dicatur : fámulum tuum N., (Fratrem nostrum), Diáconum Cardinálem pontificáli (vel sacerdotáli) fecísti dignitáte, etc.

Pro Diacono autem Cardinali, dicatur Oratio : Inclína, Dómine, etc., quæ habetur paulo infra; hoc modo : ut ánimam fámuli tui N., (Fratris nostri), Diáconi Cardinális, quam de hoc sæculo, etc.

Pro defuncto Sacerdote

Oratio

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N., (Fratrem nostrum) sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : † præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Vel alia Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui N. (Fratris nostri), Sacerdótis, † quem in hoc sæculo commorántem sacris munéribus decorásti, * in cælésti sede gloriósa semper exsúltet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro uno Defuncto

Oratio

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : † ut ánimam fámuli tui N., (Fratris nostri), quam de hoc sæculo migráre jussísti, * in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro una Defuncta

Oratio

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N., (Soróris nostræ); † et a contágiis mortalitátis exútam, * in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro defuncto patre (vel matre) Religiosi nostri

Oratio

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti : † miserére cleménter ánimæ patris (matris) Fratris nostri, ejúsque peccáta dimítte : * nosque eum (eam) in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro pluribus Defunctis

Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum : † ut in resurrectiónis glória * inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In anniversario unius Defuncti vel Defunctæ

Oratio

DEus, indulgentiárum Dómine : † da ánimæ fámuli tui (fámulæ tuæ) N., [Fratris nostri (Soróris nostræ)], cujus anniversárium depositiónis diem commemorámus, * refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In anniversario plurium Defunctorum

Oratio

DEus, indulgentiárum Dómine : † da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus,* refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In Officiis generalibus

Pro defunctis Confratribus, propinquis et benefactoribus Ordinis nostri

Oratio

DEus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor : † quæsumus cleméntiam tuam ; ut nostræ congregatiónis Fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc

sæculo transiérunt, * beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In quarto Officio generali

Pro defunctis parentibus Fratrum

Oratio

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti: † miserére cleménter animábus paréntum nostrórum, eorúmque peccáta dimítte; * nosque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In Officio generalissimo

In Commemoratione Omnium Defunctorum Seraphici Ordinis

Oratio

DEus, indulgentiárum Dómine : † da animábus Fratrum, Sorórum, propinquórum et benefactórum nostrórum, quorum anniversárium diem commemorámus, * refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum

Oratio

FIdélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor : animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; † ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, * piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

TITULUS II

PRECES, HYMNI ET LITANIÆ IN VARIIS FUNCTIONIBUS ET NECESSITATIBUS

CAPUT I

ORDO AD FACIENDAM ET ASPERGENDAM AQUAM BENEDICTAM

DIEBUS Dominicis, et quandocumque opus fuerit, præparato sale et aqua munda benedicenda in ecclesia, vel in sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

2. Deinde absolute incipit exorcismum salis.

EXorcízo te, creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum : per Deum, qui te per Elisæum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ : ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium; et sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ et córporis; et effúgiat, atque discédat a loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, omnísque spíritus immúndus, adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

IMménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene ✠ dícere, et san-

cti ✠ ficáre tua pietáte dignéris : ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; et quidquid ex eo tactum, vel respérsum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne spiritális nequítiæ. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ : et dicitur absolute :

EXorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti : ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi : qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEus, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti : adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde; ut creatúra tua, mystériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos divínæ grátiæ sumat efféctum; ut quidquid in dómibus vel in locis fidélium hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa : non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens : discédant omnes insídiæ laténtis inimíci; et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium invidet, aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat : ut salúbritas per invocatiónem sancti tui Nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum nostrum, etc. ℟. Amen.

3. Hic ter mittat sal in aquam in modum Crucis, dicendo semel :

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii Rex, ac semper magníficus triumphátor : qui advérsæ dominatiónis vires réprimis: qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas : qui hostíles nequítias poténter expúgnas : te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur, ac pétimus : ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter aspícias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sanctífices; ut, ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatiónem sancti Nóminis tui, omnis infestátio immúndi spíritus abigátur : terrórque venenósi serpéntis procul pellátur : et præséntia Sancti Spíritus nobis, misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adésse dignétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

4. Sacerdos Missam conventualem diebus Dominicis celebraturus, super amictum, albam et stolam pluviali coloris Officio convenientis indutus, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus etiam Tempore Paschali, accipit a Diacono aspersorium, et primo ter aspergit Altare, deinde se, et erectus sacros Ministros, incipiens Antiphonam : Aspérges me. Et chorales prosequuntur : Dómine, hyssópo, etc. Interim Celebrans aspergit Religiosos in choro : deinde populum, dicens submissa voce cum sacris Ministris Psalmum Miserére mei, Deus.



A spér-ges me. vel : Aspérges me. vel : Aspérges me.

Ant. Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Ps. 50. Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam. Glória Patri. Et repetitur Ant. Aspérges me.

Tempore Paschali dicitur :



Ant. Vidi aquam egrediéntem de templo, a látere dextro, allelúia : et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent : allelúia, allelúia.

Ps. 117. Confitémini Dómino quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus. Glória Patri. Et repetitur Ant. Vidi aquam.

In die sancto Paschæ, et Pentecostes, ubi est fons Baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi, et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta.

5. Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos qui aspersit aquam, reversus ad Altare, stans ante gradus Altaris junctis manibus dicat :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
Tempore Paschali additur : Allelúia.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ✝ et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, * qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque défendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT II

LITANIÆ SS. NOMINIS JESU

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Jesu, Fili Dei vivi, miserére nobis.
Jesu, splendor Patris, miserére.
Jesu, candor lucis ætérnæ, miserére.
Jesu, rex glóriæ, miserére.
Jesu, sol justítiæ, miserére.
Jesu, Fili Maríæ Vírginis, miserére.
Jesu amábilis, miserére.
Jesu admirábilis, miserére.
Jesu, Deus fortis, miserére.
Jesu, pater futúri sæculi, miserére.
Jesu, magni consílii ángele, miserére.
Jesu potentíssime, miserére.
Jesu patientíssime, miserére.
Jesu obedientíssime, miserére.
Jesu, mitis et húmilis corde, miserére nobis.
Jesu, amátor castitátis, miserére.
Jesu, amátor noster, miserére.
Jesu, Deus pacis, miserére.
Jesu, auctor vitæ, miserére.
Jesu, exémplar virtútum, miserére.
Jesu, zelátor animárum, miserére.
Jesu, Deus noster, miserére.
Jesu, refúgium nostrum, miserére.
Jesu, pater páuperum, miserére.
Jesu, thesáure fidélium, miserére.
Jesu, bone pastor, miserére.
Jesu, lux vera, miserére.
Jesu, sapiéntia ætérna, miserére.
Jesu, bónitas infiníta, miserére.
Jesu, via et vita nostra, miserére.
Jesu, gáudium Angelórum, miserére.
Jesu, rex Patriarchárum, miserére.
Jesu, magíster Apostolórum, miserére.
Jesu, doctor Evangelistárum, miserére.

Jesu, fortitúdo Mártyrum, miserére.
Jesu, lumen Confessórum, miserére.
Jesu, púritas Vírginum, miserére.
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, miserére.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.
Propítius esto, exáudi nos, Jesu.
Ab omni malo, líbera nos, Jesu.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per infántiam tuam, líbera.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera.
Per labóres tuos, líbera nos, Jesu.
Per agoníam et passiónem tuam, líbera.
Per crucem et derelictiónem tuam, líbera nos, Jesu.
Per languóres tuos, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per resurrectiónem tuam, líbera.
Per ascensiónem tuam, líbera.
Per sanctíssimæ Eucharístiæ institutiónem tuam, líbera.
Per gáudia tua, líbera.
Per glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exáudi nos.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui dixísti : Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : quæsumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affléctum, ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua numquam laude cessémus.

SAncti Nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum: quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

CAPUT III

LITANIÆ SACRATISSIMI CORDIS JESU

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Cor Jesu, Fílii Patris ætérni, miserére nobis.
Cor Jesu, in sinu Vírginis Matris a Spíritu Sancto formátum, miserére.
Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unítum, miserére.
Cor Jesu, majestátis infinítæ, miserére.
Cor Jesu, templum Dei sanctum, miserére.
Cor Jesu, tabernáculum Altíssimi, miserére.
Cor Jesu, domus Dei et porta cæli, miserére.
Cor Jesu, fornax ardens caritátis, miserére.
Cor Jesu, justítiæ et amóris receptáculum, miserére.
Cor Jesu, bonitáte et amóre plenum, miserére.
Cor Jesu, virtútum ómnium abýssus, miserére.
Cor Jesu, omni laude dignissimum, miserére.
Cor Jesu, rex et centrum ómnium córdium, miserére nobis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, miserére.
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére.
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, miserére.
Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes nos accépimus, miserére.
Cor Jesu, desidérium cóllium ætérnórum, miserére.
Cor Jesu, pátiens et multæ misericórdiæ, miserére.
Cor Jesu, dives in omnes qui ínvocant te, miserére.
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitátis, miserére.
Cor Jesu, propitiátio pro peccátis nostris, miserére.
Cor Jesu, saturátum oppróbriis, miserére.

Cor Jesu, attritum propter scélera nostra, miserére.
Cor Jesu, usque ad mortem obédiens factum, miserére.
Cor Jesu, láncea perforátum, miserére.
Cor Jesu, fons totíus consolatiónis, miserére.
Cor Jesu, vita et resurréctio nostra, miserére.
Cor Jesu, pax et reconciliátio nostra, miserére.
Cor Jesu, víctima peccatórum, miserére nobis.
Cor Jesu, salus in te sperántium, miserére.
Cor Jesu, spes in te moriéntium, miserére.
Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Jesu, mitis et húmilis Corde.
℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus

Oratio

OMnipotens sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iisque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, in nómine ejúsdem Fílii tui Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

CAPUT IV

LITANIÆ LAURETANÆ B. MARIÆ VIRGINIS

CUM ALIIS PRECIBUS RECITARI SOLITIS

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater purissima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater boni consílii, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.
Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora.
Rosa mýstica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Jánua cæli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Consolátrix afflictórum, ora.
Auxílium Christianórum, ora.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe originali concépta, ora.
Regína sacratíssimi Rosárii, ora.

Regína pacis, ora pro nobis.
Regína Ordinis Minórum, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ.
℟. Et concépit de Spíritu Sancto.

Orémus Oratio

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

A Nativitate usque ad Purificationem

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.
℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Orémus Oratio

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti : tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

A Purificatione usque ad Pascha, et post Tempus Paschale usque ad Adventum Domini :

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

CONcéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne,

a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tempore Paschali

℣. Gaude et lætáre, Virgo María, allelúia.
℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus — Oratio

DEus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta quæsumus; ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ROSARIUM SERAPHICUM

1. Rosarium Seraphicum vel Corona Franciscana septem decadibus constat, quarum singulæ ex uno Pater noster et decem Ave María componuntur; in fine septimæ decadis laudabiliter duo Ave María adduntur; et tandem unum Pater et Ave pro Summo Pontifice recitari debet. Meditatio mysteriorum non requiritur pro indulgentiis lucrandis, nec recitatio continuata septem decadum.

2. In recitatione hujus Coronæ per singulas decades unum ex septem Gaudiis Immaculatæ Patronæ nostræ pia meditatione colimus (quamvis pro indulgentiis non requiratur), quem in finem, secundum consuetudinem regionum, respectiva mysteria vel unicuique decadi præmittuntur, vel in salutatione Angelica post verbum Jesus breviter inseruntur.

Modus primus

In primo mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum Gabriel Archangelus ei annuntiavit, quod Filium Dei de Spiritu Sancto erat conceptura et in Virginitate semper permansura.

In secundo mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum in Visitatione Elisabeth eam ut beatam Matrem Dei prædicavit.

In tertio mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum Virginitatis gloria permanente, Salvatorem mundi in Bethlehem genuit et reclinatum in præsepio adoravit.

In quarto mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum Magi vera fide illuminati divinum ipsius Infantem adoraverunt et ei aurum, thus et myrrham obtulerunt.

In quinto mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum post triduum invenit puerum suum Jesum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos.

In sexto mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum Jesus post resurrectionem suam ei gloriosus apparuit, ut eam pro multitudine dolorum suorum cælestibus consolationibus repleret.

In septimo mysterio contemplamur gaudium, quo immaculatum cor Mariæ exsultavit, quum a divino Filio suo in cælum assumpta, atque Regina cæli et terræ coronata est.

Modus secundus

1. Quem cum gaudio de Spiritu Sancto concepisti.
2. Quem cum gaudio ad Elisabeth portasti.
3. Quem cum gaudio peperisti.
4. Quem cum gaudio tribus Magis adorandum exhibuisti.
5. Quem cum gaudio in Templo invenisti.
6. Quem cum gaudio prima a mortuis resuscitatum vidisti.
7. Qui te cum gaudio in cælum assumpsit et Reginam cæli et terræ coronavit.

CAPUT V

LITANIÆ DE S. JOSEPH

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Proles David ínclyta, ora.
Lumen Patriarchárum, ora.
Dei Genitrícis sponse, ora.
Custos pudíce Vírginis, ora pro nobis.
Fílii Dei nutrítie, ora.
Christi defénsor sédule, ora.
Almæ Famíliæ præses, ora.
Joseph justíssime, ora.
Joseph castíssime, ora.
Joseph prudentíssime, ora pro nobis.
Joseph fortíssime, ora.
Joseph obedientíssime, ora.
Joseph fidelíssime, ora.
Spéculum patiéntiæ, ora.
Amátor paupertátis, ora.
Exémplar opíficum, ora.
Doméstícæ vitæ decus, ora.
Custos vírginum, ora.
Familiárum cólumen, ora.
Solátium miserórum, ora.
Spes ægrotántium, ora.
Patróne moriéntium, ora.
Terror dæmonum, ora.
Protéctor sanctæ Ecclésiæ, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ.
℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Orémus . Oratio

DEus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta, quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio ad sanctum Joseph,

post Rosarium B. M. V. recitari solita

AD Te, beáte Joseph, in tribulatióne nostra confúgimus, atque imploráto Sponsæ tuæ sanctíssimæ auxílio, patrocínium quoque tuum fidénter expóscimus. Per eam, quæsumus, quæ Te cum Immaculáta Vírgine Dei Genitríce conjúnxit, caritátem, perque patérnum, quo Púerum Jesum ampléxus es, amórem, súpplices deprecámur, ut ad hæreditátem, quam Jesus Christus acquisívit sánguine suo, benígnus respícias, ac necessitátibus nostris tua virtúte et ope succúrras.

Tuére, o Custos providentíssime divínæ Famíliæ, Jesu Christi sóbolem eléctam; próhibe a nobis, amantíssime Pater, omnem errórum ac corruptelárum luem; propítius nobis, sospitátor noster fortíssime, in hoc cum potestáte tenebrárum certámine a cælo adésto; et sicut olim Púerum Jesum e summo eripuísti vitæ discrímine, ita nunc Ecclésiam sanctam Dei ab hostílibus insídiis atque ab omni adversitáte defénde, nosque síngulos perpétuo tege patrocínio, ut ad tui exémplar et ope tua suffúlti, sancte vívere, pie émori, sempiternámque in cælis beatitúdinem ássequi possímus. ℟. Amen.

CAPUT VI

RESPONSORIUM DE B. P. N. FRANCISCO

Francisce quali cuspide

7. F Rancísce, qua-li cúspi-de * Te vulne-rátum cér-

nimus, Qua-li rení-dent grá-ti-a Tu-a ter be-á-ta

Stígma-ta.

℟. Ipsum precá-re, quæsumus, Tanti dató-rem mú-

ne-ris, Nos ut su-órum Vúlnerum Cru-óre sancto

nútri-at.

Cantores

℣. Tu vana temnens ómni-a, Magnísque Jesum



pássibus Secútus, hæc dul-císsimi Re-fers amó-ris

Chorus



prǽmi- a. ℟. Ipsum.

Cantores



℣. Gló-ri-a Patri, et Fí-li- o, et Spi-rí-tu- i San-

Chorus



cto. ℟. Ipsum.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater noster Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam, beáti Patris nostri Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis; ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT VII

RESPONSORIUM DE S. ANTONIO

Si quæris miracula

1.



S I quæ-ris mi-rá- cu-la : * Mors, error, ca-lá-



mi-tas, Dæmon, lepra fúgi-unt, Ægri surgunt sa-ni.



℟. Cedunt mare, víncu-la ; Membra resque pérdi-tas

Cantores



Petunt et accípi-unt Júvenes et ca-ni. ℣. Pér-e-unt



per-ícu-la, Ces-sat et ne-céssi-tas : Narrent hi qui sén-

Chorus Cantores



ti-unt, Di-cant Padu-á-ni. ℟. Cedunt. Gló-ri-a Patri,

Chorus



et Fí- li- o, et Spi-rí- tu- i Sancto. ℟. Cedunt.

℣. Ora pro nobis, beáte Antóni.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

ECclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui deprecátio votíva lætíficet : † ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, * et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT VIII

PRO INVOCATIONE SPIRITUS SANCTI

Veni Creator

8.

V E- ni, Cre- á- tor Spí-ri-tus, * Mentes tu- ó-
2. Qui dí- ce-ris Pa- rácli-tus, Altís- simi



1. rum ví- si-ta : Imple su- pérna grá-ti- a Quæ
2. do- num De- i, Fons vi-vus, ignis, cá-ri-tas, Et

1. tu cre- ásti pé-ctora. 3. Tu se-pti- fórmis mú-ne-
2. spi- ri-tá-lis úncti-o. 4. Accénde lu-men sénsi-

3. re, Dígitus pa-térnæ déxteræ, Tu ri- te promís-
4. bus, Infúnde amó- rem córdibus, Infírma nostri

3. sum Patris, Sermóne di- tans gút-tu-ra.
4. cór- po-ris Vir-tú-te firmans pérpe-ti.

5. Ho-stem re-pél-las lóngi- us, Pa- cémque do-
6. Per te sci- ámus da Patrem, No- scá- mus at-
7. De- o Patri sit gló- ri- a, Et Fí- li- o

5. nes pró-ti-nus : Du- ctó-re sic te prævi- o,
6. que Fí- li- um, Teque utri- úsque Spí-ri-tum
7. qui a mórtu- is Sur- ré-xit, ac Pa- rácli-to

5. Vi- témus omne nó- xi-um.
6. Cre- dámus omni témpore.
7. In sæ-cu- ló- rum sæ- cu-la. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus **Oratio**

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT IX

PRO GRATIARUM ACTIONE

Te Deum I (Tonus solemnis)

3.

TE De-um laudámus: * te Dóminum confi-té-



mur. Te ætérnum Patrem omnis terra vene-rá- tur.



Tibi omnes Ange- li, tibi cæ-li et univérsæ Pot-e-



stá- tes : Tibi Chérubim et Sé-raphim incessábi-li



voce proclá-mant : Sanctus : Sanctus : Sanctus Dó-



minus De-us Sába- oth. Pleni sunt cæ-li et terra ma-



jestá-tis gló-ri-æ tu- æ. Te glo-ri- ósus Aposto-ló-

rum cho- rus : Te Prophe-tárum laudábi-lis núme-



rus : Te Mártyrum candidá-tus laudat exérci-tus.

Te per orbem terrárum sancta confi-tétur Eccle-si- a :



Patrem imménsæ ma-jestá- tis : Venerándum tu-um

verum et únicum Fí-li- um : Sanctum quoque Pa-

rácli-tum Spí-ri-tum. Tu Rex gló- ri-æ, Chri-ste. Tu

Patris sempi-térnus es Fí-li- us. Tu, ad libe-rándum

susceptúrus hómi- nem, non horru- ísti Vírgi-nis úte-



rum. Tu, devícto mortis acú- le- o, aperu- ísti cre-



déntibus regna cæló-rum. Tu ad déxteram De-i se-

des, in gló-ri-a Pa-tris. Judex créde-ris es-se ven-



tú-rus. Te ergo quæsumus, tu-is fámu-lis súbve-



ni, quos pre-ti-óso Sánguine redemí-sti. Ætérna



fac cum Sanctis tu-is in gló-ri-a numerá- ri. Sal-



vum fac pópulum tu-um, Dómine, et bénedic he-

re-di-tá-ti tu- æ. Et re-ge e-os, et extól-le il-

los usque in ætér-num. Per síngu-los di- es be-



ne-dí-cimus te. Et laudámus nomen tu-um in sæ-



cu- lum, et in sæ-culum sæcu-li. Digná-re, Dómine,

di- e i-sto sine peccáto nos custodí- re. Mi-se-ré-re



nostri, Dómi- ne, mi-se-ré-re nostri. Fi- at mi-se-ricór-



di- a tu-a, Dómine, su-per nos, quemádmodum spe-rá-



vimus in te. In te, Dómine, sperá- vi : * non con-



fúndar in ætér- num.

Te Deum II (Juxta morem Romanum)

3.

T E De-um laudámus : * te Dóminum confi-té-

mur. Te ætérnum Pa-trem omnis terra vene-rá-tur.


Tibi omnes Ange-li, tibi cæ-li et univérsæ Pote-
stá-tes : Tibi Chérubim et Sé-raphim incessábi-li vo-
ce proclámant : San- ctus : San- ctus : Sanctus Dómi-
nus De-us Sá-ba-oth. Pleni sunt cæ-li et ter-ra
ma-jestá-tis gló-ri-æ tu-æ. Te glo-ri-ó- sus Aposto-
lórum cho-rus : Te Prophe-tá- rum laudábi-lis nú-
me-rus : Te Mártyrum candidá- tus laudat exérci-tus.
Te per orbem terrá- rum sancta confi-tétur Eccle-
si-a : Patrem imménsæ ma-jestá- tis : Venerándum

tu-um ve- rum et únicum Fí- li-um : Sanctum quo-



que Pa-rácli-tum Spí-ri-tum. Tu Rex gló-ri-æ, Chri-

ste. Tu Patris sempi-térnus es Fí- li-us. Tu, ad li-



berándum susceptúrus hóminem, non horru-ísti Vír-



ginis ú-terum. Tu,devícto mortis acú-le-o, aperu-í-



sti credéntibus regna cæ-ló-rum. Tu ad déxte-ram

De-i se- des, in gló-ri-a Pa-tris. Ju-dex créde-ris



esse ventú-rus. Te ergo quæsumus, tu- is fámu-lis



súbveni, quos pre-ti- óso Sánguine redemí-sti. Ætér-



na fac cum Sanctis tu-is in gló-ri-a nume-rá- ri.



Salvum fac pópulum tu-um Dómine, et bénedic



here-di-tá-ti tu- æ. Et re-ge e-os, et extól-le



illos usque in ætér-num. Per síngulos di- es



bene-dí-cimus te. Et laudámus nomen tu-um in sǽ-



culum, et in sǽ-culum sǽcu-li. Digná-re, Dómine,



di-e i-sto sine peccáto nos custodí- re. Mi-seré-re



nostri, Dómine, mi-se-ré-re nostri. Fi-at mi-se-ricór-



di-a tu-a, Dómine, super nos, quemádmodum spe-rá-

vimus in te. In te, Dómine, spe-rá- vi : * non con-

fúndar in ætér- num.

Te Deum III (Tonus simplex)

3.

TE De-um laudámus : * te Dóminum confi-té-



mur. Te ætérnum Patrem omnis terra venerá-tur.



Tibi omnes Ange-li, tibi cæ-li et univérsæ Pot-e-



stá-tes : Tibi Chérubim et Sé-raphim incessábi-li vo-

ce proclámant : Sanctus : Sanctus : Sanctus Dóminus

De-us Sába-oth. Pleni sunt cæ-li et terra ma-jestá-tis

glóri-æ tu- æ. Te glo-ri-ósus Aposto-lórum cho-rus :

Te Prophe-tárum laudábi-lis número rus : Te Mártyrum



candidátus laudat exércitus. Te per orbem terrárum



sancta confi-té-tur Eccle-si-a : Patrem imménsæ

ma-jestá-tis : Venerándum tu-um verum et únicum



Fí-li-um : Sanctum quoque Pa-ráclitum Spí-ritum.



Tu Rex gló-ri-æ, Chri-ste. Tu Patris sempitérnus es



Fí-li-us. Tu, ad libe-rándum susceptúrus hóminem,



non horru-ísti Vírgi-nis úte-rum. Tu, devícto mortis



acú-le-o, aperu- ísti credéntibus regna cæló-rum.



Tu ad déxte-ram De- i sedes, in gló-ri-a Pa-tris.



Judex créde-ris esse ventú-rus. Te ergo quæsumus,



tu- is fámu-lis súbveni, quos pre-ti- óso Sánguine red-

emí-sti. Ætérna fac cum Sanctis tu- is in gló-



ri- a numerá- ri. Salvum fac pópu-lum tu- um, Dó-



mine, et bénedic he-re-di-tá-ti tu- æ. Et re-ge



e- os, et extól-le illos usque in ætér- num. Per



síngu-los di- es benedí-cimus te. Et laudámus no-



men tu-um in sæculum, et in sæculum sæcu-li. Di-



gnáre, Dómine, di-e isto, sine peccáto nos custodí-



re. Mi-seré-re nostri, Dómine, mi-seré-re nostri. Fi-at



mi-se-ri-córdi-a tu-a, Dómine, super nos, quemádmodum



spe-rávimus in te. In te, Dómine, spe-rá- vi : * non



confúndar in ætér- num.

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.[1]
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sécula.
℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sécula.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

[1] His ℣℣. et ℟℟. Tempore Paschali non additur Allelúia.

Orémus Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prémia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post processionem pro gratiarum actione dicantur ℣℣. et Orationes sequentes :

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum.
℟. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.
℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.
℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.
℣. Bénedic ánima mea Dómino.
℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, cósdem non déserens, ad prémia futúra dispónas.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, qui néminem in te sperántem nímium afflígi permíttis, sed pium précibus præstas auditum : † pro postulatiónibus nostris, votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes; * ut a cunctis semper muniámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

CAPUT X

ORATIONES DIVERSÆ

1. Ad poscenda suffragia Sanctorum

Oratio

COncéde, quæsumus, omnípotens Deus : † ut intercéssio sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, sanctorúmque ómnium Apostolórum, Mártyrum, Confessórum, atque Vírginum, et ómnium electórum tuórum, nos ubíque lætíficet; * ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Alia Oratio ut supra

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde periculis : † et intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, beáto Patre nostro Francisco, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; * ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In hac Oratione ad litteram N. additur nomen Sancti Titularis ecclesiæ, et deinde, ubi mos vigeat, etiam Sancti Patroni loci aut Provinciæ regularis, servato tamen ordine dignitatis seu gradus hierarchici in Rubricis nostris peculiaribus præscripto.

3. Pro omni gradu Ecclesiæ

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur : † exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; * ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Pro Papa

Oratio

DEus, ómnium fidélium Pastor et Rector, fámulum tuum N. quem Pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice : † da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest, proficere; * ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Pro Imperatore

Oratio

DEus, regnórum ómnium, et Christiáni máxime protéctor Impérii : † da servo tuo Imperatóri nostro N. triúmphum virtútis tuæ sciénter excólere; * ut qui tua institutióne est princeps, tuo sit semper múnere potens. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si non est coronatus, dicatur : elécto Imperatóri.

6. Pro Rege

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus : † ut fámulus tuus N. Rex noster, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; * quibus decénter ornátus, et vitiórum monstra devitáre, et ad te, qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Pro Prælatis et congregationibus eis commissis

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus : † præténde super fámulos tuos, et super congregatiónes illis commíssas, Spíritum grátiæ salutáris; * et ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Pro congregatione et familia

Oratio

DEfénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, † istam ab omni adversitáte famíliam : * et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

9. Pro concordia in congregatione servanda

Oratio

DEus largítor pacis, et amátor caritátis : † da fámulis tuis veram cum tua voluntáte concórdiam : * ut ab ómnibus, quæ nos pulsant, tentatiónibus liberémur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

10. Contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

ECclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admítte : † ut destrúctis adversitátibus, et erróribus univérsis, * secúra tibi sérviat libertáte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

11. Contra persecutores et male agentes

Oratio

HOstium nostrórum, quæsumus, Dómine, elíde supérbiam : * et eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

12. Pro quacumque necessitate

Oratio

DEus, refúgium nostrum, et virtus : † adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus auctor ipse pietátis, et præsta; * ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

13. Pro quacumque tribulatione

Oratio

NE despícias, omnípotens Deus, pópulum tuum in afflictióne clamántem : † sed propter glóriam Nóminis tui, * tribulátis succúrre placátus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

14. Tempore famis

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, piæ supplicatiónis efféctum, et famem propitiátus avérte : † ut mortálium corda cognóscant, * et te indignánte, tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

15. Tempore terræmotus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui réspicis terram, et facis eam trémere : † parce metuéntibus, propitiáre supplícibus; * ut, cujus iram terræ fundaménta concutiéntem expávimus, cleméntiam contritiónes ejus sanántem júgiter sentiámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

16. Ad petendam pluviam

Oratio

DEus, in quo vívimus, movémur, et sumus : † plúviam nobis tríbue congruéntem; * ut præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

17. Ad postulandam serenitatem

Oratio

AD te nos, Dómine, clamántes exáudi : † et áeris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; * ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte, cleméntiam sentiámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

18. Ad repellendas tempestates

Oratio

A Domo tua, quæsumus, Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur : * et aëreárum discédat malignitas tempestátum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

19. Pro peste animalium

Oratio

DEus, qui labóribus hóminum, étiam de mutis animálibus solátia subrogásti : † súpplices te rogámus; ut sine quibus non álitur humána condítio, * nostris fácias úsibus non períre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

20. Pro seipso Sacerdote

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, humilitátis meæ preces benígnus inténde : † et me fámulum tuum, quem nullis suffragántibus méritis, sed imménsa cleméntiæ tuæ largitáte, cæléstibus mystériis servíre tribuísti, dignum sacris altáribus fac minístrum; * ut, quod mea voce depróMitur, tua sanctificatióne firmétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

21. Pro petitione lacrymarum

Oratio

OMnípotens et mitíssime Deus, qui sitiénti pópulo fontem vivéntis aquæ de petra produxísti : † educ de cordis nostri durítia lácrymas compunctiónis; * ut peccáta nostra plángere valeámus, remissionémque eórum, te miseránte, mereámur accípere. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

22. Pro remissione peccatorum

Oratio

DEus, qui nullum réspuis, sed quantúmvis peccántibus, per pœniténtiam pia miseratióne placáris : † réspice propítius ad preces humilitátis nostræ, et illúmina corda nostra; * ut tua valeámus implére præcépta. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

23. Pro publice pœnitentibus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, confiténtibus tibi fámulis tuis pro tua pietáte reláxa peccáta : † ut non ámplius eis nóceat consciéntiæ reátus ad pœnam, * quam indulgéntiam tuæ propitiatiónis prosit ad véniam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

24. Pro tentatis et tribulatis

Oratio

DEus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatóris : † Majestátem tuam supplíciter deprecámur; ut fámulos tuos de tua misericórdia confidéntes, cæléstiprótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves : * ut tibi júgiter famuléntur, et nullis tentatiónibus a te separéntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

25. Ad repellendas malas cogitationes

Oratio

OMnípotens et mitíssime Deus, réspice propítius ad preces nostras, † et líbera corda nostra de malárum tentatiónibus cogitatiónum : * ut Sancti Spíritus dignum fieri habitáculum mereámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

26. Ad postulandam continentiam

Oratio

URE igne Sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine : † ut tibi casto córpore serviámus, * et mundo corde placeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

27. Ad postulandam humilitatem

Oratio

DEus, qui supérbis resístis, et grátiam præstas humílibus : † concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in se formam fidélibus Unigénitus tuus exhíbuit; * ut numquam indignatiónem tuam provocémus eláti, sed pótius grátiæ tuæ capiámus dona subjécti. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

28. Ad postulandam patientiam

Oratio

DEus, qui Unigéniti tui patiéntia antíqui hostis contrivísti supérbiam : † da nobis, quæsumus, quæ idem pie pro nobis pértulit digne recólere; * sicque exémplo ejus, nobis adversántia æquanímiter toleráre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

29. Ad postulandam caritatem

Oratio

DEus, qui diligéntibus te facis cuncta prodésse : † da córdibus nostris inviolábilem tuæ caritátis affféctum; * ut desidéria de tua inspiratióne concépta, nulla possint tentatióne mutári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

30. Pro devotis amicis

Oratio

DEus, qui caritátis dona per grátiam Sancti Spíritus tuórum fidélium córdibus infudísti : † da fámulis et famulábus tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis; * ut te tota virtúte díligant, et quæ tibi plácita sunt, tota dilectióne perfíciant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

31. Pro inimicis

Oratio

DEus pacis, caritatísque amátor et custos : † da ómnibus inimícis nostris pacem, caritatémque veram : * et cunctórum eis remissiónem tríbue peccatórum, nosque ab eórum insídiis poténter éripe. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

32. Pro constituto in carcere, vel in captivitate

Oratio

DEus, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illæsum abíre fecísti : † fámuli tui in captivitáte pósiti víncula absólve; * eúmque ipsíus méritis illæsum abíre concéde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

33. Pro navigantibus

Oratio

DEus, qui transtulísti patres nostros per Mare Rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam, laudem tui nóminis decantántes : † te supplíciter deprecámur; ut in navi fámulos tuos, repúlsis adversitátibus, * portu semper optábili, cursúque tranquíllo tueáris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

34. Pro salute vivorum

Oratio

PRæténde, Dómine, fidélibus tuis déxteram cæléstis auxílii : † ut te toto corde perquírant, * et quæ digne póstulant cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

35. Pro vivis et defunctis

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : † te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, * intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

36. Pro gratiarum actione

Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT XI

PRO BENEDICTIONE CUM SS. SACRAMENTO



Post cantum Hymni, Cantores vel, ubi moris est, Celebrans cantat ℣. Panem de cælo, etc. cui tempore Paschali et infra Octavam Corp. Christi additur Allelúia; tunc Celebrans assurgens cantat Orationem :

℣. Panem de cælo præstitísti eis (Allelúia).
℟. Omne delectaméntum in se habéntem (Allelúia).

Orémus Oratio

DEus qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : ✝ tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, * ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

CAPUT XII

PRECES PRO SOLEMNI RECEPTIONE PRÆLATORUM

1. Majores Ecclesiæ Prælati, scil. S. R. E. Cardinales ubique terrarum, Legati, Patriarchæ, Archiepiscopi vel Episcopi intra fines suæ jurisdictionis, ad aliquam ecclesiam nostram solemniter ac prima vice advenientes, debito cum honore et reverentia a tota Communitate religiosa excipiendi erunt.

2. Præparanda :

1° Altare majus festive ornabitur ; sex cerei in eo accendentur.

2° In suppedaneo altaris, ad latus Evangelii, sedes cum pulvino.

3° In presbyterio genuflexorium, panno ornatum.

4° Ad januam ecclesiæ tapetum cum duobus pulvinaribus, in quorum altero Crux cum imagine Crucifixi.

In sacristia :

5° Thuribulum et aspersorium.

6° Crux processionalis.

7° Baldachinum cum hastis.

8° Liber cum Orationibus ; palmatoria.

Quodsi SS. Sacramentum non in altari majori asservetur, etiam altare SS. Sacramenti festive ornetur, duo saltem cerei in eo accendentur, et alterum genuflexorium coram eo ponetur.

3. Hora præstituta, omnes Religiosi processionaliter e sacristia ad portam ecclesiæ se conferunt hoc ordine : præcedunt duo Acolythi superpelliceis induti, unus cum thuribulo et navicula, alter a sinistris prioris cum vase aquæ benedictæ et aspersorio ; deinde Clericus deferens Crucem processionalem medius inter duos Ceroferarios superpelliceis pariter indutos ; tum Religiosi bini et bini, et tandem Superior localis indutus super amictum et albam pluviali coloris albi absque stola.

4. Adveniente Prælato, festive pulsantur campanæ, et omnes profunde se illi inclinant. Tum Superior localis Prælato super pulvinum genuflexo Crucem osculandam præbet ; qua in loco suo reposita, Prælato stanti aspersorium cum consuetis osculis porrigit, quo ille primo seipsum, dehinc ceteros aspergit. Mox Superior

solitis cum osculis ei naviculam incensi præbet, dicens Benedícite Pater Reverendíssime (Eminentíssime), Thuriferario genuflexo thuribulum ministrante, et postquam Prælatus incensum imposuit ac benedixit, Superior accipiens thuribulum, triplici ductu Prælatum incensat cum profunda reverentia ante et post.

5. Hisce ad fores ecclesiæ expletis, omnes ordine quo venerunt Prælatum a dexteris Superioris parati incedentem sub baldachino a dignioribus Religiosis delato, ad Altare SS. Sacramenti deducunt. Illic amoto baldachino, Prælatus in parato genuflexorio orabit, quod ceteri quoque in plano genuflexi præstabunt, præter Cruciferum ac Ceroferarios ad latus Evangelii sistentes, organis interea festive sonantibus. Quod si SS. Sacramentum non in Altari majori asservetur, post adorationem Sanctissimi Prælatus illuc eodem ordine deducitur.

6. In Processione, si Prælatus Episcopali charactere sit insignitus, vel saltem sit Presbyter Cardinalis, cantabitur :



Vel Responsorium :





7. Si vero Prælatus recipiendus non fuerit Episcopus nec Presbyter Cardinalis, sed tantum Diaconus Cardinalis, cantabitur :



mo constitú- tus e- rat : * Ut consér- vis



su- is men- sú- ram trí- ti- ci e-



ro- gá- ret. T. P. Al-le-lú- ia. ℣. Pro sa-lú-



te et augménto gre-gis sibi commís- si, cura per-



vigi-li solli-ci- tus e- rat. * Ut.

Finito Responsorio, additur in 4° Tono Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes gentes.

8. Si autem duo vel plures reciperentur Prælati, etiam si Episcopi non essent, nec Presbyteri Cardinales, cantabitur :

Ant. 8.



VOS estis cives Sanctórum * et doméstici De- i,



super-ædi-fi-cá- ti supra fundaméntum Aposto-



lórum et Prophe-tá-rum.

Finita Antiphona, additur in 8° Tono Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes gentes.

9. Cum Prælatus ad Altare majus pervenerit, Ceroferarii candelabra accensa in abaco deponent; Crux processionalis ad latus Evangelii collocabitur, imagine Crucifixi ad Prælatum conversa, baldachinum vero congruo in loco extra presbyterium relinquetur; Prælatus super genuflexorio procumbens orabit, et omnes Religiosi cum eo hinc inde in plano genuflexi manent. Interim Superior localis, exhibitis Prælato et Altari debitis reverentiis, per latus Epistolæ suppedaneum conscendit, et dum detecto capite consistit, ubi legitur Introitus Missæ, aliquantulum ad orantem Prælatum conversus, cantat sequentes Versiculos, si nimirum exceptus Prælatus sit Episcopus vel Presbyter Cardinalis; sin autem sit Diaconus Cardinalis, tunc omisso priori Versiculo Protéctor noster, reliquos tantum decantat :

℣. Protéctor noster áspice, Deus.
℟. Et réspice in fáciem Christi tui.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Quibus finitis, subjungit Orationem :

Orémus — Oratio

OMnipotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus : † præténde super hunc fámulum tuum, et cunctas congregatiónes illi commíssas, spíritum grátiæ salutáris; * et ut in veritáte tibi compláceat, perpétuum ei rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postmodum canetur Antiphona sancti Patroni loci vel ecclesiæ Titularis, cum suo Versiculo et Oratione. Interim Prælatus a genuflexorio surgens Altare conscendit, illudque in medio osculatus, ad cornu Epistolæ se confert, ubi stans detecto capite et ad ipsum

Altare conversus, Orationem ejusdem Sancti vel Mysterii cantat, Superiore librum ei tenente, aliquo Clerico autem superpelliceo induto palmatoriam ministrante. Qua finita, ad medium Altaris redux, Pontificalem benedictionem impertit; postea a religiosa Communitate ad fores ecclesiæ vel ad Conventum deducetur.

10. Si Legatus aut Cardinalis Episcopali vel Presbyterali charactere haud insignitus sit, tunc Superior, pluviali ut supra indutus, ipse thus in thuribulum imponet ac benedicet, et postquam illi aspersorium tangendum præbuerit, triplici ductu ipsum thurificabit, ac etiam Orationem sancti ecclesiæ Titularis vel Patroni loci cantabit, prætermissa benedictione.

11. Cum aliquis ex Prælatis ad ecclesias nostras, in locis jurisdictionis suæ sitas, nec prima vice, nec in publica forma venerit, pari quidem reverentia, ut supra excipietur, sed absimili ritu. Altare SS. Sacramenti paramentis coloris tempori congruentis decenter ornabitur, ac super illud sex accendentur cerei. Præparabitur item coram illo genuflexorium cum suo tapete et pulvinis. Superior localis superpelliceo absque stola indutus, una cum religiosa Communitate sine Cruce ad fores ecclesiæ obviam ei ibit, ibique aspersorium aquæ benedictæ præbebit. Tum illum ad Altare SS. Sacramenti deducet, Religiosis subsequentibus, et postquam ipse in genuflexorio aliquantulum oraverit, ad Conventum vel iterum ad ecclesiæ limen debitis cum reverentiis conducet. Organa porro festive pulsabuntur ab ingressu usque ad exitum ejusdem.

12. Si tandem aliquis ex dictis Prælatis devotionis gratia ad ecclesiam nostram privatim venerit, tunc Superior localis, sumptis sibi nonnullis Religiosis, ingredienti aquam benedictam, ut supra, ad ecclesiæ januam exhibebit. Deinde illum ad genuflexorium, ac denuo iterum ad ecclesiæ januam, prætermisso organorum sono, comitabitur.

CAPUT XIII

PRECES PRO SOLEMNI RECEPTIONE REGIÆ PERSONÆ IN LOCIS SUÆ DITIONIS

1. Si Imperator vel Imperatrix, Rex vel Regina, Princeps seu Principissa magnæ potentiæ ad ecclesias nostras, in eorum ditione sitas, in forma regia ac prima vice accesserit, ritu processionali ei obviam ibit religiosa Communitas extra januam ecclesiæ, ipsumque recipient, sicut supra (pag. 116) de Prælato dictum est. Superior igitur localis super amictum et albam pluviali albo indutus, postquam illi super pulvinum ac tapetem genuflexo Crucem osculandam exhibuerit, aspersorium aquæ benedictæ eidem tangendum porrigit, dein circumstantes generatim aspergit, prætermissa thurificatione. Tum sub baldachino incedentem processionaliter ad genuflexorium ante Altare majus deducunt; Cantores interim concinunt :

Pro Imperatore.



Pro Rege.





ter- ræ. ℣. Glo-ri-fi-cá-vit e-um in conspéctu



re- gum, et non confundé- tur. * Et. Gló-



ri- a Pa-tri, et Fí-li- o, et Spi-rí- tu- i



San- cto. * Et.

Pro Principe magnæ potentiæ.

Resp. 1.



P Osu-i adju-tó- ri- um super pot-éntem,

et ex- altávi e-lé- ctum de ple- be me- a;

* Ma- nus e-nim me- a auxi-li- á- bi- tur

e- i. ℣. Invé-ni David servum me- um, ó-le-o







Pro Imperatrice, vel Regina, seu Principissa magnæ potentiæ.













2. Post Antiphonam seu Responsorium, Superior stans in suppedaneo ad cornu Epistolæ cum cantu incipit :

Pro Imperatore :

℣. Deus, judícium tuum Regi da.
℟. Et justítiam tuam fílio Regis.
℣. Salvum fac N. Imperatórem (Regem vel Príncipem) nostrum, Dómine.
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Fiat pax in virtúte tua.
℟. Et abundántia in túrribus tuis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus, in cujus manu sunt corda Regum, inclína ad preces humilitátis nostræ aures misericórdiæ tuæ : † et Imperatóri nostro fámulo tuo N. régimen tuæ sapiéntiæ appóne; * ut haustis de tuo fonte consíliis, et tibi pláceat, et super ómnia Regna præcéllat.

PRæténde, Dómine, quæsumus, fámulo tuo N. Imperatóri nostro déxteram cæléstis auxílii; † ut te toto corde perquírat, * et quæ digne póstulat ássequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Rege iidem recitantur Versiculi, mutato dumtaxat in secundo ℣. verbo Imperatórem, in Regem.

Orémus — Oratio

DEus, cui omnis potéstas et dignitas famulátur; † da huic fámulo tuo Regi nostro N. prósperum suæ dignitátis efféctum, * in qua te semper tímeat, tibíque júgiter placére conténdat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Principe magnæ potentiæ, prætermisso ℣. Deus, judícium tuum Regi da cum suo ℟., pronunciatur ℣. Salvum fac N. Príncipem nostrum, Dómine, cum aliis ut supra.

Orémus — Oratio

DEus, cui omnis potéstas et dignitas famulátur; † da huic fámulo tuo Príncipi nostro N. prósperum suæ dignitátis efféctum, * in qua te semper tímeat, tibíque júgiter placére conténdat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Imperatrice vel Regina dicitur :

℣. Salvam fac ancillam tuam, Dómine.
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto. cum reliquis ℣℣. ut p. 125.

Orémus — Oratio

DEus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur : † ineffábilem cleméntiam tuam súpplices exorámus; * ut sicut Esther Regínam Israelíticæ plebis causa salútis ad Regis Assuéri thálamum, Regníque sui consórtium transíre fecísti; † ita hanc fámulam tuam Christiánæ plebis salútis grátia ad grátiam tuam transíre fácias; * ut tibi super ómnia júgiter placére desíderet, et te inspiránte, quæ tibi plácita sunt, toto corde perfíciat, et déxtera tuæ poténtiæ illam semper hic et ubíque circúmdet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Principissa magnæ potentiæ dicuntur eidem ℣℣. ac supra Salvam fac, etc.

Orémus

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus : † ut hanc fámulam tuam ubíque sapiéntia tua dóceat, et confórtet; * atque eam Ecclésia tua fidélem semper agnóscat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Completa Oratione, Superior localis in sacristia sacras deponit vestes; postea cum religiosa Communitate Regiam Personam ad Conventum vel extra portam ecclesiæ comitabitur, non recedens, donec illa prorsus abierit.

3. Si qua ex prædictis Personis Regiis ad ecclesias nostras in locis jurisdictionis suæ sitas nec prima vice, nec in publica forma, sed privatim tantum venerit, eodem modo agitur ac supra de receptione Prælatorum dictum est, cum sola exceptione, quod aspersorium aquæ benedictæ ei porrigatur non ad seipsam cum illo aspergendam, sed ad tangendum tantum.

CAPUT XIV

PROCESSIO IN LITANIIS MAJORIBUS ET MINORIBUS PRO NOSTRATIBUS

1. Religiosi et fideles hora statuta mane in ecclesia congregati, omnes contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur. Sacerdos amictu, alba, cingulo, stola et pluviali cum Ministris, vel saltem superpelliceo et stola violacei coloris sit indutus; cujus coloris habitu in reliquis processionibus semper utatur, præterquam in processionibus Corporis Christi, et quæ fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem; quibus diebus utitur colore propriæ solemnitati congruente.

2. Ubi Religiosus est Parochus et solus ut talis processionibus cum populo assistit, cantandæ vel recitandæ sunt Litaniæ communes ut in Rituali Romano, et Parochus, iisdem sic recitatis, obligationi suæ satisfacit.

3. In Conventibus, in quibus Religiosi omnes ex laudabili consuetudine processionibus intersint, si populus Litanias Ordinis recitare nolit, Religiosa familia non debet in alia processione neque in choro Litanias pro Nostratibus approbatas recitare, postquam Litanias communes in processione peragendas recitavit. Pariter si Religiosi Ordinis nostri cum clero sæculari ad has processiones peragendas convenire soleant, illa processio sufficiet, quin alia intra domesticos parietes peragatur, vel Litaniæ pro Nostratibus repetantur.

4. Si processio sit longior, vel repetantur Litaniæ, vel Litaniis absolutis usque ad Preces exclusive, dicantur aliqui Psalmi ex Pœnitentialibus, seu Gradualibus. Hymni vero, vel cantica lætitiæ in iis, aut aliis pœnitentiæ causa institutis processionibus, ne dicantur.

5. Si ad unam vel plures ecclesias in via sit divertendum, ingressis ecclesiam, intermissisque Litaniis vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu et Oratione sancti Patroni illius ecclesiæ. Deinde egredientes, resumptis Litaniis vel Psalmis, eodem ordine procedunt usque ad ecclesiam, ubi cum Precibus et Orationibus omnibus terminatur, ut in fine Litaniarum Sanctorum (pag. 137).

6. Antiphonam Exsúrge Cantores incipiunt et Fratres stando eam decantant; genuflectunt, facie ad invicem conversa, a Kýrie eléison usque ad Sancta María inclusive; in choro reversi genuflectunt ut ante processionem.

7. Repetita Antiphona duo Cantores ante altare majus genuflexi Litanias cantare incipiunt, reliquis Religiosis singulos Versus integre repetentibus.

Ant. 2.



Repetitur : Exsúrge Dómine.





Pa- ter de cæ- lis, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Fi- li, Red- émptor mundi, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Spí- ri- tus San- cte, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Sancta Trí- ni- tas, unus DE-us, mi-se-ré-re nobis.



Sancta MaRI- a, ora pro nobis.
orá-te pro nobis.

Sancta Dei GEnitrix, ora.
Sancta Virgo VIRginum, ora.
Sancte MIchael, ora.
Sancte GAbriel, ora.
Sancte RAphael, ora.
Omnes sancti Angeli et ArCHANgeli, oráte.
Omnes sancti beatórum SpirítuumORdines, oráte.
Sancte Joánnes BaPTIsta, ora.
Sancte JOseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et ProPHEtæ, oráte.
Sancte PEtre, ora.
Sancte PAUle, ora.
Sancte AnDREa, ora.
Sancte JaCObe, ora.
Sancte JoANnes, ora.
Sancte THOma, ora.
Sancte JaCObe, ora.
Sancte PhiLIPpe, ora.
Sancte BartholoMÆe, ora.
Sancte MatTHÆe, ora.
Sancte SImon, ora.
Sancte ThadDÆe, ora.
Sancte MatTHIa, ora.
Sancte BARnaba, ora.
Sancte LUca, ora.
Sancte MARce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et EvangeLIstæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli DOmini, oráte.
Omnes sancti InnoCENtes, oráte.
Sancte STEphane, ora.
Sancte LauRENti, ora.
Sancte VinCENti, ora.
Sancti Fabiáne et SebastiAne, oráte.
Sancti Joánnes et PAUle, oráte.
Sancti Cosma et DamiAne, oráte.
Sancti Gervási et ProTAsi, oráte.
Sancte BeRARde, ora.

Sancte PEtre, ora.
Sancte AcCURsi, ora.
Sancte AdJUte, ora.
Sancte Otho, ora.
Sancte DAniel, ora.
Sancte ANgele, ora.
Sancte SAmuel, ora.
Sancte DOmne, ora.
Sancte LEo, ora.
Sancte HugoLIne, ora.
Sancte NicoLAe, ora.
Sancte Petre-Baptísta ceteríque Mártyres JapoNENses, oráte.
Sancte Nicoláe ceteríque Mártyres GorcomiENses, oráte.
Sancte FiDElis, ora.
Omnes sancti MARtyres, oráte.
Sancte SilVEster, ora.
Sancte GreGOri, ora.
Sancte AmBROsi, ora.
Sancte AuguSTIne, ora.
Sancte HieROnyme, ora.
Sancte BonavenTURa, ora.
Sancte MarTIne, ora.
Sancte NicoLAe, ora.
Sancte LudoVIce, ora.
Sancte BenveNUte, ora.
Omnes sancti Pontífices et ConfesSORes, oráte.
Omnes sancti DoCTOres, oráte.
Sancte AnTOni, ora.
Sancte BeneDIcte, ora.
Sancte BerNARde, ora.
Sancte DoMInice, ora.
Sancte Pater noster FranCIsce, ora.
Sancte Antóni de PAdua, ora.
Sancte BernarDIne, ora.
Sancte Joánnes a CapiSTRAno, ora.
Sancte Jacóbe de MARchia, ora.
Sancte Petre de AlCANtara, ora.
Sancte Francísce SoLAne, ora.
Sancte Petre RegaLAte, ora.
Sancte DIdace, ora.
Sancte PaSCHAlis, ora.
Sancte BeneDIcte, ora.
Sancte PaCIfice, ora.
Sancte Joánnes-JOseph, ora.
Sancte LeoNARde, ora.
Sancte FElix, ora.
Sancte Joseph a LeoNISsa, ora.
Sancte SeraPHIne, ora.
Sancte Laurénti a BrunDUsio, ora.
Sancte Joseph a CuperTIno, ora.
Sancte FerdiNANde, ora.
Sancte LudoVIce, ora.
Sancte Ivo, ora.
Sancte ElzeAri, ora.
Sancte ROche, ora.
Sancte ConRAde, ora.
Sancte Joánnes-MaRIa, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et LeVItæ, oráte.

Omnes sancti Mónachi et EreMItæ, oráte.
Sancta María Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta LÚcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta CæCIlia, ora.
Sancta CathaRÍna, ora.
Sancta CLAra, ora.
Sancta Agnes AssisiENsis, ora.
Sancta Catharína de BoNOnia, ora.
Sancta CoLEta, ora.
Sancta VeROnica. ora.

Sancta Rosa de ViTERbio, ora.
Sancta HyaCINtha, ora.
Sancta María FranCIsca, ora.
Sancta ANgela, ora.
Sancta AnaSTÁsia, ora.
Sancta Elísabeth HunGAriæ, ora.
Sancta Elísabeth PortuGALliæ, ora.
Sancta Margaríta de CorTOna, ora.
Sancta BirGITta, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et VIduæ, oráte.



Omnes Sancti et Sanctæ trium
Ordinum sancti Patris nostri FranCIsci, intercédi-te
Omnes Sancti et Sanctæ DE- i, intercédi-te



pro nobis.
pro nobis.

Propítius esto, etc. ut pag. 134.

¶ Quando Litaniæ Romano-Seraphicæ non adhibentur, pars prior cantatur ut sequitur :



K Yri- e, e-lé- ison. ij. Christe, e-lé- ison. ij. Ký-ri- e

e-lé- ison. ij. Christe, audi nos. ij. Christe, exáudi nos. ij.



Pa- ter de cæ- lis, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Fi- li, Red- émptor mundi, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Spí- ri- tus San-cte, DE-us, mi-se-ré-re nobis.
Sancta Trí- ni- tas, unus DE-us, mi-se-ré-re nobis.



Sancta MaRI- a, ora pro nobis.
orá-te pro nobis.

Sancta Dei GEnitrix, ora.
Sancta Virgo VIRginum, ora.
Sancte MIchael, ora
Sancte GAbriel, ora.
Sancte RAphael, ora.
Omnes sancti Angeli et ArCHANgeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spirítuum ORdines, oráte.
Sancte Joánnes BaPTIsta, ora.
Sancte JOseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et ProPHEtæ, oráte.
Sancte PEtre, ora.
Sancte PAUle, ora.
Sancte AnDREa, ora.
Sancte JaCObe, ora.
Sancte JoANnes, ora.
Sancte THOma, ora.
Sancte JaCObe, ora.
Sancte PhiLIPpe, ora.
Sancte BartholoMÆe, ora.
Sancte MatTHÆe, ora.

Sancte SImon, ora.
Sancte ThadDÆe, ora.
Sancte MatTHIa, ora.
Sancte BARnaba, ora.
Sancte LUca, ora.
Sancte MARce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et EvangeLIstæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli DOmini, oráte.
Omnes sancti InnoCENtes, oráte.
Sancte STEphane, ora.
Sancte LauRENti, ora.
Sancte VinCENti, ora.
Sancti Fabiáne et SebastiAne, oráte.
Sancti Joánnes et PAUle, oráte.
Sancti Cosma et DamiAne, oráte.
Sancti Gervási et ProTAsi, oráte.
Omnes sancti MARtyres, oráte.
Sancte SilVEster, ora.

Sancte GreGOri, ora.
Sancte AmBROsi, ora.
Sancte AuguSTIne, ora.
Sancte HieROnyme, ora.
Sancte MarTIne, ora.
Sancte NicoLAe, ora.
Omnes sancti Pontífices et ConfesSOres, oráte.
Omnes sancti DoCTOres, oráte.
Sancte AnTOni, ora.
Sancte BeneDIcte, ora.
Sancte BerNARde, ora.
Sancte DoMInice, ora.
Sancte Pater noster FranCIsce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et LeVItæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et EreMItæ, oráte.
Sancta María MagdaLEna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta LUcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta CæCIlia, ora.
Sancta CathaRIna, ora.
Sancta AnaSTAsia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et VIduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ DEi, intercédite pro nobis.



Propí- *ti- us* E- sto, parce no-bis, Dómine.
Propí- *ti- us* E- sto, ex- áu-di nos, Dómine.
Ab *o- mni* MA- lo, lí- be-ra nos, Dómine.



Ab o- *mni pec-* CA- to,
Ab *i- ra* TU- a,
A subitánea et impro- *ví- sa* MOR-te,
Ab insídi- *is di-* A- bo-li,
Ab ira, et ódio, et omni mala *vo- lun-* TA- te,
A spíritu forni- *ca- ti-* O- nis,
A fúlgure et *tem- pe-* STA- te,[1]
A flagéllo *ter- ræ-* MO- tus,
A peste, fa- *me et* BEL- lo,[2]
A mor- *te per-* PE-tu-a,

[1] In processione ad repellendam tempestatem bis dicitur.
[2] In processione tempore mortalitatis et pestis bis dicitur.



Per mystérium sanctæ incarnati- *ó- nis* TU- æ,
Per ad- *vén- tum* TU- um,
Per nativi- *tá- tem* TU- am,
Per baptísmum et sanctum jejú- *ni- um* TU- um,
Per crucem et passi- *ó- nem* TU- am,
Per mortem et sepul- *tú- ram* TU- am,
Per sanctam resurrecti- *ó- nem* TU- am,
Per admirábilem ascensi- *ó- nem* TU- am,
Per advéntum Spíritus San- *cti Pa-* RA-cli- ti,
In di- *e ju-* DI -ci- i,



Pec- *ca-* TO- res, te rogámus audi nos.



Ut no- *bis* PAR- cas,
Ut nobis *in-* DULgeas,
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere *di-* GNE- ris,
Ut Ecclésiam tuam sanctam ' régere et conserváre *di-* GNE- ris,
Ut Domnum Apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines ' in sancta religióne conserváre *di-* GNE- ris, [1]
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre *di-* GNE- ris,
Ut régibus et princípibus christiánis ' pacem et veram concórdiam donáre *di-* GNE- ris,
Ut cuncto pópulo christiáno ' pacem et unitátem largíri *di-* GNE- ris,

[1] Vacante Apostolica Sede, loco invocationis Ut Domnum Apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines, etc., dicatur : Ut omnes ecclesiásticos órdines, etc.; Versus autem Orémus pro Pontífice nostro N. cum suo Responsorio, et Oratio pro eodem Pontifice omittuntur.



Ut omnes errántes ad unitátem Ecclé-
siæ revocáre, ' et infidéles univérsos
ad Evangélii lumen perdúcere *di-* GNE- ris,
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio '
confortáre et conserváre *di-* GNE- ris,
Ut mentes nostras ' ad cæléstia desidéri- *a* E- ri- gas,
Ut ómnibus benefactóribus nostris ' sem-
pitérna bona *re-* TRIbu-as,
Ut ánimas nostras, ' fratrum, propin-
quórum et benefactórum nostrórum, '
ab ætérna damnatióne *e-* RI- pi-as,
Ut fructus terræ ' dare et conserváre *di-* GNE- ris, [1]
Ut ómnibus fidélibus defúnctis ' ré-
quiem ætérnam donáre *di-* GNE- ris, [2]
Ut nos exaudíre *di-* GNE- ris,
Fi- *li* DE- i,

Agnus De- i, qui tollis peccá- ta mundi, 1. parce no-
2. exáu-di
3. mi- se- ré-

[1] In processione tempore penuriæ et famis bis dicitur.

[2] In benedictione novæ ecclesiæ, surgit sacerdos et intelligibili voce dicit, producens manu signum crucis :

Ut hanc ecclésiam, et altáre hoc, ad honórem tuum et nomen Sancti tui N., ' purgáre et bene † dícere dignéris, te rogámus audi nos.

In processione ad petendam pluviam bis dicitur :

Ut congruéntem plúviam ' fidélibus tuis concédere dignéris, te rogámus, audi nos.

Ad postulandam serenitatem bis dicitur :

Ut fidélibus tuis áëris serenitátem ' concédere dignéris, te rogámus, audi nos.

Tempore mortalitatis et pestis bis dicitur :

Ut a pestilléntiæ flagéllo ' nos liberáre dignéris, te rogámus, audi nos.



1. bis, Dómine.
2. nos, Dómine.
3. re no- bis.



Christe, audi nos. ij. Christe, exáudi nos. ij. Ký-ri-e, elé-

ison. ij. Christe, e-lé-i-son. ij. Ký-ri-e, e-lé-i-son. ij.



Pater noster. secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tenta-



ti-ónem. ℟. Sed líbe-ra nos a ma-lo.

Cantores



D E-us, in adjutó-ri-um me-*um* *in*TENde : *

Chorus



Dómine, ad adjuvándum me feSTIna.

Psalmus 69

Cantores : 2. Confundántur et re*vere*ANtur, * qui quærunt ánimam MEam.

Chorus : 3. Avertántur retrórsum, et *eru*BEscant, * qui volunt mihi MAla.

4. Avertántur statim e*rube*SCENtes, * qui dicunt mihi : Euge, EUge.

5. Exsúltent et læténtur in te *omnes qui* QUÆrunt te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre TUum.

6. Ego vero egénus *et* PAUper sum : * Deus, ádjuVA me.

7. Adjútor meus et liberátor *meus* ES tu : * Dómine ne moREris.

8. Glória P*atri, et* FIlio, * et Spirítui SANcto.

9. Sicut erat in princípio, et *nunc, et* SEMper, * et in sæcula sæculórum. Amen.



℣. Salvos fac servos TU- os.
℟. Deus meus sperántes IN te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortiTUdinis.
℟. A fácie iniMIci.
℣. Nihil proficiat inimícus in NObis.
℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére NObis.
℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias NObis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas NObis.
℣. Orémus pro Pontífice nostro N.
℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, † et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum Ejus.
℣. Orémus pro benefactóribus NOstris.
℟. Retribúere dignáre, Dómine, † ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum * vitam ætérnam. Amen.
℣. Orémus pro fidélibus deFUNctis.
℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : * et lux perpétua lúceat Eis.
℣. Requiéscant in PAce. ℟. Amen.
℣. Pro frátribus nostris abSENtibus.
℟. Salvos fac servos tuos,* Deus meus, sperántes IN te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de SANcto.
℟. Et de Sion tuére Eos.
℣. Dómine, exáudi. Dóminus vobíscum.

Orémus Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere: † súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, * miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, † et confiténtium tibi parce peccátis; * ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : † ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas; * et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : † preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; * et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMnipotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N., † et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ: * ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

DEus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : † da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : * ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

URE igne Sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine : † ut tibi casto córpore serviámus, * et mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum : † ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, * piis supplicatiónibus consequántur.

ACtiónes nostras, quæsumus Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : † te súpplices exorámus : ut, pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, * intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.



℣. Exáudi- at nos omnípotens et mi-sé-ricors Dó-



minus. ℟. Amen. ℣. Et fidé-li- um ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

CAPUT XV

LITANIÆ, PRECES ET ORATIONES DICENDÆ

IN EXPOSITIONE XL HORARUM IN URBE

1. Quando Celebrans post Missam a Diacono receperit Ostensorium et ad populum sese verterit, Cantores intonant Hymnum Pange lingua usque ad strophamTantum ergo exclusive, et toties repetatur usque dum processio terminata fuerit.

2. Peracta processione, et Sanctissimo in throno exposito, Cantores cantant Tantum ergo; ad Genitori fit solita a Celebrante thurificatio.

3. Hymno finito, omissoque ℣. Panem de cælo, statim cantantur Litaniæ Romanæ Omnium Sanctorum, modo simplici, p. 132, cum Ps. 69 Deus in adjutórium et ℣℣. ut ibi; Orationes vero cantantur quæ sequuntur :

Orémus — Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : † tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári : * ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus.

Ab Adventu usque ad Nativitatem Domini :

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : † præsta supplícibus tuis; * ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

A Nativitate usque ad Purificationem :

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: † tríbue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, * per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

A Purificatione usque ad Pascha et post Tempus Paschale usque ad Adventum Domini :

CONcéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Tempore Paschali :

DEus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum lætificáre dignátus es : † præsta, quæsumus; ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam * perpétuæ capiámus gáudia vitæ.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N., † et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ : * ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

DEus, refúgium nostrum et virtus : † adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta; * ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : † te súpplices exorámus; ut, pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, * intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.



℣. Exáudi- at nos omnípotens et mi-sé-ricors Dó-



minus. ℟. Amen. ℣. Et fidé-li-um ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

4. Pro repositione SS. Sacramenti tertia die Celebrans, finita Missa solemni, ut prima die, assumit pluviale, et quin ad scamnum thus in thuribulis imponat, ante altare cum sacris Ministris se confert et in plano utrumque genu flectit; deinde cantantur Litaniæ, ut supra, usque ad Dóminus vobíscum exclusive. Postea thus in thuribulis imponitur; et incensato SS. Sacramento, fit processio, et cantatur Hymnus Pange lingua. Processione finita, SS. Sacramentum super Altari collocatur, canitur Tantum ergo, et intonato Genitóri, incensatur Sanctissimum; postea subjungitur: ℣. Panem de cælo etc. ℟. Omne delectamentum etc. et Celebrans assurgens cantat: Orémus. Deus, qui nobis sub Sacraménto etc. cum reliquis Orationibus ut supra, prima die, p. 141. Ultimo datur benedictio.

CAPUT XVI

PROCESSIO PRO GRATIARUM ACTIONE

1. Initio Processionis cantatur Hymnus Te Deum, p. 94, vel 97.
2. Deinde dici poterunt Psalmi, qui sequuntur :

Psalmus 65

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : Quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, Gentes, Deum nostrum : * et auditam fácite vocem laudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocásta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes, qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Glória Patri.

Psalmus 80

EXsultáte Deo, adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date týmpanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægýpti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te. * Israël, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægýpti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Glória Patri.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus,et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ Géntium, † afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra: † commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Glória Patri.

Ps. 99. Jubiláte.

Ps. 102. Bénedic ánima mea, p. 192.

Ps. 116. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles: * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : † senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Glória Patri.

Psalmus 149

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in týmpano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gúture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Glória Patri.

Psalmus 150

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : † laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Canticum Benedícite, ómnia ópera Dómini, ut ad Laudes Dominicæ.

Canticum Benedíctus Dóminus, Deus Israël, ut supra, p. 55, in fine Glória Patri.

3. Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris postulaverit, vel omnia, vel ex parte cantari possunt.

Deinde in ecclesia, ubi fit statio, ante altare dicuntur sequentes Versus et Orationes :

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum.
℟. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.
℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.
℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.
℣. Bénedic, ánima mea, Dómino.
℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infínitus est thesáurus : † piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut, qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere; * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, qui néminem in te sperántem nímium afflígi permíttis, sed pium précibus præstas audítum : † pro postulatiónibus nostris, votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes; * ut a cunctis semper muniámur advérsis. Per Dóminum. ℟. Amen.

4. Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Sacramento semel benedicit populum in modum crucis, nihil dicens : postea illud reverenter reponitur.

5. Hic autem modus benedicendi servatur etiam in aliis processionibus faciendis cum Sanctissimo Sacramento.

CAPUT XVII

DE PROCESSIONIBUS PRO VARIIS NECESSITATIBUS

ARTICULUS I

DE PROCESSIONE AD PETENDAM PLUVIAM

Aguntur omnia ut supra in Litaniis majoribus p. 128, usque ad finem Litaniarum, in quibus, cum dictum fuerit Ut ómnibus fidélibus defúnctis, etc., bis dicitur :

Ut congruéntem plúviam ' fidélibus tuis concédere dignéris, te rogámus, audi nos.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 146

LAudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Glória Patri.

Quo finito, dicuntur Preces :

℣. Operi, Dómine, cælum núbibus.
℟. Et para terræ plúviam.
℣. Ut prodúcat in móntibus fœnum.
℟. Et herbam servitúti hóminum.
℣. Riga montes de superióribus tuis.
℟. Et de fructu óperum tuórum satiábitur terra.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus, in quo vívimus, movémur, et sumus : † plúviam nobis tríbue congruéntem; * ut, præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : † ut, qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus, * contra advérsa ómnia tua semper protectióne muniámur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, plúviam salutárem : † et áridam terræ fáciem * fluéntis cæléstibus dignánter infúnde. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus.
℟. Amen.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

ARTICULUS II

DE PROCESSIONE AD POSTULANDAM SERENITATEM

Aguntur omnia ut supra in Litaniis majoribus, p. 128, usque ad finem Litaniarum, in quibus, cum dictum fuerit Ut ómnibus fidélibus defúnctis, etc., bis dicitur :

Ut fidélibus tuis áëris serenitátem concédere dignéris, te rogámus, audi nos.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 66

DEus misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent Gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et Gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, † confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, † benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri.

℣. Adduxísti, Dómine, spíritum tuum super terram.
℟. Et prohíbitæ sunt plúviæ de cælo.
℣. Cum obdúxero núbibus cælum :
℟. Apparébit arcus meus, et recordábor fœderis mei.
℣. Illústra fáciem tuam, Dómine, super servos tuos.
℟. Et bénedic sperántes in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : † preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; * et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

AD te nos, Dómine, clamántes exáudi : † et áëris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; * ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte, cleméntiam sentiámus.

QUæsumus, omnípotens Deus, cleméntiam tuam : † ut inundántiam coércas ímbrium, * et hilaritátem vultus tui nobis impertíri dignéris. Per Dóminum. ℟. Amen.

ARTICULUS III

DE PROCESSIONE AD REPELLENDAM TEMPESTATEM

Pulsantur campanæ, et iis qui adesse possunt, in ecclesiam convocatis, dicuntur Litaniæ, p. 128, in quibus bis dicitur :

A fúlgure et tempestáte, líbera nos, Dómine.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória Patri.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini:
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster.
℟. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.
℣. Nihil proficiat inimícus in nobis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.
℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.
℟. Quemádmodum sperávimus in te.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.
℟. Et bénedic hereditáti tuæ.
℣. Non privábis bonis eos, qui ámbulant in innocéntia.
℟. Dómine, Deus virtútum : beátus homo, qui sperat in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : † preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; * et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

ADomo tua, quæsumus, Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur : * et aëreárum discédat malígnitas tempestátum.

OMnípotens sempitérne Deus, parce metuéntibus, propitiáre supplícibus : † ut post nóxios ignes núbium, et vim procellárum * in matériam tránseat laudis comminátio tempestátum.

DOmine Jesu, qui imperásti ventis et mari, et facta fuit tranquíllitas magna : † exáudi preces famíliæ tuæ, et præsta; * ut hoc signo sanctæ Cru ✠ cis omnis discédat sævítia tempestátum.

OMnípotens et miséricors Deus, qui nos et castigándo sanas, et ignoscéndo consérvas : † præsta supplícibus tuis; * ut et tranquillitátibus hujus optátæ consolatiónis lætémur, et dono tuæ pietátis semper utámur. Per Dóminum. ℟. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS IV

DE PROCESSIONE TEMPORE PENURIÆ ET FAMIS

Aguntur omnia ut supra in Litaniis majoribus, p. 128, usque ad finem Litaniarum, in quibus bis dicitur :

Ut fructus terræ ' dare, et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 22

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non

timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Glória Patri.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Oculi ómnium in te sperant, Dómine.
℟. Et tu das illis escam in témpore opportúno.
℣. Meménto congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Dóminus dabit benignitátem.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : † ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, * et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DA nobis, quæsumus, Dómine, piæ supplicatiónis effectum, et famem propitiátus avérte : † ut mortálium corda cognóscant, * et te indignánte tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre.

POpulum tibi súbditum pro peccátis suis fame laborántem ad te, Dómine, convérte propítius : † qui quæréntibus regnum tuum * ómnia adjiciénda esse dixísti : Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc. ℟. Amen.

ARTICULUS V

DE PROCESSIONE TEMPORE MORTALITATIS ET PESTIS

Aguntur omnia ut supra in Litaniis majoribus, p. 128, usque ad finem Litaniarum, in quibus bis dicitur :

A peste, fame et bello, líbera nos, Dómine. Et, cum dictum fuerit Ut ómnibus fidélibus defúnctis, etc., bis dicitur :

Ut a pestiléntiæ flagéllo ' nos liberáre dignéris, te rogámus, audi nos.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalm. 6 Dómine, ne in furóre tuo árguas me, ut supra, p. 23.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster.
℟. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.
℣. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum.
℟. Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.
℣. Ora pro nobis, sancte Sebastiáne.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : † et intercedénte beáta et gloriósa Dei Genitríce María semper Vírgine, et beáto Sebastiáno Mártyre tuo, et ómnibus Sanctis, * pópulum tuum ab iracúndiæ tuæ terróribus líbera, et misericórdiæ tuæ fac largitáte secúrum.

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris : † et animárum et córporum medére languóribus : * ut remissióne percépta, in tua semper benedictióne lætémur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, piæ petitiónis efféctum : † et pestiléntiam mortalitatémque propitiátus avérte ; * ut mortálium corda cognóscant, et te indignánte tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre. Per Dóminum. ℟. Amen.

ARTICULUS VI

DE PROCESSIONE TEMPORE BELLI

1. Peractis omnibus ut supra in Litaniis majoribus, p. 128, ad finem Litaniarum dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 45

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna : *

dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Glória Patri.

℣. Exsúrge, Dómine, ádjuva nos.
℟. Et líbera nos propter nomen tuum.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Fiat pax in virtúte tua.
℟. Et abundántia in túrribus tuis.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Arcum cónteret, et confrínget arma.
℟. Et scuta combúret igni.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui cónteris bella, et impugnatóres in te sperántium poténtia tuæ defensiónis expúgnas : † auxiliáre fámulis tuis, implorántibus misericórdiam tuam; * ut, inimicórum suórum feritáte depréssa, incessábili te gratiárum actióne laudémus.

DEus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : † da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; * ut et corda nostra mandátis

tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

HOstium nostrórum, quæsumus, Dómine, elíde supérbiam : * et eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Dóminum. ℟. Amen.

2. Si vero bellum sit contra inimicos sanctæ Ecclesiæ, in Litaniis bis dicatur :

Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.

In fine autem dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 78

DEus, venérunt Gentes in hereditátem tuam, † polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob : * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, † cito antícipent nos misericórdiæ tuæ : * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutáris noster : † et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos : * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in Géntibus : † Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris :

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * intróëat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Glória Patri.

℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in nobis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.
℣. Hóstium nóminis tui, Dómine, elíde supérbiam.
℟. Et eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prostérne.
℣. Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti.
℟. Et Angelus Dómini persequátur eos.
℣. Effúnde iram tuam in gentes, quæ te non novérunt.
℟. Et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus : † ut Sancto Spíritu congregáta, * hostíli nullátenus incursióne turbétur.

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : † preces pópuli tui supplicántis propítius réspice ; * et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMnípotens, sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes, et ómnium jura regnórum : † réspice in auxílium Christianórum; * ut hostes nostri, qui in sua feritáte confídunt, déxteræ tuæ poténtia conterántur. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Exáudiat nos Dóminus. ℟. Amen.

ARTICULUS VII

DE PROCESSIONE IN QUACUMQUE TRIBULATIONE

Servatis omnibus ut supra in Litaniis majoribus, p. 128, finitisque Litaniis, dicitur :

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 19 Exáudiat te Dóminus, ut supra, p. 26, cum Glória Patri, vel Psalmus 90 Qui hábitat, ut supra, p. 29. Quo finito, dicitur :

℣. Deus, refúgium nostrum et virtus :
℟. Adjútor in tribulatiónibus.
℣. Salvos fac servos tuos, Dómine :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális :
℟. Miserére nobis.
℣. Adjúva nos, Deus, salutáris noster.
℟. Et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

NE despícias, omnípotens Deus, pópulum tuum in afflictióne clamántem : † sed propter glóriam Nóminis tui, * tribulátis succúrre placátus.

INeffábilem misericórdiam tuam, Dómine, nobis cleménter osténde : † ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, * et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

TRibulatiónem nostram, quæsumus Dómine, propítius réspice : † et iram tuæ indignatiónis, * quam juste merémur, avérte.

DEus, refúgium nostrum et virtus : † adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta; * ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum. ℟. Amen.

ARTICULUS VIII

DE PROCESSIONE IN TRANSLATIONE SACRARUM RELIQUIARUM

Ecclesiæ et viæ per quas transeundum est, quantum fieri potest, decentius ornentur. Sacerdotes et Ministri vestibus induti albi vel rubei coloris, prout Sancti quorum Reliquiæ transferuntur exposcunt, et omnes cum luminaribus accensis procedant, decantantes Litanias, p. 129 vel 132, cum invocatione Sanctorum quorum Reliquiæ deferuntur, et Hymnum Te Deum, p. 94 vel 97, et Ps. 148 Laudáte Dóminum, p. 146, Ps. 149 Cantáte Dómino, p. 147, Ps. 150 Laudáte Dóminum, p. 147, et alios Psalmos et Hymnos de Proprio vel de Communi eorum Sanctorum quorum Reliquiæ transferuntur.

CAPUT XVIII

PROFESSIO FIDEI ET JURAMENTUM ANTIMODERNISTICUM

PROFESSIO FIDEI A PIO PAPA IV PRÆSCRIPTA

CUM ADJECTIS DEFINITIONIBUS CONCILII VATICANI

Ego (Fr.) N. N. firma fide credo et profíteor ómnia et síngula, quæ continéntur in Símbolo Fídei, quo sancta Romána Ecclésia útitur, vidélicet: — Credo in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum, ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero; génitum, non factum, consubstantiálem Patri, per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descéndit de cælis. Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine, et homo factus est. Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto, passus et sepúltus est. Et resurréxit tértia die secúndum Scriptúras. Et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória, judicáre vivos et mórtuos, cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem, qui ex Patre Filióque procédit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur, qui locútus est per Prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum Baptísma in remissiónem peccatórum. Et exspécto resurrectiónem mortuórum, et vitam ventúri sæculi. Amen.

Apostólicas et ecclesiásticas traditiónes, reliquásque ejúsdem Ecclésiæ observatiónes et constitutiónes firmíssime admítto et ampléctor.

Item sacram Scriptúram juxta eum sensum, quem ténuit et tenet sancta Mater Ecclésia, cujus est judicáre de vero sensu et interpretatióne sacrárum Scripturárum, admítto, nec eam unquam nisi juxta unánimem consénsum Patrum accípiam et interpretábor.

Profíteor quoque septem esse vere et próprie Sacraménta novæ Legis, a Jesu Christo Dómino nostro institúta, atque ad salútem humáni géneris, licet non ómnia síngulis, necessária : scílicet Baptísmum, Confirmatiónem, Eucharístiam, Pœniténtiam, extrémam Unctiónem, Ordinem et Matrimónium, íllaque grátiam conférre, et ex his Baptísmum, Confirmatiónem et Ordinem sine sacrilégio reiterári non posse.

Recéptos quoque et approbátos Ecclésiæ cathólicæ ritus in supradictórum ómnium Sacramentórum solémni administratióne recípio et admítto.

Omnia et síngula, quæ de peccáto originali et de justificatióne in sacrosáncta Tridentína Sýnodo definíta et declaráta fuérunt, ampléctor et recípio.

Profíteor páriter in Missa offérri Deo verum, próprium et propitiatórium sacrifícium pro vivis et defúnctis, atque in sanctíssimo Eucharístiæ Sacraménto esse vere, reáliter et substantiáliter Corpus et Sánguinem, una cum ánima et divinitáte Dómini nostri Jesu Christi, fieríque conversiónem totíus substántiæ panis in Corpus, et totíus substántiæ vini in Sánguinem, quam conversiónem cathólica Ecclésia Transsubstantiatiónem appéllat. Fáteor étiam sub áltera tantum spécie totum atque íntegrum Christum verúmque Sacraméntum sumi.

Constánter téneo, Purgatórium esse, animásque ibi deténtas fidélium suffrágiis juvári. Simíliter et Sanctos, una cum Christo regnántes, venerándos atque invocándos esse, eósque oratiónes Deo pro nobis offérre, atque eórum relíquias esse venerándas.

Firmiter ássero, imágines Christi ac Deíparæ semper Vírginis, necnon aliórum Sanctórum, habéndas et retinéndas esse, atque eis débitum honórem ac veneratiónem impertiéndam.

Indulgentiárum étiam potestátem a Christo in Ecclésia relíctam fuísse, illarúmque usum christiáno pópulo máxime salutárem esse affírmo.

Sanctam, Cathólicam et Apostólicam Románam Ecclésiam ómnium ecclesiárum matrem et magístram agnósco, Romanóque Pontífici, beáti Petri Apostolórum príncipis

successóri ac Jesu Christi Vicário, veram obediéntiam spóndeo ac juro.

Cétera item ómnia a sacris canónibus et œcuménicis Concíliis, ac præcípue a sacrosáncta Tridentína Sýnodo, et ab œcuménico Concílio Vaticáno trádita, definíta ac declaráta, præsértim de Románi Pontíficis primátu et infallíbili magistério, indubitánter recípio atque profíteor; simúlque contrária ómnia, atque hæreses quascúmque ab Ecclésia damnátas et rejéctas et anathematizátas ego páriter damno, rejício et anathematízo.

Hanc veram Cathólicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsénti sponte profíteor et veráciter téneo, eámdem íntegram et inviolátam usque ad extrémum vitæ spíritum constantíssime (Deo adjuvánte) retinére, et confitéri, atque a meis súbditis seu illis, quorum cura ad me in múnere meo spectábit, tenéri et docéri et prædicári, quantum in me erit, curatúrum; (hic ponit manum super apertum librum Evangeliorum) ego idem (Fr.) N. N. spóndeo, vóveo ac juro : sic me Deus ádjuvet et hæc sancta Dei Evangélia.

JURISJURANDI FORMULA A PIO PAPA X PRÆSCRIPTA

(MOTU PROPRIO « SACRORUM ANTISTITUM », DIE 1 SEPTEMBRIS 1910)

Ego (Fr.) N. N. fírmiter ampléctor ac recípio ómnia et síngula, quæ ab inerránti Ecclésiæ magistério definíta, adsérta ac declaráta sunt, præsértim ea doctrínæ cápita, quæ hujus témporis erróribus dirécto adversántur. Ac primum quidem Deum, rerum ómnium princípium et finem, naturáli ratiónis lúmine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibília* creatiónis ópera, tamquam causam per efféctus, certo cognósci, adeóque demonstrári étiam posse, profíteor. Secúndo : extérna revelatiónis arguménta, hoc est facta divína, in primísque mirácula et prophetías admítto et agnósco tamquam signa certíssima divínitus ortæ christiánæ Religiónis, eadémque téneo ætátum ómnium atque hóminum, étiam hujus témporis, intelli-

géntiæ esse máxime accommodáta. Tértio : Firma páriter fide credo, Ecclésiam, verbi reveláti custódem et magístram, per ipsum verum atque históricum Christum, cum apud nos dégeret, próxime ac dirécto institútam, eandémque super Petrum, apostólicæ hierárchiæ príncipem ejúsque in ævum successóres ædificátam. Quarto : Fídei doctrínam ab Apostólis per orthodóxos Patres eódem sensu eadémque semper senténtia ad nos usque transmíssam, sincére recípio; ideóque prorsus rejício hæréticum comméntum evolutiónis dógmatum, ab uno in álium sensum transeúntium, divérsum ab eo, quem prius hábuit Ecclésia; paritérque damno errórem omnem, quo, divíno depósito, Christi Sponsæ trádito ab Eáque fidéliter custodiéndo, sufficitur philosóphicum invéntum, vel creátio humánæ consciéntiæ, hóminum conátu sensim efformátæ et in pósterum indefiníto progréssu perficiéndæ. Quinto : certíssime téneo ac sincére prolíteor, Fidem non esse cæcum sensum religiónis e látebris *subconsciéntiæ* erumpéntem, sub pressióne cordis et inflexiónis voluntátis moráliter informátæ, sed verum assénsum intelléctus veritáti extrínsecus accéptæ ex audítu, quo nempe, quæ a Deo personáli, creatóre ac dómino nostro dicta, testáta et reveláta sunt, vera esse crédimus, propter Dei auctoritátem summe verácis.

Me étiam, qua par est, reveréntia, subjício totóque ánimo adhæreo damnatiónibus, declaratiónibus, præscríptis ómnibus, quæ in Encýclicis lítteris « *Pascéndi* » et in Decréto « *Lamentábili* » continéntur, præsértim circa eam quam históriam dógmatum vocant. — Idem réprobo errórem affirmántium, propósitam ab Ecclésia fidem posse históriæ repugnáre, et cathólica dogmáta, quo sensu nunc intelligúntur, cum verióribus christiánæ religiónis origínibus compóni non posse. — Damno quoque ac rejício eórum senténtiam, qui dicunt, christiánum hóminem eruditiórem indúere persónam dúplicem, áliam credéntis, áliam históricí, quasi licéret históricо ea retínere quæ credéntis fídei contradícant, aut præmíssas adstrúere, ex quibus consequátur dógmata esse aut falsa aut dúbia, modo hæc dirécte non denegéntur. — Réprobo

páriter eam Scriptúræ sanctæ dijudicándæ atque interpretándæ ratiónem, quæ, Ecclésiæ traditióne, analógia Fídei, et Apostólicæ Sedis normis posthábitis, *rationalistárum* comméntis inhæret, et críticen textus velut únicam supremámque régulam, haud minus licénter quam témere ampléctitur. — Senténtiam prætérea illórum rejício qui tenent, doctóri disciplínæ históricæ theológicæ tradéndæ, aut iis de rebus scribénti seponéndam prius esse opiniónem ante concéptam sive de supernaturáli orígine cathólicæ traditiónis, sive de promíssa divínitus ope ad perénnem conservatiónem uniuscujúsque reveláti veri; deínde scripta Patrum singulórum interpretánda solis sciéntiæ princípiis, sacra quálibet auctoritáte seclúsa, eáque judícii libertáte, qua profána quævis monuménta solent investigári. — In univérsum dénique me alieníssimum ab erróre profíteor, quo *modernístæ* tenent in sacra traditióne nihil inésse divíni; aut, quod longe detérius, pantheístico sensu illud admíttunt; ita ut nihil jam restet nisi nudum factum et simplex, commúnibus históriæ factis æquándum; hóminum nempe sua indústria, solértia, ingénio scholam a Christo ejúsque Apóstolis inchoátam per subsequéntes ætátes continuántium. Proínde fidem Patrum firmíssime retíneo et ad extrémum vitæ spíritum retinébo, de charísmate *veritátis certo*, quod est, fuit erítque semper in *episcopátus ab Apóstolis successióne;* non ut id teneátur quod mélius et áptius vidéri possit secúndum suam cujúsque ætátis cultúram, sed ut *nunquam áliter credátur, nunquam áliter* intelligátur absolúta et immutábilis véritas ab ínitio per Apóstolos prædicáta.

Hæc ómnia spóndeo me fidéliter, íntegre sinceréque servatúrum et inviolabíliter custoditúrum, nusquam ab iis sive in docéndo sive quomodólibet verbis scriptísque deflecténdo. (Hic ponit manum dexteram super apertum librum Evangeliorum) Sic spóndeo, sic juro, sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

TITULUS III

DE RITIBUS COMMUNIBUS TRIUM ORDINUM

CAPUT I

BENEDICTIO MENSÆ

Ante prandium et cœnam

1. Religiosi ad signum campanulæ Conventus refectorium ingressi, præcipuæ ejus Imagini caput profunde inclinant, et suis in locis ex ordine ante mensas hinc inde, facie ad invicem versa, manibus intra manicas compositis oculisque demissis, stantes, Superiorem transeuntem profunda capitis inclinatione salutant.

2. Superior localis incipit Ps. 129, De profúndis, quem Religiosi alternis choris cum Versu Réquiem ætérnam in fine prosequuntur, postque illud Superior junctis manibus subjungit :

℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, et ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Deinde Magister chori vel ejus loco Hebdomadarius cantat vel altiori voce dicit :



et ceteri respondent :

Benedí-ci-te, Benedí-ci-te.

Cantor



Ante prandium : ℣. Ocu-li ómni-um in te sperant, Dó-
Ante coenam : ℣. Edent páuperes et satura- bún-

Omnes



mine. ℟. Et tu das escam illórum in témpore opportú-
tur. ℟. Et laudábunt Dóminum qui re- quí-runt e-



no; ápe-ris tu manum tu-am, et imples omne áni-
um : vivent corda eórum in sæculum

Alternis choris



mal benedicti- ó- ne. Gló-ri-a Patri, et Fí-li- o, et
sæcu-li. Gló-ri-a, etc.



Spi-rí-tu-i Sancto. Sicut erat in princípi- o, et nunc,



et semper, et in sæcu-la sæculórum. Amen.

Alternis choris



Ký-ri- e, e- lé- i-son. Christe, e- lé- i-son. Ký-ri- e,

Cantor



e-lé- ison. Pa-ter noster, quod omnes profunde inclinati



secreto recitant usque ad Et ne nos indúcas in tenta-ti-ó-

Cantor



nem. ℟. Sed líbe-ra nos a ma-lo. Orémus. Bénedic,



Dómine, ✠ nos, et hæc ✠ tu-a dona, quæ de tu-a largi-

tá-te sumus sumptúri. Per Christum Dóminum no-



strum. ℟. Amen.

Ad verba : Bénedic Dómine nos, omnes Cruce majori se signant et caput inclinant ; ad et hæc tua dona Cantor signum Crucis facit super mensam.

4. Interim primus Lector mensæ in medium se confert et finita Oratione, profunde versus Cantorem inclinatus, junctis manibus petit benedictionem, dicens :

Cantor



Jube Domne bene-díce-re. Ad prandium : Men- sæ

Ad cœnam : Ad cœ-



cæ- léstis partí-cipes fá- ci-at nos Rex ætérnæ gló-
nam vi-tæ æ-tér- næ perdúcat nos Rex ætérnæ gló-

Lector in medio stans :

ri-æ. ℟. Amen. De-us cá-ri-tas est; et qui manet in
ri-æ. ℟. Amen.

ca-ri-táte, in De-o manet, et De-us in e-o. ℟. De-o

grá-ti-as.

5. Quibus dictis, cuncti præcipuæ Imagini caput profunde inclinant, et ad sedes suas se conferunt. Postquam omnes sederint, Lector mensæ S. Scripturam stans cantat vel legit. Dato a Superiore signo, Lector a lectione sacræ Scripturæ cessat, et Menologium Ordinis, ac Kalendarium pro sequenti die legit; deinde alter Lector lectionem ex libro probati Auctoris a Superiore assignato prosequitur.

Qualibet vero Feria sexta, nisi adsit justa causa dispensandi, loco sacræ Scripturæ statim cantatur vel legitur, juxta consuetudinem Provinciæ, sancta Regula usque ad caput VI; tunc lecto Menologio et Kalendario, secundus Lector sanctam Regulam prosequitur, tertius vero Testamentum sancti Patris nostri Francisci, ac postea Superior legit benedictionem, adhortationem ac maledictionem nostri Seraphici Patris.

6. Si quis ad mensam communem sero venerit, benedictione nondum absoluta, ceteris in suo loco sese conformabit; si vero peracta benedictione, ibidem genuflexus, brachiis in modum crucis extensis, unum Pater et Ave secreto recitabit. — In casu quo quis ante finem mensæ discedere cogitur, non reversurus, habita prius Superioris venia, preces gratiarum actionis profunde inclinatus persolvet, stans ante mensam in loco suo, et facta præcipuæ refectorii Imagini profunda capitis inclinatione, discedet.

Post prandium et cœnam

7. In fine mensæ, ad signum Superioris localis, omnes surgunt et ante mensas uti prius consistunt. Tunc Lector mensæ, stans in medio cum profunda corporis inclinatione, cantat (vel alta voce dicit) :



Tu autem, Dómine, mi-seré-re nobis. ℟. Dé-o grá-ti-as.

Cantor



Ad prandium : Confi-te-ántur tibi, Dómine,
Ad cœnam : Memóriam fecit mirabílium suórum misé-

Omnes



ómni-a ópera tu- a. ℟. Et sancti tu-i benedí-ricors et miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timén-

Alternis choris



cant ti-bi. Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o, et Spi-rí-tu-i tibus se. Gló-ri-a, etc.



Sancto. Sicut e-rat in princípi-o, et nunc, et semper,

Cantor



et in sæcu-la sæculórum. Amen. Ad prandium : Agimus
Ad cœnam : Bene-dí-



tibi grá-ti- as, omnípotens De- us, pro univérsis bene-
ctus Deus in donis su- is, et sanctus in ómnibus



fí-ci- is tu- is : Qui vi-vis et regnas in sæcu-la sæcu-
opéribus su- is : Qui vi-vit et regnat in sæcu-la sæcu-

Cantor



lórum. ℟. Amen. Ps. 116. [1] Laudáte Dóminum omnes
lórum. ℟. Amen.

Omnes e parte Cantoris — Alternis choris



gentes : * laudáte e- um omnes pópu-li. Quóni- am
Glória
Sicut erat



confirmáta est super nos mi-se-ri-córdi- a e- jus, *
Patri, et Fí-li-o, *
in princípio, et nunc, et semper, *



et vé-ri-tas Dómini manet in æ- tér-num. Ký-ri- e,
et Spi-rí-tu- i Sancto.
et in sæcula sæcu- ló- rum. Amen.

[1] Vel, ubi moris est Ps. 50 Miserére mei. In Nativitate Domini loco Ps. 116 dici potest Ps. 97 Cantáte Dómino; in Epiphania Ps. 71 Deus judícium; in Paschate Ps. 117 Confitémini; in Ascensione Domini Ps. 46 Omnes gentes; in Pentecoste Ps. 47 Magnus Dóminus.



e- lé- i-son. Christe, e- lé- i-son. Ký-ri- e, e-lé- i-son.

Cantor



Pater noster, quod omnes profunde inclinati secreto recitant



usque ad Et ne nos indúcas in tentati- ó- nem.
℟. Sed líbera nos a ma- lo.
℣. Dispérsit, dedit pau- pé- ri- bus.
℟. Justítia ejus manet in sæculum sæ- cu-li.
℣. Benedícam Dóminum in omni témpo-re.
℟. Semper laus ejus in ore me- o.
℣. In Dómino laudábitur ánima me- a.
℟. Audiant mansuéti et læ- tén- tur.
℣. Magnificáte Dóminum me- cum.
℟. Et exaltémus nomen ejus in id- í- psum.
℣. Sit nomen Dómini bene- dí- ctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæ- cu-lum.

Deinde Cantor dicit Retribúere, ad quod omnes profunde sese inclinant :

Retribú-e-re dignáre, Dómine, ómnibus nobis bo-



na fa-ci-éntibus propter nomen tu-um vi-tam æ-tér-



nam. ℟. Amen. ℣. Benedi-cámus Dómino. ℟. De-o grá-



ti-as. ℣. Fidé-li-um ánimæ, etc. ℟. Amen. Pater noster



totum secreto ℣. De-us det nobis su-am pacem. ℟. Amen.

AD PRANDIUM ET CŒNAM IN QUIBUSDAM FESTIS

Ante prandium et cœnam

Ante prandium et cœnam (extra dies jejunii) semper incipitur a



℣. Benedí-ci-te. et respondetur in eodem tono Benedícite; ℣. autem erit :

a Nativitate Domini usque ad I. Vesp. Epiphaniæ excl. :
℣. Verbum caro factum est, allelú-ia.[1]
℟. Et habitávit in no- bis, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

in Epiphania et per Octavam :
℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera óffe- rent, allelú-ia.
℟. Reges Arabum et Saba dona addú- cent, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

in Sabbato Sancto :
℣. Véspere autem Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábba- ti, allelú-ia.
℟. Venit María Magdaléna et áltera María ' vidére sepúl-crum, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

[1] Ad hunc Versum omnes unicum genu flectunt.

in Paschate usque ad cœnam Sabb. in Albis, excl. :

℣. Hæc dies quam fecit Dómi- nus, allelú-ia.
℟. Exsultémus et lætémur in e- a, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

in Ascensione usque ad Vigil. Pentecostes excl. :

℣. Ascéndit Deus in jubilatió- ne, allelú-ia.
℟. Et Dóminus in voce tu- bæ, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

a Pentecostes Vigilia usque ad Cœnam sequentis Sabbati excl. :

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrá- rum, allelú-ia,
℟. Et hoc quod cóntinet ómnia scién tiam habet vo- cis, allelú-ia.
Glória, etc., p. 169.

Post prandium et cœnam

Dicto more solito Tu autem Dómine, etc. et Deo grátias, Cantor dicit ℣. sequentem :



a Nativitate Domini usque ad I. Vesp. Epiphaniæ excl. :

℣. Notum fecit Dómi-nus, allelú-ia.
℟. Salutáre su- um, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.

in Epiphania et per Octavam :

℣. Omnes de Saba véni-ent, allelú-ia.
℟. Aurum et thus deferén-tes, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.

in Sabbato Sancto :

℣. Véspere autem Sábbati quæ lucéscit in prima Sábba-ti, allelú-ia,
℟. Venit María Magdaléna et áltera María ' vidére sepúl-crum, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.



in Paschate usque ad cœnam Sabb. in Albis excl. :

℣. Hæc dies quam fecit Dómi-nus, allelú-ia.
℟. Exsultémus et lætémur in e-a, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.

in Ascensione usque ad Vigiliam Pentecostes excl. :

℣. Ascéndens Christus in al-tum, allelú-ia.
℟. Captívam duxit captivitá-tem, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.

a Pentecostes Vigilia usque ad cœnam Sabb. sequentis excl. :

℣. Repléti sunt omnes Spíritu San-cto, allelú-ia.
℟. Et cœpérunt lo- qui, allelú-ia.
Glória, etc., p. 172.

In ultimo Triduo Sacro

Superior in collatione vespertina Feriæ IV et ad cœnam Feriæ V genuflectens absolute inchoat, ceteris prosequentibus :

Christus factus est * pro nobis obédi-ens usque ad



mortem. vel usque ad mortem.

In collatione Feriæ V et ad cœnam Feriæ VI :



Christus factus est * pro nobis obédi-ens usque ad

mortem; mortem autem Cru-cis. vel mortem autem



Cru-cis.

In collatione Feriæ VI :



Christus factus est * pro nobis obédi-ens usque ad



mortem; mortem autem Crucis. Propter quod et De-us



exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super



omne nomen. vel omne nomen.

Deinde omnes stant, ac profunde inclinati secreto recitant Pater noster; quo dicto, Superior, sine pronuntiatione aliqua, signo Crucis benedicit mensam; et omnes sub silentio ad sedes suas se conferunt. Non profertur a Lectore mensæ Jube domne, neque in fine mensæ Tu autem Dómine.

Finita mensa, omnes Superiore inchoante repetunt ut supra :

℣. Christus factus est, etc.

Deinde Psalmum 50, Miserére mei Deus alternatim recitant cum eadem vocis inflectione in fine ac supra; quo finito sine ℣. Glória Patri, totum secreto dicunt Pater noster.

Postea Superior absolute dicit Orationem :

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et Crucis subíre torméntum. [1]

Et non pronuntiatur Qui tecum, nec Fidélium ánimæ, sed secreto dicitur Pater noster, nec additur Deus det nobis suam pacem, sed finito Pater noster omnes discedunt.

In festis S. P. N. Francisci (4 Oct.), necnon S. P. N. Dominici

et quoties aliquis ex Prælatis Ordinis Prædicatorum prima vice communi mensæ nostræ interest, in gratiarum actione, dicta Oratione Agimus tibi grátias, duo Cantores in medio refectorii concinunt Antiphonam :

Ant. 5.



A - postó-licus Domí-nicus et Seráphicus Fran-

císcus, ipsi nos docu-érunt legem tu- am, Dómine.

Omnes Cantores

Apostó-licus. Laudáte, ut supra, p. 173.

Post singulos Versus a Cantoribus cantandos repetitur ab omnibus Ant. Apostólicus.

---

[1] In fine vox deflectitur :

Subíre torméntum. vel subíre torméntum.

In diebus jejunii

8. In unica refectione pro benedictione mensæ et gratiarum actione omnia dicuntur ut ante et post cœnam.

9. In collatione vespertina benedictio mensæ hoc ritu peragitur :

Superior alta voce dicit Benedícite, et omnes repetunt Benedícite. Quo dicto omnes ad præcipuam refectorii Imaginem conversi in genua procumbunt, et recta voce ac debitis cum pausis Ave María etc. recitant; qua expleta, solus Cantor assurgit, et formans signum Crucis super mensam dicit :



Hoc donum ca-ri-tá-tis ✠ benedí-cat déxtera De- i



Patris. ℟. Amen.

Responso : Amen, omnes surgunt, Imagini præcipuæ caput profunde inclinant, et ad sedes suas se conferunt.

10. Gratiarum actio autem in fine collationis vespertinæ hoc modo fit :

Omnibus in locis suis ante mensas stantibus, Cantor dicit :

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dó-mi-ni.
℟. Qui fecit cælum et ter- ram.
℣. Sit nomen Dómini bene- dí- ctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæ- cu-lum.
℣. Retribúere, etc., ut supra, p. 174.

Quibus finitis, erga præcipuam refectorii Imaginem caput profunde inclinant, et ordine consueto discedunt.

CAPUT II

PRECES IN CAPITULO CULPARUM DICENDÆ

1. In Capitulo culparum, quod qualibet Feria VI peragendum est, Fratribus hinc inde ut ad benedictionem mensæ stantibus, Guardianus imprimis commendet orationibus universum sanctæ Ecclesiæ statum, Summum Pontificem, Episcopos et Prælatos nostros, cunctas necessitates Ordinis Seraphici ejusque Missionum, omnes tandem benefactores nostros, præsertim eos, qui specialibus eleemosynis Fratrum preces promeruerunt, formula sequenti vel alia, juxta usum Provinciæ :

Venerándi Patres et in Christo dilectíssimi Fratres! Comméndo sacrifíciis sacerdótum et précibus Communitátis univérsum statum ecclesiásticum et políticum, totum Ordinem nostrum Seráphicum tam Superióres quam súbditos, omnes paréntes, fratres, soróres, propínquos ac benefactóres nostros, et omnes qui oratiónibus nostris se commendavérunt vel commendáti sunt, tam vivos quam defúnctos pro quibus dicámus preces et suffrágia consuéta :

2. Deinde alternis choris sequentes recitantur Psalmi, Superiore Antiphonam, et primum Psalmi versum inchoante :

Antiphona. Humiliémus Dómino ánimas nostras.

Psalmus 122

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri.

Psalmus 66

DEus misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent Gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et Gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri.

Psalmus 129 De profúndis clamávi ad te, Dómine, etc. (pag. 45) cum ℣. Réquiem ætérnam etc.; dein omnes subdunt :

Antiphona. Humiliémus Dómino ánimas nostras, — et in spíritu constitúti humiliáto, — serviéntes illi, dicámus flentes Dómino, — ut secúndum voluntátem suam — sic fáciat nobíscum misericórdiam suam.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

3. Hebdomadarius prosequitur :

Pater noster, quod ab omnibus profunde inclinatis secreto completur.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, speréntes in te.
℣. A porta ínferi :
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, cujus spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur : exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur.

OMnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine dilécti Fílii tui, mereámur bonis opéribus abundáre.

DEus, qui caritátis dona per grátiam Sancti Spíritus tuórum córdibus fidélium infudísti : da fámulis et famulábus tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis; ut te tota virtúte díligant, et quæ tibi plácita sunt, tota dilectióne perfíciant.

DEus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor : quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ Congregatiónis Fratres, Soróres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

Pater noster, secreto.

4. Dicto Pater noster, Superior voce submissa subjungit : Dóminus det nobis suam pacem, omnesque respondent : Et vitam ætérnam. Amen.

5. Finitis precibus, culpæ externæ et negligentiæ quotidianæ contra Regulam, Constitutiones et Ordinationes ab omnibus Fratribus genuflexis agnoscuntur juxta morem in quavis Provincia vigentem. Quo facto, Superior congruas pœnitentias Fratribus injungit, et opportunas monitiones adjungens, Fratres ad exactam Regulæ et Constitutionum observantiam exhortatur, sicut ei juxta temporum et personarum circumstantias in Domino videbitur opportunum. In fine Capitulum concludens dicit :

Céterum, ambulémus in pace et mútua caritáte. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.

sub quibus verbis omnes Cruce majori se signant et respondent :

Qui fecit cælum et terram.

6. Quater in anno diebus ad libitum eligendis (laudabiliter ante præcipuas Solemnitates) in Capitulo culparum post exhortationem datur Absolutio generalis (pag. 5).

CAPUT III

PRECES TEMPORE DISCIPLINÆ RECITANDÆ

1. Ter in hebdomada, id est Feria II, IV et VI hora congrua, dato signo, omnes communis disciplinæ salutare peragant exercitium, nisi eisdem diebus occurrat Festum aliquod duplex I aut II classis. Item excipiuntur Octavæ Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., S. P. N. Francisci et Omnium Sanctorum. Ad hoc exercitium infrascriptæ preces, nisi aliæ probatæ alicubi in usu sint, recitantur.

2. Superior intonat Antiphonam : Ne reminiscáris, statimque inchoat Psalmum 50, Miserére, quem Religiosi alternatim cum Glória Patri in fine prosequuntur. Deinde adjungunt Psalmum 129, De profúndis cum Réquiem ætérnam in fine; postea ab omnibus repetitur Antiphona :

Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum; — neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

3. Tunc, intonante Superiore, omnes recitant Antiphonam :

CHristus factus est * pro nobis obédiens usque ad mortem, — mortem autem Crucis, — propter quod et Deus exaltávit illum, — et dedit illi nomen, quod est super omne nomen : — ut in nómine Jesu omne genu flectátur — cæléstium, terréstrium, et infernórum, — et omnis lingua confiteátur, — quia Dóminus noster Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Superior subjungit :

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus.
℟. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Orémus Oratio

REspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et Crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

4. Postea, intonante pariter Superiore, dicitur Antiphona :

SAlve Regína, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes, et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui nobis post hoc exílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus — Oratio

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus.

URE igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus.
℟. Amen.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

5. Feria sexta in Parasceve ter recitatur Psalmus Miserére; in fine ultimi dicitur De profúndis et, repetita Antiphona Ne reminiscáris, additur Christus factus et Oratio Réspice, omissis reliquis.

CAPUT IV

BENEDICTIO COMMUNITATIS POST QUADRAGESIMAM EPIPHANIÆ

1. Die 15 Februarii, quo Quadragesima « Benedicta » terminatur, finita gratiarum actione post collationem vespertinam, Fratres genuflexi, inchoante Superiore Antiphonam, alternatim recitant Psalmum 66, Deus misereátur nostri.

Antiphona. Manus Dei nostri.

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis (pag. 181).

Antiphona. Manus Dei nostri super omnes, qui quærunt eum in bonitáte : jejunávimus autem, et rogávimus Deum nostrum per hoc; et evénit nobis próspere.

2. Finito Psalmo, Superior, qui interim superpelliceum et stolam albi coloris induit, stans ad Crucem conversus cantat vel dicit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.
℟. Et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et misércors Dóminus.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEvotiónem famíliæ tuæ, Dómine Jesu Christe, benígnus inténde : ut quæ se per abstinéntiam ad tui imitatiónem macerávit in córpore, reficiátur in mente, et in tua semper benedictióne lætétur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

3. Deinde conversus ad Religiosos genuflexos, Cruce majori se signat, alta voce dicens :

℣. Adjutórium nostrum ✠ in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

PER intercessiónem beatíssimæ Dei Genitrícis Maríæ ac Seráphici Patris nostri Francísci, omniúmque Sanctórum, copiósa descéndat super nos benedíctio Dei Patris Omnipoténtis, et Fílii ejus ✠ Jesu Christi, et Spíritus Sancti, et máneat semper. ℟. Amen.

4. Postremo accipiens aspersorium, Religiosos ter aspergit, nihil dicens.

CAPUT V

PRECES OCCASIONE EXERCITIORUM SPIRITUALIUM DICENDÆ

1. Pro inchoandis Exercitiis spiritualibus Fratres, in choro vel in aula conferentiarum congregati, Spiritus Sancti adjutorium imprimis implorent flexis genibus cantantes vel saltem alternatim recitantes Hymnum Veni Creátor, p. 92.

V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92.

Quo finito, Exercitiorum Moderator stans cantat vel dicit :

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus — Oratio

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet : * et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

VOta, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere : † ut et quæ agénda sunt vídeant; * et ad implénda quæ víderint, convaléscant.

CONsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica : † ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem : * Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

2. Ubi, durantibus Exercitiis, communis devotio coram sanctissimo Sacramento exposito quotidie hora vespertina peragi consuevit, pro primis diebus hæ preces commendantur :



Ant. 2. P Arce Dómine, * parce pópulo tu-o : quem red-



emísti pre-ti-ó-so Sángui-ne tu- o. E u o u a e.

Psalmus 50

MIserére mei, DEus, * secúndum magnam misericórdi*am* TUam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuArum, * dele iniquitá*tem* MEam.

Amplius lava me ab iniquitáte MEa : * et a peccáto me*o* MUNda me.

Quóniam iniquitátem meam ego coGNOsco : * et peccátum meum contra me *est* SEMper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te FEci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum ju*di*CAris.

Ecce enim in iniquitátibus conCEptus sum : * et in peccátis concépit me ma*ter* MEa.

Ecce enim veritátem dileXIsti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestá*sti* MIhi.

Aspérges me hyssópo, et munDAbor : * lavábis me, et super nivem de*al*BAbor.

Audítui meo dabis gáudium et lætITiam : * et exsultábunt ossa humi*li*Ata.

Avérte fáciem tuam a peccátis MEis : * et omnes iniquitátes me*as* DEle.

Cor mundum crea in me, DEus : * et spíritum rectum ínnova in viscéri*bus* MEis.

Ne projícias me a fácie TUa : * et spíritum sanctum tuum ne áufe*ras* A me.

Redde mihi lætítiam salutáris TUi : * et spíritu principáli *con*FIRma me.

Docébo iníquos vias TUas : * et ímpii ad te con*ver*TENtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis MEæ : * et exsultábit lingua mea justíti*am* TUam.

Dómine, lábia mea aPERies : * et os meum annuntiábit lau*dem* TUam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem Utique : * holocáustis non de*le*CTAberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribuLAtus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non *de*SPIcies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua SIon : * ut ædificéntur muri *Je*RUsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holoCAUsta : * tunc impónent super altáre tu*um* VItulos.

Glória Patri.

Post repetitam Antiphonam Parce, cantantur ℣℣. sequentes :

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Convérte nos, Deus salutáris noster.
℟. Et avérte iram tuam a nobis.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces † et confiténtium tibi parce peccátis : * ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : † ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, * et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

OMnípotens et miséricors Deus, qui humáno géneri et salútis remédia, et vitæ ætérnæ múnera contulísti : † réspice propítius nos fámulos tuos, et ánimas réfove, quas creásti; * ut in hora éxitus nostri, absque peccáti mácula tibi Creatóri nostro per manus sanctórum Angelórum repræsentári mereámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Ultimis vero Exercitiorum diebus in ista devotione vespertina sequentes preces adhibentur :

Ant. 8. G



Psalmus 102

BEnedic, ánima mea, DOmino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini *sancto* Ejus.

Bénedic, ánima mea, DOmino : * et noli oblivísci omnes retributi*ónes* Ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus TUis : * qui sanat omnes infirmi*tátes* TUas.

Qui rédimit de intéritu vitam TUam : * qui corónat te in misericórdia et mise*rati*Onibus.

Qui replet in bonis desidérium TUum : * renovábitur ut áquilæ ju*véntus* TUa.

Fáciens misericórdias DOminus, * et judícium ómnibus injúriam *pati*ENtibus.

Notas fecit vias suas MOysi, * fíliis Israel volun*tátes* SUas.

Miserátor et miséricors DOminus : * longánimis, et mul*tum mi*SEricors.

Non in perpétuum iraSCEtur : * neque in ætérnum *commi*NAbitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit NObis : * neque secúndum iniquitátes nostras retri*buit* NObis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a TERra : * corroborávit misericórdiam suam su*per ti*MENtes se.

Quantum distat Ortus ab OcciDENte : * longe fecit a nobis iniqui*tátes* NOstras.

Quómodo miserétur pater filiórum, † misértus est Dóminus timéntiBUS se : * quóniam ipse cognóvit fig*mén-tum* NOstrum.

Recordátus est quóniam pulvis SUmus : * homo sicut fœnum dies ejus, tanquam flos agri sic *efflo*REbit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subSIstet : * et non cognóscet ámplius *locum* SUum.

Misericórdia autem Dómini ab æTERno, * et usque in ætérnum super ti*méntes* Eum.

Et justítia illíus in fílios filiOrum, * his, qui servant testa*méntum* Ejus :

Et mémores sunt mandatórum iPSIus, * ad faci*éndum* Ea.

Dóminus in cælo parávit sedem SUam : * et regnum ipsíus ómnibus *domi*NAbitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli Ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem ser*mónum* Ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes Ejus : * minístri ejus, qui fácitis volun*tátem* Ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera Ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima *mea,* DOmino.

Glória Patri.

Post repetitam Antiphonam Suávis cantantur ℣℣. sequentes :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Meménto congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : † et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ; * ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi, et actióne placeámus.

PRofíciat, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis afféctu : † ut sacris actiónibus erudíta, * quanto majestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur.

FIdéles tuos, Deus, benedíctio desidérata confírmet : † quæ eos, et a tua voluntáte numquam discrepáre fáciat, * et tuis semper indúlgeat beneficiis gratulári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. In fine Exercitiorum Moderator religiosæ Communitati benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria impertitur (Tit. VIII. cap. IV. Art. II). Tandem in gratiarum actionem a Fratribus coram altari SS. Sacramenti coadunatis cantatur Hymnus Te Deum, p. 94 vel 97, cum sequentibus Versiculis et Orationibus :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.
℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.
℣. Bénedic, ánima mea, Dómino.
℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exoránte; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEus innocéntiæ restitútor et amátor, dírige ad te tuórum corda servórum : † ut spíritus tui fervóre concépto, * et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces.

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus, † perseverántem in tua voluntáte famulátum; * ut in diébus nostris, et mérito et grátia tibi serviéntes, placére possímus.

BEnedictiónem tuam, Dómine, sacra família recípiat : † qua córpore salvétur et mente; * et propitiatiónis tuæ benefícium semper invéniat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

CAPUT VI

PRECES PRO INITIO ET FINE ANNI SCHOLARIS

1. Pro inchoando anno scholari, post Missam conventualem, vel alio tempore opportuno, cantatur Hymnus



Veni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

cui sequentes Versiculi et Orationes adjunguntur :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.
℣. Ora pro nobis, beáte Bonaventúra.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere ; * et de ejus semper consolatióne gaudére.

ADjuvet nos, quæsumus, Dómine, gloriósæ tuæ Genitrícis, sempérque Vírginis Maríæ, Matris Boni Consílii, intercéssio veneránda : † ut, quos perpétuis cumulávit benefíciis, * ea quæ agénda sunt júgiter vidére fáciat, et ad implénda quæ víderint convaléscere.

DEus, qui Ecclésiæ tuæ beátum Bonaventúram, Confessórem tuum atque Pontíficem, Doctórem mirábilem tribuísti : † concéde propítius ; * ut apud te hunc pium semper intercessórem habére mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Absoluto anno scholari, post Missam conventualem, vel alio tempore opportuno, Fratres studentes cum Lectoribus coram altari SS. Sacramenti conveniunt, atque in gratiarum actionem Hymnum Te Deum cantant cum Versiculis et Orationibus ut p. 94 vel p. 97.

CAPUT VII

PRECES IN PRIMITIIS NEO-SACERDOTIS

1. Neo-Sacerdos, antequam primam suam Missam inchoet, cum Presbytero assistente et sacris Ministris, si adsint, in infimo altaris gradu genuflexus, intonat Hymnum Veni Creátor p. 92, quem chorales alternatim prosequuntur; quo finito, subjungitur :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere; * et de ejus semper consolatióne gaudére.

OMnípotens et miséricors Deus, humilitátis meæ preces benígnus inténde : † et me fámulum tuum, quem nullis suffragántibus méritis, sed imménsa cleméntiæ tuæ largitáte cæléstibus mystériis servíre tribuísti, dignum sacris altáribus fac minístrum; * ut quod mea voce deprómitur, tua sanctificatióne firmétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Finita Missa, Celebrans, in plano coram altari stans, intonat Hymnum

3.

TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel p. 97,

quem (si chorus est retro altare) chorales, circa altare quasi in circulo stantes, prosequuntur. Intra Hymni cantum singuli altaris Ministri ceterique Confratres Neo-Sacerdoti sedenti in scabello, parum ad cornu Evangelii collocato, manus consecratas osculantur. Hymno absoluto, sequentes Versiculi et Orationes cantantur :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.
℣. Sacerdótes tui induántur justítiam.
℟. Et Sancti tui exsúltent.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus: † piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut, qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

OMnípotens sempitérne Deus, qui me peccatórem sacris altáribus adstáre voluísti, et sancti Nóminis tui laudáre poténtiam : † concéde propítius, per hujus sacraménti mystérium, meórum mihi véniam peccatórum; * ut tuæ Majestáti digne mérear famulári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Et Cantores subdunt :



3. Denique Neo-Sacerdos omnibus præsentibus benedictionem impertit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii ✠, et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

CAPUT VIII

CONSECRATIO QUOTIDIANA AD SS. COR JESU

Post Completorium vel in visitatione SS. Sacramenti vespere recitanda

O Salvátor amábilis, cúpiens mei grati ánimi sensus tibi osténdere, et offérre pro meis culpis aliquálem satisfactiónem, Cordi tuo Sacratíssimo me totum cónsecro, et propóno me numquam in pósterum, tua favénte grátia, peccatúrum. O Cor Jesu Sacratíssimum, benedictiónum tuárum plenitúdinem effúnde super Ecclésiam tuam Sanctam, super minístros omnésque filios ejus, ac præsértim super Ordinem nostrum et super hanc Província m. Justos confírma, peccátores convérte, moriéntibus adésto, ánimas in purgatório deténtas líbera, et dulce impérium tui amóris super corda ómnium exténde. ℟. Amen.

Pater, Ave et Credo.

℣. Cor Jesu flagrans amóre nostri.
℟. Inflámma corda nostra amóre tui.

CAPUT IX

RESPONSORIUM « TOTA PULCHRA ES »

post cœnam Sabbati cantandum



Chorus Cantores Chorus



Mater clementíssima! Ora pro nobis. Intercéde

pro no-bis ad Dóminum Jesum Chri-stum.

℣. In conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.

Orémus Oratio

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti ; * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

CAPUT X

ANNUA RENOVATIO EXPIATIONIS ERGA SACRATISSIMUM COR JESU

1. Post Missam solemnem (conventualem) omnes Religiosi, candelas ardentes in manibus tenentes, ad presbyterium se conferunt, et circa altare quasi in gyro genuflectunt. Celebrans autem, depositis ad scamnum casula et manipulo, assumit pluviale coloris Officii diei, et exposito SS. Sacramento, in infimo altaris gradu genuflexus intonat Hymnum Veni Creátor, p. 92, quem ceteri in suis locis pariter genuflexi usque ad finem prosequuntur.

8.



V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92.

Postmodum sacri Ministri subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat Orationem :

Orémus — Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ✝ ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Tunc Celebrans in infimo altaris gradu genuflexus actum consecrationis Ordinis Seraphici clara et intelligibili voce recitat, dum reliqui Religiosi mente eamdem consecrationem renovant.

O Cor divínum, o Cor infiníta adoratióne et infiníto amóre digníssimum, o Cor Jesu vulnerátum et sánguine éffluens, ecce ego Tibi comméndo, Tibi ádligo, in Te depóno una mecum univérsum Ordinem meum (vel universam Provínciam meam, vel hanc Communitátem

meam) totámque famíliam Seráphicam sub vexíllo sancti Patris nostri Francísci militántem. Tu eam Sánguine tuo puriórem éffice, Tu eam amóre tuo magis inflámma, Tu in ea signum Crucis tuæ indelebíliter sculpe, ut semper et ubíque et in ómnibus vocatióne sua sancta dignam se osténdat, dignam suo Patre stígmata gestánte, dignam seráphico suo Doctóre S. Bonaventúra, dignam vulneráto Corde tuo, cui eam sacrávi, Jesu mi crucífixe. Hoc a Te eníxe precor per mérita transfíxi Cordis sanctíssimæ Vírginis Matris nostræ et tuæ, Maríæ, et per intercessiónem ómnium Sanctórum, qui in terris tuum adorábile Cor máxima devotióne sunt prosecúti.

Et omnes respondent : Amen.

Deinde omnes simul cum Celebrante distincta voce recitant :

Jesu dulcíssime, * cujus effúsa in hómines cáritas, — tanta oblivióne, negligéntia, contemptióne, ingratíssime repénditur, — en nos, ante altária tua provolúti, — tam nefáriam hóminum socórdiam — injuriásque, quibus úndique amantíssimum Cor tuum affícitur, — peculiári honóre resarcíre conténdimus. —

Attamen, mémores tantæ nos quoque indignitátis — non expértes aliquándo fuísse, — índeque vehementíssimo dolóre commóti, — tuam in primis misericórdiam nobis implorámus, — parátis, voluntária expiatióne compensáre flagítia — non modo quæ ipsi patrávimus, — sed étiam illórum, qui, longe a salútis via aberrántes, — vel te pastórem ducémque sectári detréctant, — in sua infidelitáte obstináti, — vel, baptísmatis promíssa conculcántes, — suavíssimum tuæ legis jugum excussérunt. —

Quæ deploránda crímina, cum univérsa expiáre conténdimus, — tum nobis síngula resarciénda propónimus : — vitæ cultúsque immodéstiam atque turpitúdines, — tot corruptélæ pédicas innocéntium ánimis instrúctas, — dies festos violátos, — exsecránda in Te tuósque Sanctos jactáta maledícta — atque in tuum Vicárium ordinémque sacerdotálem convícia irrogáta, — ipsum dénique amóris

divíni Sacraméntum — vel negléctum vel horréndis sacrilégiis profanátum, — pública postrémo natiónum delícta, — quæ Ecclésiæ a Te institútæ júribus magisterióque reluctántur. —

Quæ útinam crímina sánguine ipsi nostro elúere possémus! — Intérea ad violátum divínum honórem resarciéndum, — quam Tu olim Patri in Cruce satisfactiónem obtulísti — quamque quotídie in altáribus renováre pergis, — hanc eámdem nos tibi præstámus, — cum Vírginis Matris, ómnium Sanctórum, — piórum quoque fidélium expiatiónibus conjúnctam, — ex ánimo spondéntes, — cum prætérita nostra aliorúmque peccáta ac tanti amóris incúriam — firma fide, cándidis vitæ móribus, — perfécta legis evangélicæ, caritátis potíssimum, observántia, — quantum in nobis erit, grátia tua favénte, nos esse compensatúros, — tum injúrias tibi inferéndas pro víribus prohibitúros, — et quam plúrimos potuérimus ad tui sequélam convocatúros. — Excípias, quæsumus, benignissime Jesu, — beáta Vírgine María Reparatríce intercedénte, — voluntárium hujus expiatiónis obséquium — nosque in offício tuíque servítio fidíssimos ad mortem usque velis, — magno illo perseveántiæ múnere, continére, — ut ad illam tandem pátriam perveniámus omnes, — ubi Tu cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas — Deus in sæcula sæculórum. — Amen.

3. Qua peracta, recitantur Litaniæ SS. Cordis, p. 80; postque omnes assurgunt et cantant, Cantoribus incipientibus, Antiphonam Suscépit cum Cantico Magníficat.



Canticum B. Mariæ V. Luc. 1, 46-55



Quia respéxit humilitátem anCILlæ SUæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes gene*rati*Ones.

Quia fecit mihi MAgna qui POTENS est : * et sanctum *nomen* Ejus.

Et misericórdia ejus a progénie IN proGENIes * timéntibus Eum.

Fecit poténtiam in BRAchio SUo : * dispérsit supérbos mente *cordis* SUi.

Depósuit potENtes de SEde, * et exal*távit* HUmiles.

Esuriéntes imPLEvit BOnis : * et dívites dimí*sit in*Anes.

Suscépit Israël, PUerum SUum, * recordátus misericórdiæ SUæ.

Sicut locútus est ad PAtres NOstros, * Abraham, et sémini e*jus in* SÆcula.

Glória PAtri, et FILIo, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et NUNC, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

4. Antiphona repetita, omnes præter Celebrantem et sacros Ministros iterum genuflectunt, et cantantur sequentes Versiculi et Orationes :

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

℣. Meménto congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Cor Jesu, flagrans amóre nostri :
℟. Inflámma cor nostrum amóre tui.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; † concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, * dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium.

FAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et affléctibus inflammári : † ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, * et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

5. Finitis hisce Orationibus, Celebrans iterum in infimo altaris gradu genuflectit, et cantato Tantum ergo, datur benedictio cum SS. Sacramento more solito. Reposito demum SS. Sacramento, Celebrans cum sacris Ministris in sacristiam revertit et Religiosi, candelis suis exstinctis, se recipiunt.

CAPUT XI

BENEDICTIO LILIORUM IN FESTO S. ANTONII PATAVINI

1. Ante vel, si opportunius videbitur, post Missam solemnem in festo S. Antonii fit solemnis benedictio et distributio liliorum, pro qua prope altare, in plano ad cornu Epistolæ super parva mensa ponuntur lilia benedicenda ea copia, quæ pro Religiosorum numero sufficiens videbitur; ibidem congruo in loco etiam Crux processionalis collocatur.

2. Celebrans igitur super amictum, albam et stolam pluviali albi coloris indutus, et sacri Ministri dalmatica et tunicella ejusdem coloris absque manipulis parati, more solito cum Ministris inferioribus ad altare procedunt.

3. Facta ab omnibus altari debita reverentia, Celebrans cum sacris Ministris suppedaneum conscendit, et altare osculatus, ad cornu Epistolæ, ubi Introitus Missæ legitur, se confert, et absolute in tono feriali incipit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, a quo omne bonum sumit inítium, et semper ad potióra progrédiens pércipit increméntum : † concéde, quæsumus, supplicántibus nobis; * ut quod ad laudem Nóminis tui inchoáre aggrédimur, ætérnæ tuæ sapiéntiæ múnere perducátur ad términum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Tum Celebrans, eodem in loco stans, imponit ac benedicit incensum, et dicto a Diacono in medio altaris Munda cor meum, ad illum conversus dat ei benedictionem, manum osculandam præbet, et Evangelium ut in Missa solemni cantandum auscultat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 6, 24-33.

℟. Glória tibi, Dómine.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre : aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget : aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ, quid manducétis, neque córpori vestro, quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca : et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea : et Pater vester cæléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans, potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri, quómodo crescunt; non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit : quanto magis vos módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse dicéntes : Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis. ℟. Laus tibi Christe.

5. Finito Evangelio, Celebrans a Diacono incensatur; deinde vertit se ad altare, et in eodem cornu Epistolæ cantat in tono feriali :

℣. Justus germinábit sicut lílium.
℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, Creátor et Conservátor géneris humáni, sanctæ puritátis amátor, dator grátiæ spirituális, et largítor ætérnæ salútis, † benedictióne tua sancta béne ✠dic hæc lília, quæ pro grátiis exsolvéndis, * in honórem sancti Antónii Confessóris tui, súpplices hódie tibi præsentámus, et pétimus benedíci. Infúnde illis, salutári signáculo sanctíssimæ ✠Crucis, rorem cæléstem; † tu benignissime, qui ea ad odóris suavitátem depellendásque infirmitátes, humáno úsui tribuísti, tali virtúte reple et confírma, ut, quibuscúmque morbis adhíbita, seu in dómibus locísque pósita, vel cum devotióne portáta fúerint, * intercedénte eódem fámulo tuo António, fugent dæmones, continéntiam salutárem indúcant, languóres avértant, tibíque serviéntibus pacem et grátiam concílient. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Posito incenso in thuribulo, Celebrans lilia aspergit dicens : Aspérges me, sine Psalmo, et eadem ter thurificat, nihil dicens; postea fit distributio liliorum et processio cum liliis similiter ac in festo Purificationis B. M. V. cum candelis. In hac processione cantatur Responsorium Si quæris mirácula pag. 90.

Finita processione, duo Cantores cantant :

℣. Ora pro nobis, beáte Antóni.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Et Celebrans, ante infimum altaris gradum stans, subjungit :

Orémus Oratio

SUbvéniat plebi tuæ, quæsumus, Dómine, præclári Confessóris tui beáti Antónii devóta et jugis deprecátio : † quæ in præsénti nos tua grátia dignos effíciat, * et in futúro gáudia donet ætérna. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione, Celebrans cum sacris Ministris pergit ad scamnum, manipulum et casulam pro Missa solemni assumpturus, vel, facta debita reverentia, ad sacristiam revertitur.

CAPUT XII

PROCESSIO IN PERVIGILIO FESTI B. M. V. ANGELORUM AD ANNUNTIANDAM INDULGENTIAM DE PORTIUNCULA DICTAM

1. In Vigilia Festi Portiunculæ nonnullis in locis, hora duodecima, fit processio per Ecclesiam et prope muros ejusdem ad annuntiandam et inchoandam Indulgentiam Portiunculæ.

2. Sacerdos pluviali albo indutus cum Ministris paratis circumert Reliquiam S. P. N. Francisci. Cantatur in honorem S. Patris Hymnus Proles de cælo :

Proles de cælo



2. Spoliátis Ægýptiis,
Transit dives, sed páuperis
Nec rem, nec nomen pérdidit,
Factus felix pro míseris.

3. Assúmptus cum Apóstolis
In montem novi lúminis,
In paupertátis prædiis
Christo Francíscus íntulit.

4. Fac tria tabernácula,
Petri secútus stúdia,
Cujus exémplo nóbili
Sponte relíquit ómnia.

5. Legi, Prophétæ, Grátiæ
Gratum gerens obséquium,
Trinitátis offícium
Festo solémni célebrat.

6. Dum réparat virtútibus
Hospes triplex hospítium :
Et beatárum méntium
Dum templum Christo cónsecrat.

7. Domum, portam et túmulum,
Pater Francísce, vísita,
Et Hevæ prolem míseram
A somno mortis éxcita.
Amen.

3. Ingredientes in Ecclesiam cantant in honorem B. M. V. Angelorum Hymnum Maria cui nil Filius :

Maria cui nil Filius



2. Avérte quidquid sérvulos
Ad prava possit fléctere,
Ut horreámus júgiter
Dei quod ira púniat.

3. Peccásse si nos áccidit,
Da flere mox et térgere
Nefas; fac omnis éxcidat
Pœnális in nos áctio.

4. Fac vita nostra défluat
Francísci adhærens móribus :
Sit hæc pudíca, sóbria;
Sit omnis expers críminis.

5. Mens nostra sanctæ insístere
Oratióni gáudeat;
Cadúca spernat cómmoda,
Mansúra quærat prǽmia.

6. Nostrúmque, tersis sórdibus,
Cor sancto amóre férveat,
Quem jure Christus éxigit
Dum præbet indulgéntiam.

7. Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

4. Reversi ad altare, sacri Ministri cantant ℣℣. sequentes :

℣. Coram ómnibus vivéntibus confitémini ei.
℟. Quia fecit vobíscum misericórdiam suam.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater noster Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans solus cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui per sanctíssimam Genitrícem tuam, super Angelórum choros exaltátam, homínibus dispensári bona cuncta voluísti : † per ipsam tríbue nobis, de tibi consecráta ejus Æde memóriam agéntibus; * ut nunc peccatórum indulgéntiam et gratiárum cópiam impetrémus, ac tandem beatórum spirítuum consórtium et gáudium cæléstis mansiónis habeámus.

DEus, qui Ecclésiam tuam, beáti Patris nostri Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Tunc genuflexi in infimo altaris gradu Celebrans et sacri Ministri recitant 6 Pater, Ave et Glória. Quibus finitis datur benedictio cum Reliquia S. Patris.

CAPUT XIII

MEMORIA TRANSITUS S. P. N. FRANCISCI

1. In Festo S. P. N. Francisci circa occasum solis, qua hora S. P. N. Franciscus evolavit in cælum, vel immediate post Vesperas, convenient Fratres, candelas ardentes gestantes, ad sacellum vel altare ipsius S. Patris; ibique more solito incensum imponitur et benedicitur; deinde præmissa profunda capitis inclinatione Celebrans, indutus pluviali albo, stans Reliquiam S. Patris duplici ictu adolet. Quibus finitis et omnibus ante ejus aram stantibus, Cantores incipiunt Antiphonam :



Psalmus 141



me-a ad Dóminum *depre*CAtus sum.

Chorus : Effúndo in conspéctu ejus oratiónem MEam, * et tribulatiónem meam ante *ipsum pro*NUNtio.

In deficiéndo ex me spíritum MEum, * et tu cognovísti sémitas MEas.

In via hac, qua am*bu*LAbam, * abscondérunt láqueum MIhi.

Considerábam ad déxteram, et *vi*DEbam : * et non erat qui co*gnósce*RET me.

Périit fuga A me, * et non est qui requirat ánimam MEam.

Clamávi ad *te,* DOmine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in ter*ra vi*VENtium.

Inténde ad deprecatiónem MEam : * quia humiliátus *sum* NImis.

Líbera me a persequén*ti*BUS me : * quia confortáti *sunt* SUper me.

Educ de custódia ánimam meam ' ad confiténdum nómi*ni* TUo : * me exspéctant justi, ' donec retríbuas MIhi.

Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum.* Amen.

Post Glória Patri repetitur Antiphona; mox, extinctis candelis, genuflectitur ab omnibus, et recitantur 5 Pater, Ave et Glória.

2. Postea omnes stant et cantant :

Ant. 2.



S Al-ve, Sancte Pater, * pátri-æ lux, forma Mi-

nórum : Vir-tú-tis spéculum, recti vi- a, régu-la mo-



rum; Car-nis ab exsí-li- o duc nos ad re-

gna po- ló-rum.

Omnes genuflectunt et duo Cantores cantant :



℣. Francíscus pauper et húmi-lis cælum dives ingré-



di-tur.



℟. Hymnis cæléstibus hono-rátur.

Tunc Celebrans assurgens subjungit :

Orémus

Oratio

DEus qui (hodiérna die) ánimæ beáti Patris nostri Francísci ætérnæ beatitúdinis prǽmia contulísti : † concéde propítius; ut qui ejus migratiónis memóriam piis affféctibus celebrámus, * ad ejúsdem beatitúdinis prǽmia felíciter pervenire mereámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Cantores vero subdunt :



3. Post hæc Celebrans, imposito ac benedicto incenso et præmissa profunda capitis inclinatione, stans sacram Reliquiam denuo duplici ictu adolet, et populum cum ea benedicit. Dein eamdem Religiosis et populo osculandam præbet.

CAPUT XIV

ANNUA RENOVATIO CONSECRATIONIS CHRISTO REGI ULTIMA DOMINICA OCTOBRIS

1. Post Missam solemnem exponitur SS. Sacramentum, et Fratres omnes, candelas ardentes gestantes, circa altare genuflexi, Hymnum Veni Creátor, Celebrante incipiente, decantant :



V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92.

Postmodum sacri Ministri subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat :

Orémus — Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Post Orationem, Celebrante incipiente, omnes cum eo prosequuntur :

Jesu dulcíssime, * Redémptor humáni géneris, — réspice nos ad altáre tuum humíllime provolútos. — Tui sumus, tui esse vólumus; — quo autem Tibi conjúncti firmius esse possímus, — en hódie Sacratíssimo Cordi Tuo — se quisque nostrum sponte dédicat. — Te quidem multi novére numquam; — Te, spretis mandátis tuis,

multi repudiárunt. — Miserére utrorúmque, benignissime Jesu; — atque ad sanctum Cor tuum rape univérsos. — Rex esto, Dómine, — nec fidélium tantum qui nullo témpore discessére a Te, — sed étiam prodigórum filiórum qui Te reliquérunt: — fac hos, ut domum patérnam cito répetant, — ne miséria et fame péreant. — Rex esto eórum, — quos aut opiniónum error decéptos habet, — aut discórdia separátos, — eósque ad portum veritátis — atque ad unitátem fídei révoca, — ut brevi fiat unum ovíle et unus pastor. — Rex esto eórum ómnium, — qui in ténebris idololatríæ aut Islamísmi adhuc versántur, — eósque in lumen regnúmque tuum vindicáre ne rénuas. — Réspice dénique misericórdiæ óculis — illíus gentis fílios, quæ támdiu pópulus eléctus fuit; — et Sanguis, qui olim super eos invocátus est, — nunc in illos quoque, — redemptiónis vitæque lavácrum, descéndat. — Largíre, Dómine, Ecclésiæ tuæ — secúram cum incolumitáte libertátem; — largíre cunctis géntibus tranquillitátem órdinis: — pérfice, ut ab utróque terræ vértice una résonet vox: — Sit laus divíno Cordi, — per quod nobis parta salus: — ipsi glória et honor in sæcula. — Amen.

3. Consecratione peracta recitantur Litaniæ SS. Cordis, p. 80. Deinde assurgunt omnes et, Cantoribus incipientibus, decantant Ant. Dabit illi cum Cantico Magníficat:



Canticum B. Mariæ Virginis Luc. 1. 46-55



Cantores : Quia respéxit humilitátem *ancíllæ* SUæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes gene*rati*Ones.

Quia fecit mihi *magna qui* POTENS est : * et sanctum *nomen* Ejus.

Et misericórdia ejus a progéni*e in pro*GENIes * timén*tibus* Eum.

Fecit poténtiam in *bráchio* SUo : * dispérsit supérbos mente *cordis* SUi.

Depósuit pot*éntes de* SEde, * et exal*távit* HUmiles.

Esuriéntes *implévit* BOnis : * et dívites dimi*sit in*Anes.

Suscépit Israel, *púerum* SUum, * recordátus misericór*diæ* SUæ.

Sicut locútus est *ad Patres* NOstros, * Abraham, et sémini e*jus in* SÆcula.

Glória *Patri*, *et* FILIo, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, *et nunc*, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

℣. Antiphona repetita, omnes iterum genuflectunt, et sacri Ministri decantant ℣℣. sequentes :

℣. Afférte Dómino, famíliæ populórum :
℟. Afférte Dómino glóriam et impérium.

℣. Multiplicábitur ejus impérium.
℟. Et pacis non erit finis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui in dilécto Fílio tuo, universórum Rege, ómnia instauráre voluísti : † concéde propítius; ut cunctæ famíliæ Géntium, peccáti vúlnere disgregátæ, * ejus suavíssimo subdántur império : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

5. Finita hac Oratione, cantatur Tantum ergo et datur more solito Benedictio.

CAPUT XV

DE ERECTIONE STATIONUM VIÆ S. CRUCIS

1. Ad legitimam S. Viæ Crucis constitutionem requiritur debita facultas, quæ, si agatur de Ecclesiis, publicis oratoriis, cœmeteriis aliisque locis publicis, necnon de oratoriis internis aliisque communibus locis decentibus Conventuum, conservatoriorum, hospitalium aliorumque locorum itidem piorum, atque de illis oratoriis privatis seu domesticis, quæ gaudent privilegio celebrandi in eis Missam, competit intra suos respectivos districtus omnibus Superioribus nostri Ordinis, qui hanc facultatem etiam delegare possunt Sacerdotibus sibi subditis, dummodo isti sint concionatores vel confessarii approbati.

2. Si autem agatur de oratoriis privatis non ex Indulto Apostolico erectis, necnon de cellis domesticis, requiritur Indultum S. Sedis.

3. Notandum est, delegationem *scripto* esse concedendam, *sub pœna nullitatis*.

4. Ad erectionem S. Viæ Crucis requiritur etiam licentia Ordinarii loci; nec sufficit licentia generice præstita, sed in singulis casibus pro unaquaque erectione obtinenda est. Excipiuntur ab hac lege Ecclesiæ et loca Ordinis nostri, necnon ceterorum Ordinum exemptionis privilegio gaudentium.

5. Requiritur insuper consensus Parochi, vel Rectoris Ecclesiæ, necnon Superioris vel Superiorissæ monasterii, hospitalis, loci pii, ubi Stationes S. Viæ Crucis sunt erigendæ.

6. Notandum est, licentiam hujusmodi et consensum prævie expedienda esse *in scriptis sub pœna nullitatis*.

7. Requiruntur *quatuordecim Cruces* ad repræsentandas Stationes Jerosolymitanas, quæ Cruces *sub pœna nullitatis* debent esse *visibiles* et *ex ligno* confectæ ad quas ex antiqua et generali consuetudine adjunguntur *totidem Imagines* repræsentantes eadem Passionis mysteria.

8. Requiritur Crucium (ac Imaginum, si adsunt), *benedictio* per Sacerdotem erectorem moraliter præsentem in loco, in quo Stationes sunt erigendæ, earumque *affixio*, interposita aliquali distantia inter unam et aliam Stationem. Affixio fieri potest ante vel post benedictionem, ab ipso erectore in actu canonicæ erectionis, vel a quocumque altero alio tempore.

9. Requiritur, ut post legitime constitutas S. Viæ Crucis stationes conficiatur *peractæ erectionis documentum,* ab erigente propria manu subscribendum.

10. Ad lucrandas Indulgentias S. Viæ Crucis exercitio adnexas requiritur præter statum gratiæ, cordis contritionem ac intentionem lucrifaciendi Indulgentias : a) *meditatio*, quantumvis brevis, Passionis D. N. Jesu Christi ac secundum unius cujuscumque capacitatem; b) si exercitium fit ab individuo *motus localis* de una Statione ad aliam; sin autem fit a Communitate, ad modum functionis sacræ publicæ, sufficit ut solus Sacerdos cum 2 Clericis circumeat; si fit a Communitate privatim, sufficit ut qui meditationes prælegit, circumeat si commode fieri possit; c) ut quatuordecim Stationes *uno tractu* visitentur, non interposito tanto temporis intervallo, ut pium exercitium notabiliter interruptum dici possit.

11. Hora igitur pro erectione constituta, Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, uno saltem Clerico adhibito, qui ei opportuno tempore porrigere possit vasculum aquæ benedictæ cum aspersorio, et thuribulum cum incensi navicula, ascendit altare, ibique stans brevi sermone super præstantia et utilitate pii exercitii Viæ Crucis populum alloquetur. Deinde genuflexus in infimo gradu intonabit Hymnum Veni Creátor, p. 92. Hymno finito, Sacerdos dicit :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEfénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, pópulum istum (vel istam famíliam) ab omni adversitáte : † et toto corde tibi prostrátum (vel prostrátam), * ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Benedictio tabularum pictarum,

si adsunt

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imágines sculpi aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur : has, quæsumus, imágines in honórem et memóriam unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi adaptátas bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris : et præsta; ut quicúmque coram illis unigénitum Fílium tuum supplíciter cólere et honoráre studúerit, illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dicta oratione, tabulas aqua benedicta aspergit, easque incensat. In oratorio privato omitti potest incensatio.

Benedictio Crucium,

quæ ex ligno esse debent

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ROgámus te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut dignéris bene ✠ dícere hæc signa Crucis, ut sint remédia salutária géneri humáno; sint solíditas fídei, profféctus bonórum óperum, redémptio animárum; sint solámen et protéctio, ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

BEnedic, ✠ Dómine Jesu Christe, has Cruces, quia per Crucem sanctam tuam eripuísti mundum a potestáte dæmonum, et superásti passióne tua suggestórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis per ligni vétiti sumptiónem.

Tunc Sacerdos eas aspergens dicat :

SAnctificéntur hæc signa Crucis in nómine Pa ✠tris, et Fí ✠lii, et Spíritus ✠ Sancti : ut orántes, inclinantésque se propter Dóminum ante istas Cruces, invéniant córporis et ánimæ sanitátem. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, ubi fit processio, cantantur sequentes Hymni :

Hymnus



2. Quæ vulneráta lánceæ
Mucróne diro, crímĩnum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit undα et sánguine.

3. Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus :
Regnávit a ligno Deus.

4. Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

5. Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sæculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.

6. O Crux, ave, spes única,
In hac triúmphi glória, [1]
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.

7. Te, fons salútis, Trínitas,
Colláudet omnis spíritus :
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde prǽmium. Amen.

Hymnus



2. Cujus ánimam geméntem,
Contristátam et doléntem,
Pertransívit gládius.

3. O quam tristis et afflícta
Fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!

[1] Temp. Pass. dicitur Hoc passiónis témpore. Temp. Pasch. dicitur Paschále quæ fers gáudium.

4. Quæ mœrébat et dolébat,
Pia mater, dum vidébat
Nati pœnas ínclyti.

5. Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
In tanto supplício?

6. Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
Doléntem cum Fílio?

7. Pro peccátis suæ gentis
Vidit Jesum in torméntis,
Et flagéllis súbditum.

8. Vidit suum dulcem Natum
Moriéndo desolátum,
Dum emísit spíritum.

9. Eja mater, fons amóris,
Me sentíre vim dolóris
Fac, ut tecum lúgeam.

10. Fac, ut árdeat cor meum
In amándo Christum Deum,
Ut sibi compláceam. Amen.

℣. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi.
℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum.

Orémus — Oratio

DEus, qui nos ínclyta Passióne Fílii tui per viam Crucis ad ætérnam glóriam pervenire docuísti: † concéde propítius; ut quem piis ad Calváriæ locum sociámus afféctibus, * in suis étiam triúmphis pérpetim subsequámur: Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

12. Sacerdos accedens ad locum primæ Stationis, osculatur Crucem et tabulam, easque, vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum, collocat in loco ad id præparato; deinde legit meditationem et preces huic Stationi respondentes; quod et fiet

in ceteris Stationibus. Quibus finitis, cantatur Hymnus Te Deum p. 94, vel 97; quo finito, subjungitur :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Sacerdos benedicit populum cum Cruce, nisi de licentia Ordinarii benedictio cum SS. Sacramento impertiatur.

Formulæ documentorum, quæ respiciunt S. Viæ Crucis erectionem

1. Erectio in locis publicis vel semipublicis

Cum Superiori Ordinis nostri porrecta fuerit S. Viæ Crucis erectionis postulatio, Superior scribat vel scribere faciat Oratoris nomine hujusmodi postulationem, ab Oratore subscribendam, ut ipsa tenere possit locum consensus in scriptis. Tenor postulationis esse potest, qui sequitur :

Reverende Pater,

Infrascriptus orator N. N., rector Ecclesiæ parochialis (succursalis etc.) Sancti N. (Superior, Superiorissa Conventus, hospitalis etc. N., vel incola) loci vulgo N. nuncupati in diœcesi (archidiœcesi) N., humiliter petit, ut Paternitas Tua per se vel alium Patrem sibi subditum S. Viæ Crucis Stationes benedicere ac erigere velit in prædicta Ecclesia parochiali (succursali etc., vel in oratorio, decenti loco prædicti Conventus, hospitalis etc., vel in privato solitæ oratoris habitationis oratorio, ubi viget indultum celebrandi Missam).

Quam gratiam etc. N. N.

Deinde Superior addit erectionis concessionem ac erigentis deputationem hoc vel simili modo :

Privilegio Apostolico Ordini Nostro benigne concesso utentes libenter annuimus præfatis oratoris precibus; ac tenore præsentium committimus Patri Fr. N. N. confessario (vel concionatori) nobis subdito, ut S. Viæ Crucis Stationes benedicat ac erigat in loco, de quo in precibus, cum adnexis Indulgentiis lucrandis ab omnibus fidelibus eas devote visitantibus (si agatur de Ecclesiis, vel aliis locis publicis, — vel ab omnibus in dicto Conventu, hospitali etc. habitantibus vel eo scholæ aut religionis causa adventantibus, si agatur de Conventibus et aliis locis piis, — vel ab oratore ejusque consanguineis et affinibus ac familiaribus cum eo cohabitantibus tantum, si agatur de oratoriis domesticis). Servatis omnibus de jure servandis, et relicto heic ad calcem peractæ erectionis testimonio propria erigentis manu subscripto [1].

Monemus vero oratorem, ut prævie obtineat Rmi Ordinarii loci in scriptis licentiam, et aliorum, quorum interest (si qui sint), consensum itidem in scriptis.

Datum N. hac die etc.

Fr. N. N.

(L. ✠ S.) Minister Prov. N.
Guard. Conventus N.

Præfata documenta tradat Superior oratori transmittenda ad Rmum Ordinarium loci, additis precibus, ut eisdem apponere velit licentiam requisitam. Hæ preces scribantur in folio separato, ut eædem reponi queant in archivo Episcopatus; fieri autem possunt hoc modo : Illustrissime ac Reverendissime Domine. — Infrascriptus orator N. N. (uti supra in formula postulationis) præmisso sacri anuli osculo, humiliter petit a Dominatione Tua licentiam, qua valeant erigi S. Viæ Crucis Stationes in N. N. (hic exprimitur locus erectionis uti supra in formula postulationis). Hanc autem licentiam Dominatio Tua apponere velit documentis transmissis, ut cum iisdem conservetur exhibenda, si in posterum opus fuerit.

Quam gratiam etc. N. N.

[1] Si ipse Superior Viam Crucis erigere velit, verba « ac tenore præsentium... erigentis manu subscripto » omittuntur.

Ordinarius exprimere potest ejusmodi licentiam, prout sequitur :

Concedimus, ut S. Viæ Crucis Stationes erigantur in loco, de quo in præfatis precibus.

Datum N. hac die etc.

N. N.

(L. ✠ S.) Episcopus N.

Post erectionem peractam erector adjungat supradictis documentis formulam ad fidem faciendam de erectione, prout sequitur :

Vigore facultatis mihi commissæ ego N. N. Viam Crucis cum adnexis indulgentiis erexi in loco ut supra in precibus, juxta regulas a S. Indulgentiarum Congregatione die 10 Maji 1742 præscriptas.

In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi (vel subscripsi) hac die etc.

N. N.

Si ipse Superior erexerit, præfata attestatio fiat hisce vel similibus verbis :

Vigore privilegii Apostolici Ordini Nostro benigne concessi, ego N. N. Superior Provinciæ N. (Conventus N.) Viam Crucis cum adnexis indulgentiis lucrandis ab (hic exprimuntur fideles, qui indulgentias lucrari possunt juxta diversitatem loci, prout superius in formula deputationis) erexi in loco ut supra in precibus, juxta regulas a S. Indulgentiarum Congregatione die 10 Maji 1742 præscriptas.

In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi (vel subscripsi) hac die etc.

Si agatur de Via Crucis erigenda a Sacerdote Ordini nostro extraneo, vigore specialis facultatis a Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum in scriptis concessæ, documenta requisita hoc confici possunt modo :

Imprimis ad Rmum Ordinarium loci transmittantur supplices litteræ, quibus postulatur licentia Viam Crucis erigendi. Hæ autem litteræ fiant in duplo, ut aliæ ad oratorem remittantur, aliæ vero in archivo Episcopatus reponantur. Eisdem litteris

adjungatur Ministri Generalis rescriptum, ut Ordinario constet de facultate legitime obtenta. Tenor hujusmodi litterarum esse potest, qui sequitur :

Illme ac Rme Domine,

Infrascriptus orator N. N., præmisso sacri anuli osculo, humiliter petit, ut Dominatio Tua heic ad calcem apponere velit licentiam, qua N. N. vi facultatis a Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum sibi concessæ, S. Viæ Crucis Stationes erigere valeat in (hic ponitur locus erectionis).

Quam gratiam etc. N. N.

Qua licentia in scriptis obtenta, obtentoque aliorum (si qui sint), quorum interest, consensu pariter in scriptis, procedatur ad canonicam erectionem, eaque peracta, ceteris documentis adjungatur hæc, quæ sequitur formula, ad faciendam fidem de erectione :

Vigore specialis facultatis mihi concessæ a Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum per rescriptum diei.... mensis..... anni..... ego N. N. Viam Crucis cum adnexis indulgentiis lucrandis ab (hic exprimuntur fideles, qui indulgentias lucrari possunt juxta diversitatem loci, prout apponitur in Superioris Generalis rescripto) erexi in loco ut supra in precibus, juxta regulas a S. Indulgentiarum Congregatione die 10 Maji 1742 præscriptas.

In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi hac die etc. N. N.

Nisi autem Ordinarius loci in rescripto datæ licentiæ testatus fuerit de facultate ab erigente legitime obtenta, saltem consulendum, ut Parochus memoratæ facultatis testimonium ceteris documentis addat hoc vel simili modo :

In fidem facultatis a præfato erectore legitime ut supra obtentæ, ego Parochus N. N. mea manu subscripsi hac die etc.

(L. ✠ S.) N. N.

II. Erectio in locis domesticis

Quando Via Crucis erigenda est in cellis domorum privatarum, requiritur speciale S. Sedis indultum. Formula precum esse potest, quæ sequitur :

Beatissime Pater,

N. N. diœcesis (archidiœcesis) N. ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus enixis precibus postulat indultum, quo S. Viæ Crucis Stationes cum adnexis indulgentiis erigi valeant in decenti loco solitæ suæ habitationis.

Quam gratiam etc. [1].

Hæ preces S. Sedi porrectæ ordinarie remittuntur « ad Rmum P. Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum cum facultatibus necessariis et opportunis ». Minister autem Generalis in suo rescripto erectionem committere solet « Sacerdoti concionatori aut confessario ex Ordine nostro, vel, si talis non adsit aut commode vocari non possit, Parocho loci ».

Si igitur hujusmodi rescriptum alicui Ordinis alumno præsentetur, Superior loci deputet erectorem ex subditis, hoc vel simili documento :

Attento præfato Rmi P. Ministri Generalis Ordinis rescripto, licentiam concedimus Patri Fr. N. N. confessario (concionatori) nobis subdito, ut se conferat ad locum, de quo supra in precibus, et ibidem S. Viæ Crucis Stationes erigat. Monemus tamen oratorem, ut prævie obtineat Rmi Ordinarii loci in scriptis licentiam.

Datum N. hac die etc.

Fr. N. N.

(L. ✠ S.) Guard. Conventus N.

Obtenta Ordinarii loci in scriptis licentia, ad canonicam erectionem procedatur; qua peracta, ceteris documentis addatur testi-

[1] Post obtentum rescriptum hæ preces ab oratore subscribantur, ut locum teneant ejusdem consensus in scriptis exarandi.

monium de erectione legitime facta, forma sequenti : Vigore facultatis mihi commissæ ego N. N. etc., (vide supra pag. 229).

Si vero erector ex Ordine nostro commode vocari non possit, post obtentam Rmi Ordinarii loci licentiam erectio fiat a Parocho loci, supposito nempe, quod in rescripto obtento erigendi facultas ipsi fuit delegata. Consulitur autem, ut in formula ad fidem faciendam de erectione fiat mentio absentiæ erectoris ex Ordine Franciscano, hoc vel simili modo :

Cum Sacerdos concionator aut confessarius ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci non adesset, nec commode vocari posset, vigore præfati rescripti ego N. N., parochus loci, Viam Crucis cum adnexis indulgentiis erexi in loco ut supra in precibus, juxta regulas a S. Indulgentiarum Congregatione die 10 Maji 1742 præscriptas.

In quorum fidem testimonium hoc mea manu exaravi hac die etc.

(L. ✠ S.) N. N.

CAPUT XVI

ORDO SERVANDUS IN DISCESSU MISSIONARIORUM

1. Quo die Missionarii iter ad terras Missionum aggrediuntur, Summum Sacrum ab uno ex ipsis majori qua fieri poterit solemnitate cantabitur, in qua dicitur Oratio pro Peregrinantibus[1] Adésto Dómine ad instar Collectæ pro re gravi. (Cfr. Rit. Rom. Tit. 8, Cap. 11).

2. Deinde tempore congruo omnes, præeuntibus Religiosis quos sequuntur Missionarii et Minister Provincialis, pluviali albo indutus, cum duobus Assistentibus, ordinatim e sacristia ad presbyterium se conferunt. Facta ab omnibus debita altari reverentia, Minister Provincialis cum Diacono et Subdiacono altare conscendunt. Tunc Superior in sedili a Ceroferariis allato sedet, et paternæ consolationis ac exhortationis sermonem ad fratres Missionarios dirigit, qui in presbyterio in aliquali ab altari distantia genua flectunt, reliquis Fratribus ordinatim circumstantibus.

3. Sermone finito, Minister Provincialis cum suis Assistentibus in infimum altaris gradum descendunt ibique genua flectunt. Ceteris omnibus in genua provolutis, Superior intonat :

8.



Veni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quod omnes, genuflexi usque ad finem, prosequuntur.

Ministri cantant :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Deinde Provincialis Minister assurgens cantat :

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere; * et de ejus semper consolatióne gaudére.

---

[1] Vide inter Missas votivas Missalis Missam pro peregrinantibus et iter agentibus.

DEus, qui omnes hómines vis salvos fieri, et ad agnitiónem veritátis veníre: † mitte, quæsumus, hos operários in messem tuam, et da eis cum omni fidúcia loqui verbum tuum; * ut sermo tuus currat et clarificétur, et omnes gentes cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum *: Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

4. Hisce dictis, Minister Provincialis cum Diacono et Subdiacono altare conscendit, et, Missionariis in terram prostratis, Superior voce clara litteras obedientiales Ministri Generalis prælegit. Quo finito, omnes surgunt et Missionarii, unus post alium, altare conscendunt, et quisque genuflexus suas litteras a Superiore accipit, post osculum, prius manus, deinde litterarum.

5. Tunc Cæremoniarius Cruces Missionarias in pelvicula ad altare affert, quas Minister Provincialis, stans in loco suo, benedicit, dicens :

Adjutórium, etc. vide Benedictionem crucis, p. 223.

6. Postea Superior cum sacris Ministris ante Cruces benedictas genuflectentes, eas devote adorant et illico surgentes ad populum sese convertunt, Diaconus tenens pelviculam cum Crucibus, Subdiaconus librum Ritualem. Tunc Missionarii, unus post alium altare conscendunt, et in suprema ora genuflectunt. Diaconus vero unam ex Crucibus accipit et post osculum Crucis et manus Superioris eam ipsi porrigit. Minister Provincialis devote eam osculatur et Missionario osculandam offert; quam deinde circa collum ipsius adaptat, dicens :

Accipe Crucem Dómini nostri Jesu Christi : in quo est salus, vita et resurréctio nostra.

Missionarius manum Superioris et Crucem deosculatus respondet, Subdiacono ei librum Ritualem præbente :

Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Et omnes circumstantes respondent : Amen.

Post hæc Minister Provincialis eum amplectens dicit : Pax tibi, Frater; ad quod Missionarius respondet : Deo grátias; pace acce-

pta, in locum suum redit, et alter accedit. Omnibus finitis, Provincialis Minister cum suis Assistentibus ante infimum altaris gradum descendunt ibique genua flectunt; et cum ipsis omnes alii similiter in genua provolvunt.

7. Tunc Missionarii intonant Hymnum Ave maris stella, quod omnes prosequuntur. Post primam strophan omnes assurgunt et Minister Provincialis cum suis Assistentibus se recipit in cornu Epistolæ.



Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis :
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem :
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum :
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

8. Hymno dicto eidem incipiunt Ant. Salve Sancte Pater, p. 214, quod item ab omnibus continuatur.

9. Post hæc profecturi intonant Itinerarium Ecclesiæ :





DE-us ISRA-el, * qui-a vi-si-távit et fe-cit redem-

Chorus



pti-ónem PLE- bis SU- æ. Et e-réxit...

Chorus : Et eréxit cornu saLUtis NObis : * in domo David, PUeri SUi.

Sicut locútus est per OS sanCTOrum, * qui a sæculo sunt, propheTArum Ejus :

Salútem ex iniMIcis NOstris, * et de manu ómnium, QUI oDErunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum PAtribus NOstris : * et memorári testaménti SUi SANcti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham, PAtrem NOstrum, * daTUrum se NObis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum LIbeRAti, * serviAmus ILli.

In sanctitáte, et justítia COram Ipso, * ómnibus diEbus NOstris.

Et tu, puer, Prophéta AltíssiMI voCABEris : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre VIas Ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis PLEbi Ejus : * in remissiónem peccaTOrum eOrum :

Per víscera misericórdiæ DEi NOstri : * in quibus visitávit nos, óriENS ex ALto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra MORtis SEdent, * ad dirigéndos pedes nostros in VIam PAcis.

Glória PAtri, et FILIo, * et SpiRItui SANcto.

Sicut erat in princípio, et NUNC, et SEMper, * et in sæcula sæcuLOrum. Amen.

Ant.



I N vi-am pa-cis et prospe-ri-tá-tis dí-rigat



nos omnípotens et mi-sé-ricors Dóminus : et Ange-

lus Rápha-el comi-tétur nobíscum in vi-a; ut cum



pace, sa-lúte et gáudi-o revertámur ad própri-a.

10. Antiphona repetita. Fratres profecturi cantant ℣℣. sequentes, quibus circumstantes respondent :



Ký-ri-e, e-lé-i-son. Christe, e-lé-i-son. Ký-ri-e,

e-lé-i-son. Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in nobis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.
℣. Benedíctus Dóminus die quotídie.
℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis.
℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ :
℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in directa.
℟. Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te :
℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Et dignior Missionariorum solus cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti : † tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquíllum; * ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti, † quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris : * esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, † in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; * ut, te duce, quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADésto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: † et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; * ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus omnípotens Deus : † ut família tua per viam salútis incédat, * et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

11. Post orationes exponitur Sanctissimum; et benedictione data, Missionarii insimul S. P. N. Francisci orationem recitant :

Adorámus te, Sanctíssime Dómine Jesu Christe, hic et ad omnes Ecclésias tuas quæ sunt in toto mundo; et benedícimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum.

SS. recondito, assurgunt et insimul cantant :



Procedámus in pace. Ceteri respondent : In nómine



Dómi-ni. Amen.

12. Tunc a Cæremoniario ducuntur ad Fratres qui linea recta se sistunt; ipsi vero, incipiendo a digniore, Fratres omnes salutant in osculo sancto pacis; Frater qui remanet dicit : Dóminus det tibi pacem et perseveántiam; profecturus autem respondet : Amen. Ora pro me. Interim Superior alta voce intonat Canticum Magníficat in 5 Tono, quod Fratres omnes cum populo prosequuntur.

Chorus



Magní-ficat * ánima me-a Dóminum. Et exsultá-

vit spí-ritus me-us, etc., p. 219.

Quibus peractis, ad portam Ecclesiæ se dirigunt et currum ascendunt.

TITULUS IV

RITUS PECULIARES I ORDINIS

CAPUT I

RITUS VESTITIONIS OBLATORUM I ORDINIS

1. Tempore opportuno, Superior superpelliceo et stola alba indutus, in suppedaneum altaris conscendit, atque in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedens, Postulantem genuflexum interrogat :

Quæ est petítio tua (vestra)?

Respondet ille :

Reverénde Pater, ego humíliter póstulo hábitum Tértii Ordinis de Pœniténtia, ut cum eo salútem ætérnam facílius cónsequi váleam.

Tunc Superior ait : Deo grátias, et brevissimam addit exhortationem, laudans tale propositum, quod ostensa excellentia et efficacitate Tertii Ordinis confirmat; deinde ad altare convertitur, et indumenta benedicens ait :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per mortem unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum restauráre misericórditer dignátus es, ut a morte perpétua nos liberáres, et ad gáudia perdúceres paradísi : réspice, quæsumus, pietátis tuæ óculo devótam hanc famíliam tuam, hic hódie in tuo nómine congregátam, cujus fámulus tuus beátus Francíscus, ut tibi augeátur credéntium númerus, éxstitit institútor. Illam super firmam petram, quæ Christus est, confírma, ut ab ómnibus turbatiónibus mundi, carnis et diáboli sit secúra : et incédens per tuórum sémitam mandatórum, méritis acerbíssimæ Fílii tui Passiónis, et Immaculátæ Matris ejus semper Vírginis Maríæ, ac beáti Patris nostri Francísci, omniúmque Sanctórum, gáudia ætérna possídeat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere, et in præsépio pannis invólvi dignátus es, quique glorióso Confessóri tuo beáto Patri nostro Francísco tres Ordines institúere salúbriter inspirásti, ac eósdem per summos Ecclésiæ Pontífices, tui Vicários, approbáre fecísti : imménsam tuæ cleméntiæ largitátem supplíciter exorámus; ut hæc induménta, quæ idem beátus Francíscus ad pœniténtiæ indícium, ac pro valída contra sæculum, carnem et dæmónem armatúra, commilitónes suos Fratres de Pœniténtia in Tértio Ordine portáre constítuit, bene ✠dícere, et sancti ✠ficáre dignéris, ut fámulus tuus (fámuli tui), ea devóte suscípiens (suscipiéntes), te ita índua(n)t, ut in spíritu humilitátis viam mandatórum tuórum ad mortem usque fidéliter percúrra(n)t : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si qui induendi sunt, plures fuerint, pronuntiabit in plurali quæ in singulari posita sunt.

Pro benedictione cinguli, seu chordæ, dicet :

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngulum istud (cíngula ista), et præsta; ut fámulus tuus (fámuli tui), qui hoc pœniténtiæ ligámine præcíngitur (præcingúntur), vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuo memor (-es) exsísta(n)t, tuísque semper obséquiis alligátum (-os) se esse cognósca(n)t. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Tunc habitum et cingulum aspergit aqua benedicta, nihil dicens. Postea in altaris infimo gradu, vel in suppedaneo genuflectens, incipit Hymnum :

8.



VEni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem cum adstantibus alternatim canit aut saltem recitat, usque ad finem; et Hymno absoluto, ad Postulantem coram altari genuflexum conversus, ipsum superiori veste sæculari, sacris Ministris (vel duobus Acolythis) adjuvantibus, exuit, dicens voce intelligibili :

EXuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis, et cor tuum avértat a sæculi pompis, quibus abrenuntiásti, dum baptísmum suscepísti. ℟. Amen.

Tunc imponens habitum seu scapulare, dicit :

Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. ℟. Amen.

Deinde cingulum porrigens dicit :

Præcíngat te Dóminus cíngulo puritátis, et exstínguat in lumbis tuis humórem libídinis, ut máneat in te virtus continéntiæ et castitátis. ℟. Amen.

Demum candela seu cereus accensus porrigitur, his verbis :

Accipe, Frater caríssime, lumen Christi, in signum immortalitátis tuæ. ℟. Amen.

Denique ad altare conversus, Sacerdos intonat :

Ps. 116 Laudáte Dóminum omnes Gentes, etc.

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvum fac servum tuum (servos tuos) :
℟. Deus meus, sperántem (-s) in te.
℣. Mitte ei (eis), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eos).
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (eis).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei (eis).
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus misericórdiæ, Deus pietátis, Deus a quo bona cuncta procédunt, sine quo nihil sanctum inchoátur, nihílque perfícitur : † précibus nostris benígnus assíste; et fámulum tuum, cui (fámulos tuos, quibus) in tuo sancto nómine sacrum pœniténtiæ hábitum imposúimus, ab ómnibus periculis mentis et córporis tua protectióne defénde, * et concéde ei (eis) in sancto propósito ad finem usque perseveráre, ut peccatórum suórum remissióne percépta, ad consórtium electórum tuórum pervenire mereá(n)tur.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem, dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui mira Crucis mystéria in beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti : † da huic fámulo tuo (his fámulis tuis) devotiónis suæ semper exémpla sectári, * et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri.

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : † ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, * Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

3. Hisce peractis, Superior dicit :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Et conversus ad circumstantes, omnibus benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

4. Si vero vestitio Oblatorum peragatur una cum vestitione Candidatorum primi Ordinis, eodem ritu ac illi religioso habitu induuntur, omissis solummodo iis quæ ad caputium spectant.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS OBLATORUM I ORDINIS

1. Post Missam conventualem, vel alia hora opportuniori, Superior superpelliceo et stola alba indutus, præcedentibus Fratribus professuris cum suo Magistro, ad altare se confert, ibique in infimo gradu genuflexus intonat Hymnum Veni Creátor, quem omnes, genuflexi usque ad finem, prosequuntur :

Postea Superior dicit :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DA, quæsumus, Dómine, huic fámulo tuo, quem (his fámulis tuis, quos) Ordinis hábitu decoráre jam dignátus es, * ad inchoáti óperis perfectiónem felíciter pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Quo dicto, Sacerdos ante altare sedens Novitium coram se genuflexum interrogat :

Frater caríssime (Fratres caríssimi), quæ est petítio tua (vestra)?

Novitius respondet :

Reverénde Pater, póstulo admítti ad sanctam professiónem in Tértio Ordine sancti Francísci, ut in eo usque ad mortem Deo sérviam.

Responso Deo grátias, Sacerdos sanctitatem professionis emittendæ breviter explicabit, fervorem laudabit confirmabitque, salutares professionis effectus nonnullis Sanctorum exemplis ostendens; vel aliud quid pro circumstantiis opportunum dicens. Qua exhortatione paucis verbis conclusa, Novitius coram Sacerdote genuflexus, junctis manibus pronuntiabit formulam professionis sequentem :

Ego Fr. N. firmiter propóno toto témpore vitæ meæ observáre Dei mandáta, et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Pater, uti decet satisfácere pro transgressiónibus quas fécero contra Régulam et modum vivéndi Tértii Ordinis Pœniténtiæ, institúti per beátum Patrem Francíscum, et confirmáti per Papam Nicoláum IV, vivéndi ínsuper, quámdiu in Ordine perseverávero, in obediéntia et in castitáte.

Superior subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

3. Cunctis autem surgentibus, cantatur Hymnus : Te Deum p. 94 vel 97, et Fratres omnes, unus post alium pacem deferunt novo professo, dicentes ei : Pax tecum, quibus ille respondet :

Et cum spíritu tuo.

Hymno Te Deum cantato, Superior dicit :

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

℣. Salvum fac servum tuum (Salvos fac servos tuos) :
℟. Deus meus, sperántem (-s) in te.

℣. Mitte ei (eis), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eos).

℣. Nihil proficiat inimícus in eo (eis).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei (eis).

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus; † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes ; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DOmine Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti; † concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, * et dignos fructus pœniténtiæ faciámus.

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : † ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, * Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes.

DEus, qui fámulum tuum (fámulos tuos) a vanitáte sæculi convérsum (-os) ad bravíum supérnæ vocatiónis assequéndum accéndis : † péctori ejus (pectóribus eórum) illábere, et grátiam tuam, qua in te persevéret (-ent), illi (-s) infúnde; * ut protectiónis tuæ munítus (-i) præsídiis, quod te donánte promísit (promisérunt) adímpleat (-ant), et sancte vivéndi áliis semper exémplum præbens (præbéntes), ad ea, quæ perseverántibus promíssa sunt, ætérna prǽmia pervéniat (-ant). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. In fine Superior dat novo professo benedictionem, quam beatus Pater Franciscus super fratrem Leonem pronuntiavit :

BEnedícat tibi Dóminus, et custódiat te. Osténdat fáciem suam tibi, et misereátur tui. Convértat vultum suum ad te, et det tibi pacem. — Dóminus te bene ✠ dícat. Amen.

Deinde super omnes :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Demum novo professo pedes Crucifixi porrigit osculandos, in signum amoris erga Christum perpetui, ac sempiterni fœderis.

CAPUT III

RITUS VESTITIONIS IN I ORDINE

1. Candidati, debite instructi et præparati, a Ministro Provinciali vel ab alio Ordinis Sacerdote per ipsum deputato in Ecclesia post Missam conventualem ad habitum admittantur.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ apponetur mensa in eaque disponentur habitus, caputia, cingula, coronæ septem Gaudiorum B. M. V., Breviarium Seraphicum, S. Regula et candela Novitiis suo tempore porrigenda; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio et Rituale Ordinis; ad partem Evangelii in promptu sit scabellum.

3. Hora igitur præstituta, Celebrans pro Missa conventuali paratus, ad altare se confert. Præcedunt Acolythi, Candidati bini ac bini, et Magister Novitiorum superpelliceo absque stola indutus. Exhibita ab omnibus sanctissimo Sacramento vel Cruci altaris debita reverentia, Candidati in plano ante altare in genua procumbunt, Celebrans vero Missam inchoat et more solito celebrat, intra quam Candidati sacram Communionem recipiunt. Finita Missa, Celebrans ad scamnum per cornu Epistolæ se confert, ubi, depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et cum duobus Assistentibus superpelliceo indutis ad altare reversus suppedaneum conscendit, atque altare osculatus in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedet; Religiosi autem, ubi chorus est retro altare, interim in presbyterium se conferunt et circa altare quasi in gyro consistunt.

4. Celebrans imprimis Candidatos interrogat :

Fílii caríssimi (Fili caríssime), quæ est petítio vestra (tua)?

Candidati simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci — et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum Ordinis Seráphici — admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans ait :

Deo grátias,

et brevem ad eos habet sermonem.

5. Deinde assurgit et ad altare conversus, duobus Assistentibus hinc inde librum ei sustinentibus, manibus junctis in tono feriali cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui a sæculi vanitáte convérsos, ad bravium supérnæ vocatiónis accéndis; et qui renuntiántibus sæculo, mansiónes paras in cælis : † diláta corda famulórum tuórum (vel cor hujus fámuli tui) cæléstibus donis, ut fratérna nobíscum teneántur (teneátur) compágine caritátis : * unánimes, constántes, sóbrii, símplices et quiéti (vel unánimis, constans, sóbrius, simplex et quiétus) regulária sanctórum Patrum institúta custódiant (custódiat) et ad eum, quem, te inspiránte, perfectiónis spíritum concepérunt (concépit), te adjuvánte, pervéniant (pervéniat). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, dux, salus et fortitúdo nostra, humíliter pétimus, ut fámulos tuos, quos (vel fámulum tuum, quem) sanctæ compunctiónis ardóre ab hujus sæculi vanitáte separásti, † étiam a conversatióne terréna discérnas, et grátiam, qua in te persevérent (persevéret), infúndas : * ut protectiónis tuæ præsídio muníti (munítus), quod te donánte afféctant (afféctat), te adjutóre cómpleant (cómpleat) : ut suæ conversiónis executóres effécti (executor efféctus), ad ea, quæ perseverántibus in te promíttere dignátus es, felíciter pertíngant (pertíngat) : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

6. Post hæc Celebrans medius inter duos Assistentes se ad cornu Epistolæ confert et benedicit vestimenta, sine cantu dicens :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Super vestimenta

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es, obsecrámus imménsam tuæ largitátis abundántiam, ut hoc genus vestiménti, quod sancti Patres ad innocéntiæ et humilitátis indícium, abrenuntiántes huic sæculo ferre sanxérunt : ita bene- ✠ dícere dignéris, ut hi fámuli tui (hic fámulus tuus), qui sanctæ Religiónis hábitum, piæ devotiónis afféctu, assúmere inténdunt (inténdit), te intus veráciter indúere mereántur (mereátur) : Qui vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Super chordam sive cingulum

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngula ista (cíngulum istud), et præsta ; ut fámuli tui (fámulus tuus), qui hoc pœniténtiæ ligámine præcingúntur (præcíngitur), vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuo mémores exsístant (memor exsístat), et in Ordine, quem assúmunt (assúmit), constánter persevérent (persevéret), tuísque cum efféctu semper obséquiis alligátos se esse cognóscant (alligátum se esse cognóscat). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Quibus completis, aspersorium accipit de manu primi Assistentis, et ter Candidatos aspergit, terque vestimenta, nempe in medio, a sinistris suis et a dextris, proferens sine Psalmo Antiphonam Aspérges me Dómine etc., quin hæc aut illos thurificet :

7. Benedictione vestimentorum peracta, ad medium altaris cum Assistentibus redit, et in supremo gradu genuflexus intonat Hymnum :

8.

Veni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem Religiosi, pariter genuflexi usque ad finem, prosequuntur.

Finito Hymno, duo Assistentes subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens in suppedaneo cantat Orationem :

Orémus — Oratio

DEus miséricors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihílque boni perfícitur : adsint nostris humíllimis précibus tuæ pietátis aures : † et fámulos tuos, quibus (vel fámulum tuum, cui) in tuo sancto nómine hábitum nostræ Religiónis impónimus, a mundi impediménto, vel sæculári desidério defénde; * et concéde eis (ei) ut in hoc sancto propósito devóti (devótus) persístere, et remissióne peccatórum percépta, ad electórum tuórum váleant (váleat) pervenire consórtium. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Deinde Celebrans ad Candidatos conversus, priori Assistente librum ei sustinente, altero autem fimbriam pluvialis elevante, primum Candidatum in supremo altaris gradu interim genuflexum superiori veste sæculari, duobus Acolythis adjuvantibus, exuit, dicens voce intelligibili :

Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis.

Et Candidatus respondet : Amen.

Tunc adjutus, ut supra, Candidatum Ordinis habitu induit, pronuntians ad singula indumenta Orationes congruentes, ad quas ipse Candidatus semper respondet Amen, videlicet :

Ad Habitum

Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est, in justítia et sanctitáte veritátis. ℟. Amen.

Ad Caputium

Pone, Dómine, capútium salútis in cápite ejus, ad expugnándas diabólicas fraudes. ℟. Amen.

Ad Cingulum

Præcíngat te Dóminus cíngulo puritátis, et exstínguat in lumbis tuis humórem libídinis, ut máneat in te virtus continéntiæ et castitátis. ℟. Amen.

Ad Rosarium

Accipe, Frater caríssime, Corónam beátæ Maríæ Vírginis, in memóriam septem Gaudiórum suórum contéxtam. ℟. Amen.

Ad Breviarium (si Novitius fiat Clericus)

Accipe Breviárium Seráphicum, ut incípias Horas canónicas, et dicas Officium divínum in Ecclésia. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Ad Regulam

Accipe Régulam istam, quam tibi servándam trádimus. ℟. Amen.

Ad Candelam accensam

Accipe lumen Christi in signum immortalitátis tuæ. ℟. Amen.

Redditis in manus Magistri Breviario, Regula et Candela, Celebrans Novitio porrigit Crucem, dicens :

Ad Crucifixum

Accipe Crucem Dómini nostri Jesu Christi : in qua est salus, vita et resurréctio nostra. ℟. Amen.

Novitius, manum Celebrantis et Crucem osculatus, respondet :

Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Et omnes circumstantes respondent : Amen.

Post hæc Celebrans Novitio nomen alicujus Sancti imponit, quod hic deinceps in vita sua religiosa geret, dicens :

Fili, in pósterum non vocáberis N., sed Frater N.

Demum ei pacem tribuit, dicens :

Pax tibi, Frater; ad quod Novitius respondet : Deo grátias.

Pace accepta, Novitius debitis cum reverentiis in locum suum recedit, et alter Candidatus pro vestitione accedit.

9. Vestitione omnium Candidatorum peracta, Celebrans ad altare iterum se convertit, et Assistentes sequentes cantant Versiculos :

℣. Salvos fac servos tuos (Salvum fac servum tuum) :
℟. Deus meus, sperántes (sperántem) in te.

℣. Mitte eis (ei), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos (eum).

℣. Nihil proficiat inimícus in eis (eo).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis (ei).

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans subjungit.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut fámulos tuos, quibus (fámulum tuum, cui) de tua grátia præsuméntes, nostræ Religiónis hábitum imposúimus : † dignéris inter discípulos tuos virtúte ex alto indúere, justítiæ lorica munire, et salútis protégere vestiménto, * ut intercedénte beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo, sub humilitátis veste tibi perseveránter deserviéntes (desérviens), ad stolam immortalitátis et glóriæ pervenire mereántur (mereátur). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

10. Tunc, nisi ritus admissionis ad professionem statim sequatur, de quo infra (pag. 265), Celebrans in planum descendit, et duo Cantores in tono sexto intonant Ps. 15 Consérva me Dómine, quem Religiosi alternatim cantant vel recitant. Interim vero Magister Novitiorum novellos Confratres ad singulos Patres ac Fratres deducit, ut pacem ab omnibus recipiant. Primo eos ad Prælatos majores, si adsint, adducit, dein ad duos Assistentes ante gradus altaris, postea ad reliquos Religiosos, reverentiis altari et unicuique debitis nunquam omissis. Qui dat pacem, dicit : Dóminus det tibi pacem et perseverántiam; qui eam accipit, respondet : Amen. Ora pro me.

Psalmus 15



Cantores : Sanctis, qui sunt in ter*ra* Ejus, * mirificávit omnes voluntátes me*as in* Eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes *e*Orum : * póstea acce*lera*VErunt.

Non congregábo conventícula eórum de *san*GUInibus : * nec memor ero nóminum eórum per lá*bia* MEa.

Dóminus pars hereditátis meæ et cáli*cis* MEi : * tu es qui restítues hereditátem *meam* MIhi.

Funes cecidérunt mihi in *præ*CLAris : * étenim heréditas mea præclá*ra est* MIhi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi in*tel*LEctum : * insuper et usque ad noctem increpuérunt me *renes* MEi.

Providébam Dóminum in conspéctu meo SEMper : * quóniam a dextris est mihi, *ne com*MOvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lin*gua* MEa : * ínsuper et caro mea requi*éscet* IN spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in *in*FERno: * nec dabis sanctum tuum vidére cor*rupti*Onem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, † adimplébis me lætítia cum vul*tu* TUo : * delectatiónes in déxtera tua us*que in* FInem.

Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

11. Finito Psalmo et pace Novitiis ab omnibus data, duo Assistentes sequentes subjungunt Versículos, Celebrans vero cantat Orationes :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater noster Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti; † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEus, qui mira Crucis mystéria in beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti; † da his fámulis tuis (huic fámulo tuo) devotiónis suæ semper exémpla sectári, * et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Demum duo Cantores cantant :



Celebrans altare conscendit et omnibus benedicit, proferens alta voce :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

12. Quibus omnibus absolutis, Celebrans cum Ministris et Novitiis eodem ordine quo venerant in sacristiam revertuntur. Magister vero Novitiorum curam habebit, ut Novitii etiam interiores vestes sæculares mox in cella deponant et juxta præscriptum S. Regulæ induantur, atque tonsura statui ipsorum competenti initientur; præterea testimonium peractæ vestitionis in libro ad id destinato juxta Constitutiones Generales n. 40 inserendum et subscribendum curabit.

CAPUT IV

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS IN I ORDINE

1. Absoluto integro probationis anno, Novitii digni reperti, rite examinati et præparati, ad professionem votorum simplicium admitti debent, quam in manus Ministri Provincialis vel alterius Patris a Ministro deputati coram Communitate religiosa in Ecclesia post Missam conventualem juxta ritum inferius notatum emittent.

2. Hora igitur præstituta, Celebrans pro Missa conventuali paratus ad altare se confert. Præcedunt Acolythi, Novitii bini ac bini Crucifixum in manibus tenentes, et Magister Novitiorum superpelliceo absque stola indutus. Peracta erga altare reverentia, Novitii professuri in plano ante altare in genua procumbunt, Celebrans vero Missam inchoat et more solito celebrat, intra quam Novitii sacram Communionem recipiunt. Finita Missa, Celebrans ad scamnum per cornu Epistolæ se confert, ubi, depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et cum duobus Assistentibus superpelliceo indutis ad altare reversus, suppedaneum conscendit atque altare osculatus in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedet; Religiosi autem, ubi chorus est retro altare, interim in presbyterium se conferunt et ibi circa altare quasi in gyro consistunt.

3. Celebrans imprimis Novitios interrogat :

Fratres caríssimi (Frater caríssime), quæ est petítio vestra (tua)?

Novitii in communi respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci — et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum simplícium et temporariórum — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata pétitione, Celebrans respondet :

Deo grátias

ac brevem dirigit sermonem ad Novitios professuros et ad circumstantes, in cujus fine Novitios denuo interrogat hoc modo :

Vultis, Fratres caríssimi (Visne, Frater caríssime), in sancto vocatiónis vestræ (tuæ) propósito perseveráre, et ad observántiam trium votórum, sanctæ Régulæ omniúmque præceptórum ejus vos (te) adstríngere?

Novitii in communi respondent :

Volo.

Et Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

4. Quibus dictis, Celebrans cum Assistentibus in ora suppedanei genuflexus, intonat Hymnum :

8.



Veni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc. p. 92,

quem ceteri, in suis locis pariter genuflexi usque ad finem, prosequuntur. Postmodum duo Assistentes subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat Orationes :

Orémus

Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere; * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DA, quæsumus, Dómine, fámulis tuis, Frátribus nostris, †(fámulo tuo, Fratri nostro †), quos (quem) Ordinis hábitu decoráre jam dignátus es, * ad inchoáti óperis perfectiónem felíciter pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Expletis orationibus, omnes surgunt, et Celebrans iterum in scabello sedet, duo Assistentes vero ab utraque parte ipsius con-

sistunt, munere testium professionis functuri. Tunc primus Novitius a suo Magistro comitatus, in ora suppedanei coram Celebrante genuflectit et manus suas junctas in manibus Celebrantis tenens, clara et intelligibili voce pronuntiat

Formulam professionis votorum simplicium

Ego Frater N. N., inténdens hanc professiónem fácere ad normam sacrórum Canónum de votis simplícibus et temporáriis in Ordine nostro emitténdis, vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Pater, serváre Régulam Fratrum Minórum per Dóminum Papam Honórium confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio, et in castitáte.

Recipiens vero professionem, quin surgat, statim subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Circumstantes respondent : Amen. Celebrans tunc Neo-professum amplectens, pacem ei tribuit, dicens : Pax tibi, Frater; ad quod hic respondet : Deo grátias, moxque assurgens cum consueta reverentia erga Celebrantem in planum descendit. Ibi Magister ei caparonem, probationis signum, a caputio separat. Eodem modo alii ex ordine ad Celebrantem pro formula professionis enuncianda accedunt.

6. Peracta singulorum professione, Celebrans assurgit et consistens in suppedaneo medius inter duos Assistentes ad altare se convertit; Magister vero Neo-professos ad singulos Religiosos deducit, ut pacem ab omnibus recipiant. Qui dat pacem dicit : Dóminus det tibi pacem et perseveréntiam; Novitius respondet : Amen. Ora pro me. Interim Cantoribus incipientibus decantatur Ant. Ecce quam bonum; Cantores vero prosequuntur Ps. 132 a ℣. Sicut unguéntum, Choralibus post singulos Versus repetentibus Ant. Ecce quam bonum.

Chorus

Ant. 6. F



E Cce quam bo-num * et quam jucúndum, habi-tá-

Cantores

re fratres in u-num! Sicut unguéntum *in* CApi-te, *

Chorus

quod descéndit in barbam, *barbam* A-aron. Ant. Ecce

Cantores



quam. ℣. Quod descéndit, etc.

Cantores : Quod descéndit in oram vestiménti Ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in *montem* SIon.

Chorus : Ecce quam bonum et quam jucúndum, habitáre fratres in unum.

Cantores : Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiOnem, * et vitam usque *in* SÆculum.

Chorus : Ecce quam bonum.

Cantores : Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirítui SANcto.

Chorus : Ecce quam bonum.

Cantores : Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Chorus : Ecce quam bonum.

Cantores deinde intonant Ps. 112 Laudáte púeri, etc.



LAudáte pú-eri DOminum : * laudá-te *nomen*

DOmi-ni. Sit nomen Dómi-ni, etc.

Chorus : Sit nomen Dómini beneDIctum, * ex hoc nunc et usque *in* SÆculum.

Cantores : A solis ortu usque ad *oc*CAsum, * laudábile *nomen* DOmini.

Chorus : Excélsus super omnes gen*tes* DOminus, * et super cælos glór*ia* Ejus.

Cantores : Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in al*tis* HAbitat, * et humília réspicit in cælo *et in* TERra.

Chorus : Súscitans a ter*ra* INopem, * et de stércore é*rigens* PAUperem.

Cantores : Ut cóllocet eum cum *prin*CIpibus * cum princípibus pó*puli* SUi.

Chorus : Qui habitáre facit stérilem *in* DOmo * matrem filió*rum læ*TANtem.

Cantores : Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirí*tui* SANcto.

Chorus : Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

Pro temporis exigentia addi potest Ps. 15 Consérva me, p. 255.

7. Finitis Psalmis et pace Neo-professis ab omnibus data, Assistentes sequentes cantant Versiculos :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvos fac servos tuos (Salvum fac servum tuum) :
℟. Deus meus, sperántes (sperántem) in te.
℣. Mitte eis (ei), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos (eum).
℣. Nihil proficiat inimícus in eis (eo).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis (ei).
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

CUstódi, Dómine, quæsumus, famíliam tuam propitiatióne perpétua : † et quia sine te lábitur humána mortálitas; * tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur.

OMnípotens, sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; † ut in nómine dilécti Fílii tui * mereámur bonis opéribus abundáre : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Postea Celebrans cum Assistentibus ante infimum altaris gradum descendit et intonat Hymnum Te Deum, p. 94, vel 97, quem chorales alternatim prosequuntur :

3.

TE De-um laudámus, p. 94 vel 97.

Interim, ubi hæc est consuetudo, processio per claustrum instruitur, præeunte Crucifero, superpelliceo induto, inter duos Ceroferarios, candelabra accensa deferentes, et Neo-professis immediate ante Celebrantem paratum incedentibus. Processione ad presbyterium reversa, omnes, uti prius, coram altari consistunt.

9. Finito Hymno, duo Assistentes sequentes cantant Versiculos :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater noster Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus **Oratio**

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prémia futúra dispónas.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti; * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde duo Cantores cantant :



10. Postmodum Celebrans iterum suppedaneum ascendit et conversus ad Neo-professos genuflexos et mediocriter inclinatos specialem benedictionem beati Patris Francisci eisdem impertit, manibus junctis dicens :

Bene ✠ dícat vobis (tibi) Dóminus, et custódiat vos (te). Osténdat fáciem suam vobis (tibi), et misereátur vestri (tui). Convértat vultum suum ad vos (te), et det vobis (tibi) pacem. Dóminus vos (te) bene ✠ dícat.

Et Neo-professi se erigentes respondent : Amen.

Demum Celebrans omnibus præsentibus in genua provolutis benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

11. Quibus omnibus absolutis, Celebrans cum Ministris et Neoprofessi eodem quo venerant ordine in sacristiam revertuntur. Magister autem Novitiorum curabit, ut juxta Constitutiones Generales n. 84 diei ac horæ, mensis et anni, quibus votorum simplicium professio facta est, nominis item patriæ profitentis, et ad professionem admittentis, memoria fiat in libro ad id destinato, cum eorumdem et testium subscriptionibus.

APPENDIX I

DE VESTITIONE ET PROFESSIONE EODEM TEMPORE FACIENDIS

Si eodem tempore vestitio facienda sit atque professio, cæremoniæ hoc ordine fiunt : Candidati Novitios præcedunt ad altare; Celebrans primum Candidatos, dein Novitios interrogat :

Fílii carissimi (Fili caríssime), quæ est petítio vestra (tua)?

Fratres caríssimi (Frater caríssime), quæ est petítio vestra (tua)?

Qua ab his et illis prolata (p. 249 et 258), brevem ad omnes dirigit sermonem utrique sacræ functioni accommodatum. Tum sacram vestitionem peragit ut supra, p. 250-254, n. 5-9 inclusive. Post Orationem : Majestátem tuam Superior ad professionem excipiendam immediate procedit incipiendo ab his Versiculis et Oratione :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DA quǽsumus, Dómine, fámulis tuis, Frátribus nostris, † (fámulo tuo, Fratri nostro †), quos (quem) Ordinis hábitu decoráre jam dignátus es, * ad inchoáti óperis perfectiónem felíciter pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Cetera fiunt ut supra, p. 259, a n. 5 usque ad finem. (p. 265, n. 11).

APPENDIX II

DE RENOVATIONE VOTORUM TEMPORARIORUM

1. Si, expleto tempore votorum simplicium, vota solemnia non statim sed demum post determinatum tempus emitti possint, vota temporaria renovanda sunt hoc modo :

Minister Provincialis (vel ipsius Delegatus), post Missam conventualem vel alio opportuniori tempore, in Ecclesia vel sacristia, coram duobus testibus Professurum interrogat :

Frater caríssime (Fratres caríssimi), quæ est petítio tua (vestra)?

Et Professurus respondet :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci — et ómnium Sanctórum, — quaténus me ad renovatiónem votórum simplícium — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Quibus Superior respondet :

Quod Deus omnípotens concédat tibi (vobis) per grátiam suam.

Deinde omnes genuflectunt et Hymnum Veni Creátor, p. 92 recitant; in fine Superior dicit ℣. Emítte Spíritum cum sola Oratione Deus qui corda, p. 93.

2. Tunc Professurus genuflexus ante Superiorem, sedentem in scabello, et manus suas junctas in manibus ipsius Superioris tenens, clara ac intelligibili voce pronuntiat :

Ego Frater N. N., inténdens hanc professiónem fácere ad normam sacrórum Canónum de votis simplícibus et temporáriis in Ordine nostro emitténdis, vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Pater, pro..... (hic exprimitur tempus pro quo professio emittitur) serváre Régulam Fratrum Minórum, per Dóminum Papam Honórium confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio et in castitáte.

Quibus finitis Superior dicit :

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te pervéniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

cum Orationibus Custódi et Omnípotens, p. 262-263.

CAPUT V

RITUS PROFESSIONIS SOLEMNIS IN I ORDINE

1. Præmissis juxta sacros Canones et Constitutiones Ordinis præmittendis, hæc professio pro actus gravitate intra Missarum solemnia celebretur et majori quoque solemnitate externa fiat quam professio votorum simplicium.

2. Hora igitur constituta, Minister Provincialis vel alius Pater ab ipso in scriptis delegatus, consuetis paramentis pro Missa solemni indutus cum sacris Ministris similiter paratis ad altare procedit. Præcedunt post Ceroferarios Fratres professuri, bini et bini candelam accensam in manu extima tenentes, comitati a suo Magistro, superpelliceo induto.

3. Facta ab omnibus altari debita reverentia, Celebrans cum sacris Ministris suppedaneum conscendit, ibique parum ad latus Evangelii in scabello sedens, Fratres professuros ante altare genuflexos interrogat :

Fratres caríssimi (Frater caríssime), quæ est petítio vestra (tua)? Qui simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci — et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum solémnium in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Celebrans respondet :

Deo grátias.

Et post brevem exhortationem Missam inchoat usque ad (T. P. secundum) Allelúia, Tractum vel Sequentiam exclusive.

4. Tunc denuo ad Professuros conversus, eos interrogat :

Vultis, Fratres mei (Visne, Frater mi), in sancta vocatió-

nis vestræ (tuæ) professióne perseveráre et Deo vos (te) solémniter consecráre?

Et illi simul respondent :

Volo.

Tum Celebrans adhuc ibidem stans omnes ad orationem exhortatur, dicens :

ORémus, Fratres adstántes caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, ut super hos fámulos suos, Fratres nostros, quos (hunc fámulum suum, Fratrem nostrum, quem) ad Ordinem Seráphicum vocáre dignátus est, benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat, eísque (eique) sanctæ vocatiónis propítius dona consérvet et preces nostras, ómnibus Sanctis Ordinum nostrórum intercedéntibus, benígnus exáudiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Deinde Celebrans cum sacris Ministris in planum descendit, et in infimo altaris gradu genuflectit; professionem vero emissuri candelam exstinctam seponunt ac in suis locis super tapetia se prosternunt, et, ceteris omnibus genuflexis, duo Cantores inchoant Litanias omnium Sanctorum pro Nostratibus dispositas, p. 129. Non autem respondetur Ora pro nobis, sed Ora pro eis (eo); a Versu vero Propítius esto cantatur ut sequitur :

Propí- *ti- us* E- sto, par- ce no-bis, Dómine.
Propí- *ti- us* E- sto, ex- áu-di nos, Dómine.
Ab immun-
dítia cor- *dis et* COR poris, lí-be-ra e- os,[1] Dómine.
Ab o- *mni pec-* CA- to, lí-be-ra e- os, Dómine.
A damnatió- *ne per-* PE- tua, lí-be-ra e- os, Dómine.
Ab *o- mni* MA- lo, lí-be-ra e- os, Dómine.
Per mystéri-
um sanctæ
Incarnatió-
nis, Passió-
nis et Resur-
recti- *ó- nis* TU- æ, lí-be-ra e- os, Dómine.

[1] Pro uno Professuro dicitur eum.

Pec- *ca-* TO- res, te rogámus, audi nos.
Ut pacem et tranquillitátem e- *is* (*ei*) DO- nes, te rogámus, audi nos.
Ut hos fámulos tuos ' (hunc fámulum tuum) ' in vera castitáte et paupertáte perseverá- *re* FA- ci-as, te rogámus, audi nos.
Ut eis (ei) virtútem veræ obediéntiæ et humilitátis donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.
Ut eos (eum) in tuo sancto servítio perseverá- *re* FA- ci-as, te rogámus, audi nos.
Ut eis (ei) augméntum Fídei, Spei et Caritátis donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis, ' réquiem ætérnam donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.

Nunc ipse Celebrans subdit :

Ut præséntes fámulos tuos, Fratres nostros (præséntem fámulum tuum, Fratrem nostrum), bene ✠ dícere *di*GNE-ris, et Chorus respondet : te rogámus, audi nos.

Ut præséntes fámulos tuos, Fratres nostros (præséntem fámulum tuum, Fratrem nostrum), bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre *di*GNE-ris, Chorus : te rogámus, audi nos.

Cantores prosequuntur :

Fi*li* DEi, Chorus : te rogámus, audi nos.



Agnus De- i, qui tollis peccá- ta mundi, 1. parce no-
2. exáu-di
3. mi- se- ré-



1. bis, Dómine.
2. nos, Dómine.
3. re no- bis.



Christe, audi nos. Christe, exáudi nos. Ký- ri- e, elé- i-



son. Christe, e-lé- i-son. Ký- ri-e, e-lé- i-son.

6. Nunc Celebrans genuflexus intonat :

8.



℣. Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc. p. 92,

quod omnes, genuflexi usque ad finem, prosequuntur.

7. Post Veni Creátor duo Cantores cantant :

℣. Salvos fac servos tuos (Salvum fac servum tuum) :
℟. Deus meus sperántes (sperántem) in te.
℣. Mitte eis (ei), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos (eum).
℣. Nihil proficiat inimícus in eis (eo).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis (ei).
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Et Celebrans assurgens subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui non vis mortem peccatóris, sed per pœniténtiam, et emendatiónem vitam semper inquíris : † te supplíciter deprecámur; ut his fámulis tuis, Frátribus nostris (huic fámulo tuo, Fratri nostro) sæculáribus áctibus votis solémnibus renuntiántibus (renuntiánti), large tuæ benedictiónis grátiam infúndere dignéris : * quátenus castris tuis insérti (insértus), ita tibi militándo statum vitæ præséntis percúrrere váleant (váleat), ut bravium ætérnæ remuneratiónis, te donánte, percípiant (percípiat). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Post hæc Celebrans cum sacris Ministris iterum suppedaneum ascendit et in scabello sedet; Fratres vero professuri interea a prostratione se erigunt, candelam accensam recipiunt, et adhuc in loco suo genuflexi, in tono sexto cantant, repetendo ter, ac toties altius :



S Uscipe me, Dómine, secúndum elóqui-um tu-um



et vivam; et non confúndas me ab exspecta-ti-óne

Chorales respondent :



me-a. ℣. Suscépimus, De-us, mi-se-ricórdi-am tu-am



in médi-o templi tu-i. ℣. Glóri-a Patri, et Fí-li-o,



et Spi-rítu- i Sancto. ℣. Sicut e-rat in princípi- o, et



nunc, et semper, et in sǽcu-la sæculórum. Amen.

Et repetitur ter, ac toties altius.

9. Statim primus e Professuris candelam Acolytho tradit et debitis cum reverentiis altare conscendit, ubi manus junctas tenens in manibus Celebrantis, clara et intelligibili voce pronuntiat, sacris Ministris testium munere fungentibus

Formulam professionis votorum solemnium

Ego Frater N. N. vóveo, et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis, et tibi Pater, toto témpore vitæ meæ serváre Régulam Fratrum Minórum, per Dóminum Papam Honórium confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio et in castitáte.

Et Celebrans adhuc sedens statim subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Circumstantes respondent : Amen. Frater professus autem manum Celebrantis osculatus surgit, debitis cum reverentiis ad locum suum recedit et candelam resumit. Interim secundus accedens eodem modo professionem suam enunciat, et post eum ceteri successive.

10. Peracta omnium professione, Celebrans assurgit et cum sacris Ministris ante medium altaris descendit; duo vero Assistentes Versiculos sequentes decantant :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Hi accípient (Hic accípiet) benedictiónem a Dómino.
℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; * atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ Majestátis exténde.

PRopítius, Dómine, quæsumus, hos fámulos tuos (hunc fámulum tuum) sanctífica; † et hóstiæ spirituális oblatióne suscépta, * eos (eum) tibi pérfice munus ætérnum.

DEus, qui ad sectándas Unigéniti tui vias beátum Francíscum ducem ac præceptórem nobis tribúere dignátus es : † concéde propítius; * ut ejus in cælis glóriæ partícipes éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : * Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

11. Quibus finitis, Celebrans denuo suppedaneum cum sacris Ministris conscendit, et ad Neo-professos genuflexos et mediocriter inclinatos conversus, S. P. N. Francisci benedictionem super eos dicit :

Bene ✠dícat vobis (tibi) Dóminus, et custódiat vos (te). Osténdat fáciem suam vobis (tibi), et misereátur vestri (tui). Convértat vultum suum ad vos (te), et det vobis (tibi) pacem. Dóminus vos (te) bene ✠dícat.

Et Neo-professi se erigentes respondent : Amen.

12. Deinde Celebrans Missam prosequitur. Neo-professi vero coram altari in plano genuflexi permanent, candelam accensam in manibus retinentes. Lecto Offertorio, Celebrans sedet ut supra, et omnes Neo-professi bini et bini ad Celebrantem accedunt, facta

altari reverentia, eique in ora suppedanei genuflexi candelas suas offerunt cum osculo candelæ et manus ipsius. Celebrans candelas receptas uni ex Ministris tradit, qui eas extinguit ac congruo in loco reponit. Acceptis singulorum candelis, Celebrans Missam prosequitur ut alias. Chorales interim decantant Offertorium, cui, si tempus ferat, addi potest **Magníficat** in tono solemni.

13. Dum Celebrans post **Agnus Dei** dicit Orationem : **Dómine Jesu Christe** etc., primus Neo-professus ad altare accedit, et, præmissa in plano genuflexione, altare conscendit ac in suppedaneo a dextris Diaconi genuflexus exspectat, donec Celebrans Orationem absolverit. Tum simul cum Diacono surgit et osculatur altare, ac post ipsum ad Celebrantem pro pace accipienda accedit, qua accepta, de altari descendit et eamdem dat sequenti Neo-professo et ille alteri, et sic usque ad ultimum continuatur.

Ad sacram Communionem Neo-professi accedunt ante ceteros Clericos, quamvis in Sacris constitutos.

14. Finita Missa, Celebrans in planum descendit et, SS. Sacramento exposito, stans intonat Hymnum :



T E De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem Chorales alternatim prosequuntur. Post Hymnum cantantur Versiculi, Orationes et **Benedicámus Dómino**, quæ pag. 263 et 264 habentur; postea cantatur **Tantum ergo**, etc., ac datur benedictio cum sanctissimo Sacramento. Qua impertita, Celebrans ordine quo venerat cum Ministris et Neo-professis in sacristiam revertit.

15. Post professionem fiant attestationes in libro ad hoc destinato, ad normam Constitutionum Generalium, n. 96.

CAPUT VI

RITUS RENOVATIONIS VOTORUM (16 APRILIS)

1. Die 16 Aprilis, in qua S. P. N. Franciscus anno 1209 professionem cum Sociis suis in manibus Innocentii Papæ III. emisit, omnes Fratres et Sorores totius familiæ Seraphicæ suam professionem speciali devotione renovare curent.

2. Pridie hujus festi singuli Fratres congruis pietatis exercitiis et confessione sacramentali ad hanc votorum renovationem diligenter se præparent; die vero festi Communio generalis fiet ab illis, qui Sacerdotes non fuerint.

3. Post Missam conventualem, quæ hac die ab ipso Superiore celebretur, omnes Religiosi candelas ardentes in manibus tenentes in presbyterium se conferunt et circa altare quasi in gyro genuflectunt. Celebrans autem, depositis ad scamnum casula et manipulo, assumit pluviale coloris Officio diei congruentis et in infimo gradu genuflexus intonat Hymnum :

V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem ceteri, in suis locis pariter genuflexi usque ad finem, prosequuntur. Postmodum duo Assistentes subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat Orationem :

Orémus — Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Tunc Celebrans suppedaneum ascendit et in scabello ad latus Evangelii præparato sedens, brevi et succincta oratione Fratres

adstantes ad solemnem renovationem votorum devote peragendam exhortatur.

Deinde sanctissimo Sacramento exposito, Cantores in tono quinto intonant Psalmum 115 **Crédidi**, quem Religiosi circa altare genuflexi alternatim decantant.

Psalmus 115

5. a

C Rédi-di propter quod loCUtus sum : * Ego autem

humi-li- Atus sum NI- mis.

Chorus : Ego dixi in excéssu MEo : * Omnis HOmo MENdax.

Cantores : Quid retríbuam DOmino, * pro ómnibus, quæ reTRIbuit MIhi?

Cálicem salutáris acCIpiam : * et nomen Dómini INvoCAbo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo Ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanCTOrum Ejus.

O Dómine, quia ego servus TUus : * ego servus tuus, et fílius anCILlæ TUæ.

Dirupísti víncula MEa : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini INvoCAbo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli Ejus : * in átriis domus Dómini, in médio TUi JeRUsalem.

Glória Patri, et FIlio, * et SpiRItui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et SEMper, * et in sæcula sæcuLOrum. Amen.

5. Psalmo absoluto, Celebrans in infimo altaris gradu genuflexus formulam renovationis professionis religiosæ clara voce et devote pronuntiat, dum ceteri Fratres cum ipso suam quisque professionem mente renovant.

Formula renovationis professionis religiosæ

Dómine Deus noster, ego, meo et ómnium Fratrum meórum hic præséntium nómine, grátias ago infinítæ Majestáti tuæ, pro singulári illo benefício, quo me vilíssimum peccatórem, de hoc sæculo nequam, per tuam pientíssimam misericórdiam, eduxísti, et ad professiónem admisísti. Dóleo ex toto corde, quod grátiæ huic non satis respónderim, tantóque benefício fúerim ingrátus. Detéstor omnes transgressiónes et negligéntias meas, in hoc statu commíssas; et ad obtinéndum verum renovatiónis spíritum, ego Frater N. N. iteráto vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ac ómnibus Sanctis, toto témpore vitæ meæ serváre Régulam Fratrum Minórum, vivéndo in obediéntia, sine próprio, et in castitáte : cúpiens hunc actum renovatiónis votórum meórum coram sanctíssima Trinitáte gratum ac ratum habéri, semper duráre, et collocátum in aspiratióne et respiratióne anhélitus mei, ut eúmdem, quoad víxero, rénovem, et perfécte adímpleam usque in finem.

Quia vero ad hæc fidéliter implénda me nimis infírmum et frágilem agnósco, rogo te, bone Jesu, ut qui dedísti mihi vovéndi voluntátem, tríbuas étiam exsequéndi facultátem, meque ita dirígere dignéris, ut non jam mihi, sed tibi soli vivam, omnésque Ordinis observántias, et quidquid perfectiónem ánimæ meæ promovére potest, summo stúdio ampléctar ad majórem tui Nóminis glóriam, qui es Deus benedíctus in sæcula.

Et omnes Religiosi respondent : Amen.

6. Professione sic renovata, Assistentes adhuc genuflexi canunt Versículos :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos :
℟. Quemádmodum sperávimus in te.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde Celebrans solus assurgens subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti : † infúnde córdibus nostris tui amóris affféctum; * ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi; † ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, * tua semper protectióne muniátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Quibus finitis, omnes surgunt, et Celebrans intonat Hymnum :



TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel p. 97,

quem Religiosi alternatim prosequuntur. Deinde duo Assistentes sequentes cantant Versículos :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Oráte pro nobis, omnes Sancti Ordinis Minórum.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hæreditáti tuæ.
℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exoréntes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEfénde, quǽsumus Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, † istam ab omni adversitáte famíliam : * et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis.

DOmine Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci, Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti : † concéde propítius, ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, * et dignos fructus pœniténtiæ faciámus.

COncéde, quǽsumus, omnípotens Deus, † ut ad melióre vitam Sanctórum tuórum Ordinum nostrórum beáti Patris nostri Francísci exémpla nos próvocent : * quátenus quorum memóriam ágimus, étiam actus imitémur.

OMnípotens sempitérne Deus, cujus spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur : † exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; * ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Post hæc omnes suis in locis iterum genuflectunt, et cantato Tantum ergo datur benedictio cum sanctissimo Sacramento more solito. Reposito demum SS. Sacramento, Celebrans cum altaris Ministris in sacristiam revertitur et Religiosi, candelis suis exstinctis, in chorum se recipiunt.

CAPUT VII

RITUS CELEBRANDI JUBILÆUM VITÆ RELIGIOSÆ

1. Ad Jubilæum in Ordine nostro celebrandum requiritur, ut Religiosus quinquaginta annos in vita regulari laudabiliter steterit et licentiam jubilandi a Ministro Provinciali ejusque Definitorio obtinuerit. Anni præscripti a professione votorum simplicium computandi sunt et quidem ita ut annus quinquagesimus a dicta professione saltem inchoatus sit.

2. Die igitur pro celebrando Jubilæo constituta, Jubilaturus, si Sacerdos fuerit et ipse Missam solemnem celebrare velit, omnibus paramentis sacerdotalibus pro Missa indutus, in domo capitulari cum aliis Jubilariis, si adsint, Communitatem religiosam exspectat. Si vero fuerit Frater Laicus vel, quamvis Sacerdos, ob debilitatem Sacrum solemne ipse peragere nequeat, superpelliceo indutus cum præfatis Jubilariis Communitatem opperitur.

3. Minister vero Provincialis vel, eo impedito, Superior loci ab ipso deputatus, super amictum et albam stola et pluviali coloris Officio diei congruentis indutus, medius inter sacros Ministros, dalmatica et tunicella similiter paratos, cum religiosa Communitate processionaliter ad domum capitularem se confert, præeuntibus Acolytho Crucem præferente in medio duorum Ceroferariorum cum candelabris, et duobus ulterioribus Acolythis, quorum unus candelam apte ornatam, alter vero baculum pariter decoratum pro Jubilaturo gestat.

4. Cum ad locum pervenerint, ubi Frater jubilaturus Communitatem exspectat, Superior ipsum aliquibus verbis opportunis allocutus candelam accensam ei porrigit, dicens :

Accipe, Frater caríssime, lumen in mánibus tuis, ut hoc signo discas ópera tenebrárum fúgere, et lucis exémpla sectári.

Jubilaturus autem manum Superioris et candelam deosculans, hanc reverenter accipit. Tum Superior illi baculum tradit, quod Jubilaturus post osculum manus Superioris deosculatur; interim Superior dicit :

Accipe sustentáculum senectútis tuæ, ut in via mandatórum Dei et Régulæ tuæ indeféssus ámbulans, secúrus ad pátriam cæléstem pervenire váleas.

5. Deinde processio Communitatis ordine quo venit ad Ecclesiam revertitur; Jubilaturus tamen, manu sinistra tenens candelam et dextera baculum, immediate ante Superiorem procedit, medius inter duos Patres digniores, aliis Fratribus Jubilariis, si adsint, ipsum præcedentibus. Interim a Religiosis cantatur Ps. 148 Laudáte Dóminum de cælis.

Psalmus 148



Chorus : Laudáte eum omnes Angeli Ejus : * laudáte eum omnes vir*tútes* Ejus.

Cantores : Laudáte eum sol et LUna : * laudáte eum omnes stel*læ et* LUmen.

Laudáte eum cæli cæLOrum : * et aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent *nomen* DOmini.

Quia ipse dixit, et FActa sunt : * ipse mandávit, *et cre*Áta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum SÆculi : * præcéptum pósuit, et non *præter*Ibit.

Laudáte Dóminum de TERra, * dracónes, et *omnes a*BYSsi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procelLArum : * quæ fáciunt *verbum* Ejus;

Montes, et omnes COLles; * ligna fructífera, et *omnes* CEdri;

Béstiæ et univérsa PEcora, * serpéntes et vólu*cres pen*NAtæ;

Reges terræ, et omnes POpuli; * príncipes et omnes jú*dices* TERræ;

Júvenes et vírgines, † senes cum junióribus laudent nomen DOmini : * quia exaltátum est nomen e*jus so*LIus.

Conféssio ejus super cælum et TERram : * et exaltávit cornu pó*puli* SUi.

Hymnus ómnibus sanctis Ejus : * fíliis Israël, pópulo appropin*quánti* SIbi.

Glória Patri, et FIlio, * et Spirí*tui* SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

6. Postquam omnes ad presbyterium pervenerint, Jubilaturus, facta coram altari solita reverentia, super genuflexorium in medio presbyterii præparatum genuflectit, baculo et candela in manus Acolythorum redditis. A tergo Jubilaturi adsit sedes, in qua intra functionem ad placitum sedere possit. Superior autem cum sacris Ministris in infimo altaris gradu genuflexus intonat Hymnum :

8.



V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem Chorales, genuflexi usque ad finem, alternatim prosequuntur. Hymno finito, cantatur :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Deinde Superior cum sacris Ministris suppedaneum ascendit, et sedens in scabello ad latus Evangelii posito, sacris Ministris ad utrumque latus consistentibus, Jubilaturum interrogat :

Veneránde Pater (vel Caríssime Frater), quæ est petítio tua?

Qui respondet :

Reveránde Pater, peto humíllime a Vestra Reveréntia, et a sacratíssimo Ordine nostro grátiam Jubiláei, ut

possim quiétius me præparáre ad mortem, et dein pervenire ad Jubilæum sempitérnum.

Superior tunc brevem facit sermonem circumstantiis Jubilæi adaptatum, in quo Jubilario etiam gratias agit pro laboribus in Ordine exantlatis, et dum ex parte Ordinis ipsi beneficium et privilegia Jubilariorum concedit, eumdem ad constantem usque in vitæ finem perseverantiam juxta personæ qualitatem exhortatur.

8. Finito sermone, Superior assurgit et stans in suppedaneo sequentes Versiculos et Orationes cantat :

℣. Salvum fac servum tuum :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per Móysen legislatórem tuum annum quinquagésimum Jubilæum mýstice nomináre voluísti, † eodémque anno cunctis modo amplíssimo ónera ac débita relaxáre ac servitúte oppréssos libertáte donári jussísti; * tríbue, quæsumus, huic fámulo tuo, Fratri nostro N., grátiam anni Jubiláei, hoc est, remissiónem ómnium peccatórum, ac culpárum relaxatiónem toto corde poscénti, piæ petitiónis efféctum, ut a peccátis ómnibus exútus, ac primævæ libertáti et innocéntiæ restitútus, posthac in mandatórum tuórum ac Régulæ suæ observatióne indefessus persevéret. Grátiæ tuæ múnere de virtúte in virtútem, de fortitúdine in fortitúdinem ámbulet : † tandémque, eménso hujus vitæ

currículo, * cæléstis glóriæ jubilatiónem, et in domo illa, non manu facta, perénnem consequátur mansiónem. Per illum, qui quondam dixit: In domo Patris mei mansiónes multæ sunt, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

9. Tunc, si Jubilarius sit Sacerdos et velit Missam solemnem celebrare, Superior in sacristiam se recipit; Jubilarius autem cum sacris Ministris, qui interim manipulos assumpserunt, ad altare procedit et Missam inchoat, quam usque ad finem prosequitur. Finita autem Missa, ad scamnum casulam, stolam et manipulum deponit et pluviale coloris Missæ assumit atque ad genuflexorium suum in medio presbyterii revertitur. — Si vero Jubilarius sit Frater Laicus vel, quamvis Sacerdos, Sacrum solemne celebrare nequiverit, Superior, cantata Oratione ut supra, ad scamnum pluviale deponit, manipulum et casulam induit et cum sacris Ministris ad altare revertitur, Missam solemnem ritu consueto celebraturus. Jubilarius autem in medio presbyterii remanens, genuflexus vel sedens, prout vires permittunt, Sacro pro ipso offerendo assistit, ibique suo tempore thuris honorem duplici ductu et pacis osculum ante ceteros Chorales recipit.

10. Finita Missa solemni, Superior, resumpto pluviali, cum sacris Ministris ad altare reversus, ante infimum gradum usque ad finem Psalmi 99, ut infra decantandi, persistit. Religiosi autem, ubi chorus est retro altare, ex utraque parte in presbyterium se conferunt atque circa altare et Jubilarium quasi in gyro consistunt.

11. Cum Superior ad altare pervenerit, Jubilarius, adjuvantibus duobus Cantoribus, intonat Ant. **Veníte exsultémus** quam Chorus prosequitur. Deinde Cantores Psalmum 99 **Jubiláte** decantant, et post quemlibet versum Religiosi omnes repetunt Ant. **Veníte.**



Psalmus 99



Ubilá-te De-o omnis TERra : * serví-te Dómino *in lætI*-ti-a. Ení-te. Intro-í-te, etc.

Introíte in conspéctu Ejus, * in exsul*tati*One.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est DEus : * ipse fecit nos, *et non* Ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ Ejus : * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : confité*mini* ILli.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, † in ætérnum misericórdia Ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem *véritas* Ejus.

Glória Patri, et FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

12. Quibus finitis, Superior cum sacris Ministris suppedaneum ascendit, et in scabello ut ante Missam sedens, Jubilarium denuo interrogat :

Veneránde Pater (vel Caríssime Frater), quid adhuc póstulas?

Qui in loco suo genuflexus respondet :

Reveránde Pater, póstulo favórem renovándi professiónem meam, et me totum Dómino Deo meo perféctius consecrándi.

Et Superior, laudans desiderium Jubilarii, ipsum invitat, ut ad altare accedat ad renovanda vota sua religiosa.

13. Tunc Jubilarius, comitatus a duobus Patribus dignioribus, quorum unus ei candelam accensam, alter librum Ritualis tenebit,

ad altare accedit et in ora suppedanei genuflexus, professionem suam renovat dicens :

Dómine Jesu Christe, hic in Sacraménto altáris veráciter præsens, tibi grátias ago pro singulári illo benefício, quo me vilíssimum peccatórem de isto sæculo nequam eduxísti, et in hoc sancto Ordine ad solémnem professiónem admisísti atque támdiu jam sustinuísti.

Dóleo ex toto corde, quod grátiæ huic non satis respónderim, tantóque benefício fúerim ingrátus. Detéstor omnes transgressiónes et negligéntias contra sanctam Régulam et vota commíssas; atque fírmiter propóno vel nunc tandem in tuo sancto servítio incípere et obligatiónes per professiónem religiósam suscéptas mélius adimplére. Ideo, quanta devotióne possum, vota mea nunc rénovo illísque meipsum tibi ímmolo in unióne illíus sacrosánctæ oblatiónis, qua te ipsum pro ómnium nostrum redemptióne ætérno Patri obtulísti, et ita ego Frater N. N. novo fervóre vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Pater, toto témpore vitæ meæ serváre Régulam Fratrum Minórum, per Dóminum Papam Honórium confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio, et in castitáte.

Quia vero ad hæc fidéliter implénda me nimis infírmum et frágilem agnósco, rogo te, bone Jesu, ut qui dedísti mihi vovéndi voluntátem, tríbuas étiam exsequéndi facultátem, meque ita dirígere dignéris, ut non jam mihi, sed tibi soli vivam, omnésque Ordinis observántias, et quidquid perfectiónem ánimæ meæ promovére potest, summo stúdio ampléctar ad majórem tui Nóminis glóriam, qui es Deus benedíctus in sæcula. Amen.

Superior subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc usque in finem observáveris, íterum promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Et omnes circumstantes respondent : Amen.

Tunc Superior Jubilarium amplexans, dat ei pacem dicens : Pax tecum, ad quod ille respondet : Et cum spíritu tuo.

14. Exinde Superior assurgens ad altare se convertit; Jubilarius vero sustentantibus duobus Patribus dignioribus, in planum descendit et coram infimo gradu consistit. Duo Cantores vero statim intonant Ant. Ecce quam bonum cum Psalmo relativo 132, uti p. 260. Finito Psalmo, sacri Ministri sequentes subjungunt Versiculos :

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos.
℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.
℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino.
℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Superior vero subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui fámulum tuum, Fratrem nostrum N., a vanitáte sæculi convérsum, ad bravíum supérnæ vocatiónis assequéndum accéndis : † péctori ejus illábere, et grátiam tuam, qua in te persevéret, illi infúnde; * ut protectiónis tuæ munítus præsídiis, quod te donánte íterum promísit, fidéliter adímpleat et sancte vivéndi áliis semper exémplum præbens, * ad ea, quæ perseverántibus promíssa sunt, ætérna prémia pervéniat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

15. Finita Oratione, Jubilarius medius inter duos Patres sibi assistentes iterum altare ascendit et in ora suppedanei genuflectit; Superior autem cum sacris Ministris ad eum conversus, sertum floridum capiti Jubilarii imponit dicens :

Corónet te Dóminus post decúrsum præséntis stádii, non corruptíbili, sed incorrúpta coróna bravíi cæléstis. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui olim per Apóstolum tuum pronuntiásti : Nemo coronábitur, nisi qui legítime certáverit; quique ad perseverántem in tua voluntáte famulátum mirífica illa promissióne nos excitáre dignáris,

qua dicis : Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ; propitiáre ómnibus delíctis hujus fámuli tui, Fratris nostri N, qui annum quinquagésimum tuo múnere in hoc statu explétum transégit; sana omnes infirmitátes ejus : rédime de intéritu vitam ejus; coróna eum in misericórdia et miseratiónibus, et reple in bonis desidérium ejus, et velut áquilæ rénova juventútem ejus; quátenus bonum certámen certándo, repósitam sibi corónam justítiæ mereátur accípere a te, qui redditúrus es unicuique secúndum ópera ejus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

16. Post hanc Orationem Superior Jubilario adhuc in ora suppedanei genuflexo trinam benedictionem impertitur, dicens :

Bene ✠dícat te Deus Pater, qui te creávit, et ab omni malo culpæ et pœnæ córporis animæque immúnem te præsérvet in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Bene ✠dícat te Deus Fílius, Dóminus noster Jesus Christus, qui te pretióso Sánguine suo redémit : detque tibi pacem cordis in præsénti, et in futúro pacem sempitérnam. ℟. Amen.

Bene ✠dícat te Spíritus Sanctus, qui te sanctificávit : et grátiam suam copiósam tibi infúndat, ut sacri Jubiláei privilégio omníque benedictióne spirituáli replétus, tandem inveniáris in consórtio illórum de quibus dictum est : Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : in sæcula sæculórum laudábunt te. ℟. Amen.

17. Qua benedictione accepta, Jubilarius, comitatus a duobus Patribus sibi assistentibus, ad sedem suam redit; Superior cum sacris Ministris in planum descendit et intonat Hymnum :



3.

TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem omnes circumstantes prosequuntur. Finito Hymno Assistentes subjungunt Versiculos :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.
℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero dicit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infínitus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DA nobis, quæsumus, Dómine, perseverántem in tua voluntáte famulátum, * ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Cantores addunt :



Postmodum Superior solus suppedaneum ascendit et omnibus præsentibus benedicit, alta voce dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

18. Quibus expletis, omnes Jubilarium coronam, candelam et baculum gestantem, ordine quo venerant in sacristiam deducunt.

CAPUT VIII

RITUS RECIPIENDI MINISTRUM VEL VISITATOREM GENERALEM AUT MINISTRUM PROVINCIALEM

1. Quando Minister Generalis vel Visitator ab ipso deputatus prima vice et solemniter ad aliquem Conventum suæ jurisdictionis accedit, debito honore et reverentia a tota religiosa Communitate recipiendus est.

Præparanda :

1° Altare majus festive ornabitur ; in eo sex cerei accendentur.

2° In suppedaneo altaris ad latus Evangelii sedes cum pulvino.

3° In presbyterio genuflexorium panno ornatum.

4° Ad januam Ecclesiæ tapetum cum duobus pulvinaribus; in quorum altero Crux cum imagine Crucifixi, necnon stola alba.

In sacristia :

5° Thuribulum et aspersorium.

6° Crux processionalis.

Quodsi SS. Sacramentum non in altari majori asservetur, etiam altare SS. Sacramenti festive ornandum erit, duo saltem cerei in eo accendentur, et alterum genuflexorium coram eo ponetur.

2. Hora adventus Prælati imminente, omnes Religiosi processionaliter e sacristia ad portam Ecclesiæ se conferunt hoc ordine : præcedunt duo Acolythi superpelliceis induti, unus cum thuribulo et navicula, alter a sinistris prioris cum vase aquæ benedictæ et aspersorio ; deinde Clericus deferens Crucem processionalem medius inter duos Ceroferarios superpelliceis pariter indutos; tum Religiosi bini et bini, et tandem Superior localis indutus super amictum et albam pluviali coloris albi absque stola. In Ecclesia Religiosi in duos hinc inde ordines facie ad invicem versa ita se distribuunt, ut juniores consistant altari, digniores vero valvis Ecclesiæ propinquiores; Superior autem stet prope ingressum a parte Epistolæ habens a dextris suis Ministros de incenso et de aqua lustrali.

3. Adveniente Prælato festive pulsantur campanæ et organa, et omnes profunde se illi inclinant Mox Superior localis accipiens Crucem Prælato super pulvinum genuflexo osculandam præbet ; deinde

Cruce in loco suo reposita stolam Prælato stanti porrigit, quam hic sibi ipse imponit; tum aspersorium madidum eidem cum consuetis osculis præbet, qui prius seipsum dein alios adstantes aspergit. Reddito aspersorio, Superior naviculam incensi Prælato ministrat dicens : Benedícite, Pater Reverendíssime [1], dum Thuriferarius coram Prælato genuflexus thuribulum sustinet; postquam hic incensum imposuit ac benedixit, Superior Prælatum triplici ductu incensat cum profunda reverentia ante et post.

4. Hisce ad fores Ecclesiæ peractis, omnes ordine quo venerunt ad presbyterium revertuntur; Prælatus ultimo loco incedit medius inter Superiorem localem paratum et Ministrum Provincialem vel, eo absente, digniorem Patrem Conventus. — Si SS. Sacramentum in altari laterali asservetur, Prælatus primo illuc pro brevi adoratione deducitur, deinde ad altare majus.

Interim cantatur Ant. Ecce fidélis, quæ repetitur post singulos vel, si opportunius videtur, post binos ℣℣. Psalmi 116. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

8. G



[1] Si Prælatus non fuerit ipse Minister vel Vicarius Generalis, dicetur : Benedícite, Pater Reverénde.

5. Cum processio ad altare majus pervenerit, Acolythi thuribulum, vas aquæ lustralis et Crucem processionalem in loco congruo deponunt, pariter Ceroferarii candelabra super abacum collocant ibique cum Acolythis consistunt; ceteri vero Religiosi circa altare quasi in gyro distributi simul in genua cum Prælato procumbunt et parumper orant.

6. Interim Superior localis, exhibita prius Prælato et altari debita reverentia, per latus Epistolæ suppedaneum ascendit, et stans ubi legitur Introitus Missæ, aliquantulum ad Prælatum conversus, ex libro super altari posito cantat sequentes Versiculos et Orationem :

℣. Protéctor noster áspice, Deus.
℟. Et réspice in fáciem Christi tui.
℣. Salvum fac servum tuum :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Nihil proficiat inimícus in eo.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, humílium visitátor, qui eos patérna dilectióne consoláris : † præténde Societáti nostræ grátiam tuam; * ut per eos, in quibus hábitas, tuum in nobis sentiámus advéntum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si vero Prælatus non canonicæ visitationis causa ad Conventum accesserit, loco Orationis Deus humílium substituetur hæc altera Oratio :

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus, † præténde super hunc fámulum tuum, et cunctas Congregatiónes illic ommíssas, spíritum grátiæ salutáris; * et, ut in veritáte tibi compláceat, perpétuum

ei rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Cantata Oratione, Prælatus assurgit et, facta altari debita reverentia, ad sedem in suppedaneo præparatam se confert, in qua sedens singulos Religiosos (præter Superiorem localem pluviali indutum) ad obedientiam per manus osculum præstandam recipiet, et primo quidem Ministrum Provincialem, si adest, profunde se ipsi inclinantem, deinde reliquos juxta ordinem præcedentiæ coram ipso genuflectentes. Interim organa festive pulsantur.

8. Obedientia ab omnibus exhibita, Prælatus ab altari descendit et in genuflexorio iterum procumbit; Chorales autem canunt Antiphonam S. P. N. Francisci : Salve sancte Pater, p. 214.

Qua finita, Prælatus simul cum Superiore locali iterum altare ascendit, illud in medio osculatur et ad cornu Epistolæ se confert, ubi stans ad altare conversus, et Superiore ipsi librum tenente, decantat Versiculos et Orationem :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium

donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

9. Orationibus finitis, Prælatus ad medium altaris revertitur et omnibus Religiosis genuflexis benedictionem impertit dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Tum stolam deponit et exhibita altari debita reverentia, a Patribus dignioribus comitatus Conventum ingreditur.

10. Quando Minister provincialis vel Commissarius provincialis aliquam Provinciam vel Commissariatum independentem gubernans prima vice vel pro visitatione canonica peragenda ad aliquem Conventum accedit, intra januam Ecclesiæ a religiosa Communitate processionali ritu et campanarum ac organorum sono recipitur, præbente illi Superiore locali superpelliceo induto aquam lustralem per tactum aspersorii. Mox præcedente Crucifero et Communitate religiosa Prælatus, medius inter duos Patres digniores, primo ad Altare Ss. Sacramenti, postea ad Altare majus, sonantibus organis, deducitur, ubi genuflexus super scabellum panno coopertum parum perorabit. Postmodum Altare conscendit illudque in medio osculatus, in sede ad cornu Evangelii præparata obedientiam singulorum Religiosorum ut supra n. 7 recipit; qua ab omnibus exhibita, cunctis genuflexis benedictionem impertit et a Patribus dignioribus comitatus Conventum ingreditur.

11. Visitator a Provinciali electus, vel subdelegatus a Visitatore generali, quum ad Conventum visitationis causa accesserit, prætermisso campanarum et organorum sonitu, ad Ecclesiæ januam, non tamen processionali ritu, excipietur a Religiosis, eorum digniore aspersorium per contactum eidem porrigente. Ad altare inde procedet, ceteris subsequentibus; ubi brevi facta oratione super pulvinum in infimo illius grado appositum, a dignioribus Patribus comitatus Conventum ingreditur, munus visitationis sibi concreditum suo tempore auspicaturus.

CAPUT IX

ORDO VISITATIONIS CANONICÆ

1. Ante visitationem Visitator Religiosos Conventus convocat ad eosque sermonem tenet, quo eos graviter hortatur, ut sincere, fideliter, atque intimæ caritatis studio aperire velint, quæcumque admonitione, correctione, reformatione aut provisione indigere in Domino cognoverint. Simul hac occasione promulgabit ordinem visitationis tum localis tum personalis, quem juxta peculiares loci vel temporis circumstantias servare intendit.

2. Primum visitationem SS. Eucharistiæ Sacramenti fieri convenit. Hæc visitatio ordinarie in fine Missæ conventualis peragitur, quam Visitator ipse celebrabit. Ad istam Missam quatuor accenduntur candelæ et omnes Fratres Clerici et Laici in ea sacram Communionem recipient. Finita Missa, Visitator per cornu Epistolæ ad scamnum descendit, ibique casulam et manipulum deponit atque pluviale coloris Missæ assumit. Interim in altari sex saltem cerei accenduntur et Religiosi omnes cum cereis accensis e choro in presbyterium se conferunt et circa altare quasi in gyrum genuflectunt, nisi chorus exstet ante altare, quo casu suis in locis cum candelis accensis genuflexi remanent.

3. Postquam Visitator in infimo altaris gradu genuflexus parumper oraverit, Superior localis superpelliceo indutus, imposita sibi stola, sacram Pyxidem velatam e tabernaculo super mensam altaris in corporali exponit et Visitator SS. Sacramentum de more incensat. Interim duo Cantores Tantum ergo intonant, quod omnes Religiosi prosequuntur usque ad Genitóri.

4. Peracta incensatione, Visitator cum Superiore assistente suppedaneum ascendit, et Assistente sacram Pyxidem aperiente, Particulas consecratas scrutatur, ipsam Pyxidem ab intus et foris inspicit, capsulam quoque cum majori sacra Hostia, si adsit, e tabernaculo extrahendam curat et reverenter inspicit; similiter ipsum tabernaculum observat, utrum vacuum sit a quacumque alia re, mundum et panno serico decenter ornatum, cum nitido corporali super ejus planitiem extento provisum.

5. Peracta hac visitatione, Assistens capsulam cum Hostia majori in tabernaculo reponit, sacram Pyxidem vero claudit et velo tectam in medio mensæ relinquit. Tunc Visitator in planum descendit, incensum denuo in thuribulo imponit ac SS. Sacramen-

tum, ut antea, adolet. Interim Cantores intonant Genitóri Genitóque, et in fine subjungitur :

℣. Panem de cælo præstitísti eis.
℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Visitator vero assurgens cantat :

Orémus

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili Passiónis tuæ memóriam reliquísti : † tríbue, quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; * ut Redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

6. Deinde Visitator ritu consueto benedictionem cum sacra Pyxide impertit, et SS. Sacramento per Assistentem rite reposito, in sacristiam revertitur, nisi statim visitationem sacri Olei et Ss. Reliquiarum atque absolutionem pro Defunctis peragere velit.

7. Si visitatio SS. Sacramenti ex rationabili causa in fine Missæ fieri non possit, Visitator alio tempore magis opportuno super amictum et albam stola et pluviali coloris albi indutus, præcedentibus Acolytho cum thuribulo ac navicula et duobus Ceroferariis ceterisque Religiosis binis et binis cereos accensos in manibus tenentibus, ad altare SS. Sacramenti se confert, ubi præfatam visitationem ritu superius exposito peragat.

8. Pro visitando sacro Oleo Visitator stolam coloris violacei induet, pro Ss. Reliquiis vero visitandis stolam rubram adhibebit. Pro quibus singulis visitandis cum Superiore locali vel ad loculos, ubi asservantur, se confert, vel eorum vasa aut thecas in sacristiam sibi afferendas curat et diligenter inspicit, num sint intactis sigillis bene clausa, authenticis documentis recognita et debito cum honore asservata.

9. Porro tempore opportuno peragit visitationem et absolutionem Defunctorum, pro qua super amictum et albam stola et pluviali coloris nigri se induit et medius inter duos Sacerdotes assistentes superpelliceis indutos ad altare se confert, præcedentibus duobus Acolythis cum thuribulo et vase aquæ benedictæ, Crucifero in medio duorum Ceroferariorium, et omnibus Religiosis binis et binis candelas accensas gestantibus. Facta ab omnibus altari debita reverentia, Visitator cum Assistentibus suppedaneum conscendit, et altare in medio osculatus, ad locum ubi Introitus Missæ legitur, secedit. Crucifer vero cum duobus Cero-

ferariis ad cancellos presbyterii consistit, facie ad altare conversa, dum Religiosi in utroque presbyterii latere apte se distribuunt.

10. Visitator stans in cornu Epistolæ ad populum conversus primum peragit absolutionem pro defunctis Superioribus istius Conventus, incipiens Antiphonam Si iniquitátes et Ps. De profúndis, quem Religiosi alternatim prosequuntur; interim incensum in thuribulum imponit ac benedicit. Finito Psalmo, totam dicit Antiphonam :

Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

Tum subjungit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster, quod secreto completur.

Et interim accepto aspersorio de manu prioris Assistentis, cum aqua benedicta ter aspergit ante se; deinde eodem modo incensat. Quo facto, pronuntiat sine cantu Versiculos :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. In memória ætérna erunt justi.
℟. Ab auditióne mala non timébunt.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : præsta, quæsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

11. Peracta hac prima ad altare absolutione, si cœmeterium seu locus sepulturæ Fratrum habeatur intra vel prope septa Conventus, illuc processio eodem ordine dirigitur quo ad altare

accesserant, Magistro chori mox præcinente sequens Responsorium, quod Chorales prosequuntur :



12. Visitator in accessu ad cœmeterium cum suis Assistentibus recitat Antiphonam Exsultábunt, deinde Ps. Miserére mei, Deus cum ℣. Réquiem ætérnam in fine, p. 46, et repetit totam Antiphonam :

Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

13. Quum processio ad medium cœmeterii pervenerit, omnes suo ordine subsistunt, et Chorales cantant Resp. Líbera me, p. 50. Dum repetitur Responsorium, Visitator imponit et benedicit incensum in thuribulo, et postquam a choro Kýrie, eléison tertio cantatum est, intonat Pater noster, quod omnes secreto prosequuntur. Deinde Visitator sepulchra ter aspergit, terque incensat. Quo facto, cantat sequentes Versiculos et Orationes :

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

℣. In memória ætérna erunt justi.
℟. Ab auditióne mala non timébunt.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : † præsta, quæsumus; * ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor : † quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ Congregatiónis Fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, * beáta Maria semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

DEus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt : † fámulis et famulábus tuis, et ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum; * ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Visitator, elevata dextera, producit signum Crucis ab omni parte super cœmeterium, dicens :

℣. Réquiem ✠ ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.

Tum duo Cantores dicunt :



℣. Requi- éscant in pa-ce. ℟. Amen.

14. Tum omnes revertuntur ad Ecclesiam ordine quo venerant, recitantes alternatim sine cantu Psalmum De profúndis cum ℣. Réquiem ætérnam dona eis etc. in fine. Quum Visitator ante altare majus pervenerit, facta ab omnibus debita reverentia, stans ante infimum gradum dicit sine cantu :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster, quod secreto completur; deinde
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ABsólve, quæsumus Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

15. Ubi non habetur cœmeterium intra aut prope septa Conventus, vel accessus ad illud pro absolutione Defunctorum commode fieri non possit, in medio Ecclesiæ paretur tumulus seu castrum doloris luminibus circumseptum; vel in ejus defectu saltem pannus niger eodem in loco cum quatuor candelabris ponatur. Priori absolutione ad altare majus peracta ut supra n. 10, omnes sub cantu Responsorii Qui Lázarum, p. 299, e presbyterio ad locum præparatum se conferunt, ibique eodem ordine se sistunt, sicut alias in absolutione ad tumulum fieri consuevit. Mox ibidem Responsorium Líbera me, p. 50, cantatur, et postea fit aspersio et incensatio tumuli ritu solito, atque in reditu ad altare Psalmus De profúndis etc. cum reliquis, ut supra, recitatur.

16. Præterea hora convenienti Visitator procedet ad visitandam Ecclesiam, in qua specialiter altaria, capellas et confessionalia

inspiciet; tunc sacristiam adibit et in ea vasa sacra, indumenta et linteamina ceteramque supellectilem pro cultu divino destinatam scrutabitur; deinde infirmariam, bibliothecam, officinas et cellas Fratrum visitabit, dispositionem clausuræ Conventus cognoscet, cuncta ædificia et hortum Conventus perlustrabit.

17. Diversa inventaria, et archivum Conventus inspiciet; libros intentionum Missarum tum manualium tum fundatarum, ac rationes eleemosynarum acceptarum et expensarum diligenter revidebit et subscribet.

18. Fratres omnes singillatim ad se vocatos Visitator interrogat de cultu divino, de vitæ communis ceterarumque Constitutionum et Ordinationum observantia, de fraterna caritate, studio et labore, de Superiorum gubernio, aliorumque Officialium fidelitate, prout Constitutiones Ordinis præscribunt et zelus ac prudentia ipsi suggerent.

19. Ad finem visitationis, Fratribus capitulariter congregatis, Visitator de regulari disciplina hortatorium ad eos habebit sermonem; quæ admonenda, corrigenda aut ordinanda erunt, monebit, corriget et præcipiet. Deinde Fratres generali confessione coram eo se accusant; et ipsemet salutares imponit pœnitentias, ac data generali absolutione (pag. 5), cunctis benedicit.

CAPUT X

RITUS CELEBRANDI CAPITULUM PROVINCIALE

1. Preces capitulares, tempore a Præside Capituli præscripto post Completorium vel alia Communitatis exercitia in communi flexis genibus recitandæ, hæ sunt :

Hymnus

VEni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti, péctora.

Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dígitus Patérnæ déxteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus;
Infúnde amórem córdibus;
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus,
Ductóre sic te prævio
Vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Teque utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater noster Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas : tríbue nobis; ex ejus imitatióne terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Consuetudo addendi congruo loco specialem Antiphonam, Versiculum et Orationem ad Patronum vel Titularem Provinciæ servari potest; et si tunc pro Patrono vel Patrona adhibendus sit ℣. Ora pro nobis, pro S. P. N. Francisco sumatur ℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum : ℟. Signis redemptiónis nostræ.

2. Patribus Definitorii die et hora statuta in Aula capitulari congregatis, Præses primam Sessionem præliminarem per invocationem divini adjutorii flexis genibus inchoat hoc modo :

Veni, Creátor Spíritus, ut supra, p. 303.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui misericórdia tua nos incólumes in hoc loco speciáliter aggregásti : mentes nostras, quæsumus, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem; cunctósque in tua fide et caritáte corróboret; ut excitáti a temporáli congréssu, proficiámus ad ætérnæ felicitátis augméntum.

OMnípotens sempitérne Deus, qui sacro Verbi tui oráculo promisísti, ubi duo, vel tres in nómine tuo congregáti essent, te médium fore : adésto cœtui nostro propítius, et cor nostrum illúmina miséricors; ut a bono misericórdiæ tuæ nullátenus aberrémus, sed rectum justítiæ tuæ trámitem in ómnibus teneámus.

MEntibus nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus infúnde, quátenus in nómine tuo collécti, sic in cunctis teneámus cum moderámine pietátis justítiam, ut hic a te in nullo disséntiat volúntas nostra, sed semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Quæ preces etiam ante primam sessionem plenariam dicendæ sunt. Ceteræ vero sessiones sive definitoriales sive capitulares hisce precibus initiantur :

Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde.

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix; nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris; sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Réspice, beáte Pater Francísce, de excélso cælórum habitáculo, et deprecáre pro família tua, quam elegísti, ut sérviat coram te omni témpore in ministério Dómini.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Memor esto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra; ut vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Deinde leguntur litteræ patentales Rmi P. Ministri Generalis (nisi forte ipse præsideat), quibus Præses Capituli constituitur, et Præses opportunum habebit sermonem; quo expleto, instituitur Secretarius Capituli, fit revisio documentorum a Superioribus localibus transmissorum, et tractatur de præsenti statu observantiæ in Provincia, deque illis Provinciæ negotiis, quæ secundum Præsidis judicium sunt discutienda. Denique fit syndicatio Ministri Provincialis.

4. In fine uniuscujusque sessionis, proxima sessione indicata, hæ dicuntur preces :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis:
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ : ut quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te adjuvánte implére valeámus.

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

5. Coram omnibus Vocalibus Præses monet quæ monenda censet, et loquitur de electionibus faciendis. Deinde instituuntur præscrutinia.

6. In die Capituli cantatur Missa solemnis votiva de Spiritu Sancto, sub qua Fratres Clerici et Laici sacram Communionem recipiunt. In illis Conventibus, in quibus hæc Missa cantari nequit, celebratur Missa de Officio diei in honorem Spiritus Sancti, nisi Officium Missam votivam privatam admittens occurrat.

7. In aula capitulari præparanda sunt :

1° mensa oblonga, cui superponitur Crucifixus, penes quem ponitur formula juramenti ;

2° multæ schedulæ uniformes ;

3° quæ necessaria sunt ad scribendum ;

4° hostiæ ad sigillandum ;

5° urna pro suffragiis colligendis ;

6° stola violacei coloris ;

7° superpelliceum, stola et pluviale albi coloris ;

8° lumen et fornax pro comburendis schedulis ;

9° Constitutiones et Rituale Ordinis.

8. Hora præfixa ad sonum campanulæ omnes Vocales in aulam capitularem conveniunt. — Legitur elenchus Patrum Vocalium, et quilibet respondet : Adsum. — Deinde clauduntur portæ, excludendo omnes, qui non sunt Vocales. — Præses deinde brevi sermone monet Vocales de eligendis melioribus. — Finita exhortatione, omnes Vocales genuflectunt, dicunt Confiteor, et a Præside, stola violacea induto, recipiunt absolutionem a censuris sub hac forma :

Misereátur vestri, etc. Indulgéntiam, absolutiónem, etc.

Dóminus noster Jesus Christus vos absólvat, et ego auctoritáte ipsíus, ac beatórum Apostolórum Petri et Pauli, ac sanctæ Sedis Apostólicæ mihi in hac parte commíssa, et vobis concéssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunicatiónis, si quam incurrístis, et restítuo vos unióni et participatióni fidélium, necnon sanctis Sacraméntis Ecclésiæ, dispensándo vobíscum in omni senténtia suspensiónis et interdícti, si qua innodáti estis ; et ad efféctum electiónis canónice et rite nunc per vos celebrándæ, quátenus opus sit et indigétis, vos habílito : In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

9. Absolutione impertita, genuflectit etiam Præses, et intonat Hymnum :

8.



V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92.

Quo finito, cantat Versiculos et Orationes sequentes :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Deus virtútum convértere.
℟. Réspice de cælo, et vísita víneam istam.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum.
℟. Sed cito antícipent nos misericórdiæ tuæ.
℣. Elige David servum tuum.
℟. Páscere Jacob et Israel hæreditátem tuam.
℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine, qui corda nosti ómnium, cui omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum, † osténde nobis quem elégeris accípere locum ministérii hujus, in quo pio in nos stúdio semper tibi plácitus, famíliam tuam virtútibus ínstruat, * et fidélium mentes spirituálium arómatum odóre perfúndat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : † et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, * qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes, habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

10. Post hæc nominantur a Præside, habito prius consilio cum P. Provinciali et uno vel altero ex dignioribus Patribus, Secreta-

rius et duo Disquisitores, qui cum Præside accedunt ad mensam, et genuflexi coram imagine Crucifixi, quam manu dextera tangunt, singuli præstant hoc juramentum :

Juro me munus fidéliter impletúrum, et secrétum servatúrum circa acta in comítiis, nec umquam manifestatúrum eligéntium nómina sub pœna excommunicatiónis ipso facto incurréndæ.

11. Tunc Minister renuntiat Officio suo, sigilla Provinciæ Præsidi offert, et culpam suam agnoscit. Præses autem opportune ei respondet et injuncta illi pœnitentia subdit :

Absólvo te ab Offício tuo, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

12. Successive singuli Vocales, incipiendo a Præside, coram Crucifixi imagine genuflexi, ipsumque Crucifixum manu dextera tangentes, hoc præstant de eligendis melioribus juramentum :

Juro me elígere in Minístrum Provinciálem, in Custódem, et in Definitóres quos secúndum Deum eligéndos esse exístimo.

13. Hisce peractis, proceditur in primis ad electionem Ministri Provincialis. Unusquisque Vocalium scribit schedulam suam juxta formam sequentem :

Eligo in Ministrum Provincialem Fr. N. N.

In inferiori schedulæ parte nomen suum scribit, hanc partem plicat et hostia sigillat.

14. Schedulis scriptis, singuli Vocales schedulam in quarto plicatam in urnam injiciunt, incipiendo a Præside.

15. Si quis Vocalium, in Conventu capitulari degens, ob infirmitatem ad aulam capitularem venire nequeat, duo Disquisitores ipsum adire, ab ipso schedulam electionis in quarto plicatam recipere, ac dein coram omnibus Vocalibus in urnam mittere debent.

16. Omnibus schedulis in urnam illatis, a Præside, qui cum Secretario et Disquisitoribus in mensa separata sedet, urna evacuatur, et utrum numerus schedularum cum numero Vocalium concordet, observatur.

17. Deinde Præses unamquamque schedulam aperit ac legit et Secretario ac Disquisitoribus legendam tradit, quorum quilibet nomina accurate notat.

18. Perlectis et notatis omnibus schedulis, Disquisitores computum faciunt, quot singuli suffragia acceperint. Qui plus quam medietatem suffragiorum accepit, canonice electus est; v. g. si fuerint viginti Vocales, ille canonice electus est, qui habuit undecim vota. Sic pariter si fuerint tredecim Vocales ille electus est, qui habuit septem vota. Computu igitur suffragiorum facto, Secretarius Vocalibus annuntiat, quot singuli suffragia acceperint, inchoando ab illis, qui pauciora vota acceperunt. Si nullus ultra medietatem votorum habuerit, scrutinium modo supra descripto repeti debet intra terminos a Constitutionibus Generalibus determinatos (nn. 420, 421), donec electio canonica facta est, schedulis semper post unumquodque scrutinium combustis.

19. Electione autem Ministri Provincialis peracta et Vocalibus annuntiata, eodem modo statim fit electio Custodis. Unusquisque Vocalium scribit schedulam suam juxta formam sequentem :

Eligo in Custodem Fr. N. N.

et cetera observat ut supra.

20. Custode electo, Vocales immediate procedunt ad electionem quatuor Definitorum. Unusquisque Vocalium scribit suam schedulam in hunc modum :

Eligo in Definitores FF. N. N., N. N., N. N., N. N.

et reliqua fiunt ut supra.

21. Si contingat, ut in electione Definitorum in primo scrutinio plures quam quatuor Definitores eligantur, illi ut electi habendi sunt, qui plura habuerunt suffragia; si vero vota sint paria, præfertur antiquior in Religione.

22. Facta quatuor Definitorum electione, Secretarius documentum electionis in duplo scribit, et coram solis Vocalibus primum legit juxta sequentem formam :

Hæc est electio Ministri Provincialis, Custodis et Definitorum hujus nostræ Provinciæ N. N. canonice et rite celebrata die..... mensis.... anni...., per Patres Vocales ejusdem Provinciæ in hoc Conventu N. N. capitulariter et legitime congregatos, præsidente in ea N. N., (hic exprimitur etiam qualitas Præsidentis). In qua quidem electione, invocato Dei auxilio, ac præmissis aliis de jure præmittendis, de numero... Vocalium :

Pro Ministro Provinciali

Fr. N. N. habuit vota...
Fr. N. N. habuit vota... etc.

Pro Custode Provinciæ

Fr. N. N. habuit vota...
Fr. N. N. habuit vota... etc.

Pro Definitoribus Provinciæ

Fr. N. N. habuit vota...
Fr. N. N. habuit vota...
Fr. N. N. habuit vota...
Fr. N. N. habuit vota... etc.

Et ego Fr. N. N., unus ex Disquisitoribus et Compromissariis, virtute compromissi in me et socios meos limitati, nomine omnium qui in dictam electionem convenerunt et consenserunt, prædictos Patres : Fr. N. N. in Ministrum Provincialem, Fr. N. N. in Custodem Provinciæ, et FF. N. N. in Provinciæ Definitores, utpote qui requisitum suffragiorum numerum retulerunt, canonice electos nomino, atque denuntio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ita est : Fr. N. N. Disquisitor.
Ita est : Fr. N. N. Disquisitor.
Ita est : Fr. N. N. Disquisitor et Secretarius.
Et ego Fr. N. N., Capituli Præses, confirmo.

Quodsi Præses facultate dispensandi in electione usus sit, in subscriptione documenti id exprimat hoc modo :

Et ego Fr. N. N., Capituli Præses, dispensando super (v. g. ætate, vel vacatione Officii) cum Fr. N. N., confirmo.

23. Deinde Præses superpelliceum, stolam et pluviale albi coloris assumit, omnes Religiosi in Conventu exsistentes ad aulam capitularem convocantur, et Secretarius factas electiones Communitati promulgat.

24. Publicatione facta, Præses intonat Hymnum Te Deum, p. 94 vel 97, quem omnes alternatim cantantes cum Cantoribus processionaliter ad Ecclesiam se conferunt; interim campanæ festive pulsantur. Hymno finito, Præses coram altari majori Versiculos et Orationes sequentes cantat :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvum fac servum tuum, Dómine :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ.
℟. Et super fílium hóminis, quem formásti tibi.
℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo N., Minístro nostro, † et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ, * ut te donánte tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

CConcéde hunc fámulum tuum, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

25. Postea Præses altare ascendit, et in scabello ad cornu Evangelii sedet; Provincialis vero in secundo altaris gradu coram eo genuflectit, dum Custos et Definitores in infimo gradu genuflectunt. Tunc Provincialis in manibus Præsidis emittit professionem fidei catholicæ, p. 163.

26. Deinde Præses brevem habebit sermonem, Provinciali tradit sigilla Provinciæ, ejusque electionem confirmat hoc modo :

Ego N. N. auctoritáte qua fungor, te Fratrem N. N. in Minístrum almæ Provínciæ N. N. canónice eléctum confírmo, cónferens tibi secúndum Ordinis nostri Constitutiónes auctoritátem, potestátem et curam ómnium Fratrum dictæ Provínciæ, et administratiónem tam temporálium quam spirituálium ad eámdem Provínciam spectántium. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Postea confirmat Custodem dicens :

Ego N. N. auctoritáte qua fungor, confírmo te Fratrem N. N. in Custódem hujus almæ Provínciæ N. N., cónferens tibi omnem auctoritátem, quæ huic Offício secúndum Ordinis nostri Constitutiónes cómpetit. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Tandem confirmat Definitores his verbis :

Ego N. N. auctoritáte qua fungor, confírmo vos hic præséntes Fratres in Definitóres hujus almæ Provínciæ N. N., cónferens vobis omnem auctoritátem, quam Definitóres Provinciáles secúndum Ordinis nostri Constitutiónes habére solent. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

27. Quo facto, Præses ad sacristiam se recipit. Provinciali vero in cornu Evangelii sedenti singuli Religiosi obedientiam et reverentiam manus osculo genuflexi exhibent.

28. Obedientia ab omnibus præstita, Provincialis cunctis benedictionem impertitur, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

29. Post prandium, vel sequenti die, Præses cum Patribus novi Definitorii procedit ad electionem Commissarii provincialis, si Provincia Commissariatum habeat, Guardianorum et ceterorum Officialium, et quidem secundum Ordinis consuetudinem et Constitutiones sequenti modo :

Primo fit consultatio et discussio super meritis et qualitatibus eligendorum. Deinde, impertita per Præsidem absolutione a censuris, singuli ut supra juramentum præstant de melioribus eligendis hac formula :

Juro me elígere in Guardiános aliósque Officiáles, quos secúndum Deum eligéndos esse exístimo.

Quo facto, Præses proponit Patrem idoneum pro Guardiano alicujus Conventus, et sumuntur globuli albi et nigri, atque secreto, sine alia discussione, mittuntur in urnam. Quod si major pars fuerit affirmativa, qui propositus fuerat, canonice electus est; si autem non, alius proponi debet, usque dum sequatur electio canonica. Si quis in Guardianum pro uno Conventu propositus, per vota exclusus fuerit, non censetur exclusus pro alio Conventu. Quod si vota tribus vicibus pro eodem Patre eodemque Conventu fuerint æqualia, Præses determinat et decidit, sicut Deus ipsi inspirabit.

Præter Commissarium et Guardianos juxta Ordinis Constitutiones canonice eligendi sunt quoque per ballotationem Magister Novitiorum, et, ubi dari solet, etiam Socius Magistri Novitiorum.

30. Facta horum omnium electione, Secretarius in duplo conficiet documentum electionis juxta sequentem formam :

In Nomine Domini. Amen.

Hæc est electio canonica RR. Patrum (Commissarii provincialis) Guardianorum, Magistri Novitiorum (ejusque Socii) Provinciæ N. N. canonice et rite celebrata die....

mensis.... anni...., per Patres Venerabilis Definitorii ejusdem Provinciæ in hoc Conventu nostro N. capitulariter et legitime congregatos, præsidente in ea A. R. P. N. N.

In qua quidem electione, invocato Dei auxilio ac præmissis aliis de jure præmittendis, de numero..... Vocalium :

(Pro Commissario provinciali : Fr. N. N. habuit vota...)
Pro Guardiano Conventus N. : Fr. N. N. habuit vota...
Pro Guardiano Conventus N. : Fr. N. N. habuit vota...
Pro Magistro Novitiorum : Fr. N. N. habuit vota...
(Pro Socio Magistri Novitiorum : Fr. N. N. habuit vota.....)
Ita est : Fr. N. N. Def. Prov.
Ita est : Fr. N. N. Def. Prov.
Ita est : Fr. N. N. Def. Prov.
Ita est : Fr. N. N. Def. Prov.
Ita est : Fr. N. N. Custos Prov.
Ita est : Fr. N. N. Ex-Min. Prov. immediatus.
Ita est : Fr. N. N. Min. Prov.
Et ego Fr. N. N., Capituli Præses, confirmo.

Quod si Præses facultate dispensandi in electione usus sit, in subscriptione documenti id exprimat, ut supra n. 22 in fine.

31. Reliqui Officiales communi consilio et consensu Definitorum juxta consuetudinem Ordinis instituuntur. Deinde, ubi moris est, fit dispositio singularum Provinciæ familiarum, et conficitur atque publicatur coram religiosa Communitate Tabula capitularis.

32. Quibus omnibus rite peractis, Acta capitularia, idest documenta de electionibus tum a toto Capitulo tum a Definitorio provinciali peractis, et novæ Ordinationes provinciales forsitan conditæ, necnon Tabula capitularis a Patribus Definitorii subscripta, et Provinciæ sigillo munita, ad Ministrum Generalem pro revisione et definitiva approbatione mittantur.

33. In fine ultimæ sessionis capitularis Deo debitæ persolvuntur preces et gratiarum actiones hoc modo :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster, secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; ut, qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ : ut, quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te adjuvánte implére possímus.

NUlla est, Dómine, humánæ consciéntiæ virtus, quæ inoffénse possit tuæ voluntátis judícia experíri; et ídeo, quia imperféctum nostrum vident óculi tui, perfectióni députa, miséricors Deus, quod perfécto æquitátis fine conclúdere peroptámus; te in nostris princípiis occursórem popóscimus, te in hoc fine judiciórum nostrórum indultórem nostris excéssibus sperámus, scílicet, ut ignorántiæ parcas, erróri indúlgeas, ut perféctis votis perféctam óperis efficáciam largiáris : et quia consciéntia remordénte tabéscimus, ne aut ignorántia nos tráxerit in errórem, aut præceps fórsitan volúntas impúlerit justítiam declináre; hoc te póscimus, te rogámus, ut si quid offensiónis in hac Capituli celebritáte contráximus, te miseránte, indulgéntiam sentiámus : ut in eo, quod solutúri sumus aggregátum Capítulum, a cunctis primum absolvámur nostrórum néxibus delictórum; quátenus, et transgressóres vénia, et confiténtes tibi subsequátur remunerátio sempitérna. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Denique Præses Capituli capitularibus coram genuflexis benedictionem impertit, et discedendi veniam concedit.

APPENDIX

FORMULÆ JURAMENTI A DEFINITORIBUS ET SECRETARIIS EMITTENDI

I. Juramentum a Definitoribus tum generalibus tum provincialibus ad normam Constitutionum generalium nn. 530 et 568 in prima sessione definitoriali emittendum :

Juro me secretum omnimode servaturum circa ea quæ hisce in Congressibus definitorialibus tractabuntur vel quæ mihi ratione officii hujus committentur.

II. Juramentum a Secretariis generalibus et provincialibus ad normam Constitutionum gen. nn. 534, 570 et 608 emittendum, antequam officium suum exercere incipiant :

Juro me officio mihi commisso fideliter functurum et secretum servaturum circa omnia, quæ mihi ratione hujus officii committentur.

III. Juramentum a singulis electoribus ad normam Constitutionum gen. nn. 412 et 426 emittendum ante quamlibet electionem canonicam, etiam quæ extra tempus Capituli generalis et provincialis in Congressibus definitorialibus fieri debeat :

Juro me eligere in (hic exprimatur officium, ad quod hæc electio fieri debet, e. gr. Commissarium generalem vel provincialem, Definitorem, Guardianum, Magistrum Novitiorum), quem (quos) secundum Deum eligendum (eligendos) esse existimo.

CAPUT XI

RITUS CELEBRANDI CAPITULUM GENERALE

1. Ante Capitulum, juxta antiquam Ordinis consuetudinem, a Resurrectione Domini usque ad diem electionis faciendæ, qualibet feria quinta, solemni festo non impedita (Vide Cæremon. Ordinis n. 410), in singulis Conventibus ac Residentiis Missa de Spiritu Sancto pro felici electionum exitu applicanda decantetur, vel, si hoc fieri nequeat, saltem in ejusdem honorem legatur, a singulis vero Sacerdotibus ejus Oratio dicatur. Quotidie Hymnus Veni, Creátor cum Versiculis et Orationibus de Spiritu Sancto, de B. Maria Virgine Immaculata, et de S. P. N. Francisco in choro post Completorium vel alia Communitatis exercitia recitetur, ut p. 303, seq.

2. Ab Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecostes singulis diebus festivis per Ecclesias vel Claustra processiones fiant ac Litaniæ Ordinis Nostri decantentur. In ipsa Pentecostes Vigilia summo mane solemnis celebretur Missa, in qua omnes Fratres Clerici et Laici SS. Communionem recipiant, communibus votis divinum lumen electoribus, et abundantiam omnium gratiarum universo Ordini impetraturi.

3. Pro processionibus duo Cantores intonant sequentem Antiphonam, quam ceteri prosequuntur :





mus, et pacem tu- am nostris concéde tempó-ribus,



et ab Ecclé-si- a tu- a cunctam repélle nequí-



ti- am. Ký-ri- e, e-lé- i-son, etc. p. 129.

Deinde Cantantur Litaniæ Romano-Seraphicæ, modo simplici.

4. Post vero Litanias, dicto Pater noster, Cantores intonant Ps. 131. Meménto, ceteris alternatim respondentibus.

Cantores Chorus

6.



M Eménto Dómi-*ne* DA- vid, * et omnis man-



su- etú*dinis* E- jus.

Cantores : Sicut jurávit DOmino, * votum vovit *Deo* JAcob :

Chorus : Si introíero in tabernáculum do*mus* MEæ, * si ascéndero in lectum *strati* MEi :

Si dédero somnum ócu*lis* MEis, * et pálpebris meis dormi*tati*Onem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam lo*cum* DOmino, * tabernáculum *Deo* JAcob.

Ecce audívimus eam *in* Ephrata : * invénimus eam in *campis* SILvæ.

Introíbimus in tabernácu*lum* Ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt *pedes* Ejus.

Surge, Dómine, in réqui*em* TUam, * tu et arca sanctificati*ónis* TUæ.

Sacerdótes tui induántur *ju*STItiam : * et sancti tu*i ex*SULtent.

Propter David, ser*vum* TUum, * non avértas fáciem *Christi* TUi.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábi*tur* Eam : * de fructu ventris tui ponam super *sedem* TUam.

Si custodíerint fílii tui testamén*tum* MEum, * et testimónia mea hæc, quæ do*cébo* Eos :

Et fílii eórum usque *in* SÆculum, * sedébunt super *sedem* TUam.

Quóniam elégit Dómi*nus* SIon : * elégit eam in habitati*ónem* SIbi.

Hæc réquies mea in sæcu*lum* SÆculi : * hic habitábo quóniam e*légi* Eam.

Víduam ejus benedícens be*ne*DIcam : * páuperes ejus satu*rábo* PAnibus.

Sacerdótes ejus índuam sa*lu*TAri : * et sancti ejus exsultatióne *exsul*TAbunt.

Illuc prodúcam cor*nu* DAvid, * parávi lucérnam *Christo* MEo.

Inimícos ejus índuam confu*si*One : * super ipsum autem efflorébit sanctificá*tio* MEa.

Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirí*tui* SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

Psalmo dicto, Cantores cantant ℣℣. sequentes :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Exáudi, Dómine, súpplicum preces.
℟. Et confiténtium tibi parce peccátis.
℣. Réspice, Dómine, ad humilitátem nostram.
℟. Et non déseras nos in témpore tribulatiónis.

℣. Gregem tuum, Pastor ætérne, non déseras.
℟. Sed per beátos Apóstolos tuos * contínua protectióne custódias.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N.
℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, † et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Fiat pax in virtúte tua.
℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero assurgens cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — **Oratio**

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas.

DOmine Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti : † concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, * et dignos fructus pœniténtiæ faciámus.

ECclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admítte : † ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, * secúra tibi sérviat libertáte.

LIbera, quæsumus, Dómine, a peccátis et hóstibus fámulos tuos tibi supplicántes : † ut in sancta conversatióne vivéntes, * nullis afficiántur adversitátibus.

DEus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice : † da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest, proficere, * ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : † te súpplices exorámus; ut pro quibus effúndere preces decrévimus, * quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.



℣. Exáudi-at nos omnípotens
et misé-ricors Dóminus.
℟. Et custódiat nos semper. A- men. ℣. Fidélium, etc.

5. Postquam omnes Vocales in locum designatum advenerint, solemnis cantatur Missa pro gratiarum actione. In prima sessione plenaria quæ tunc sequitur, promulgantur a Ministro Generali Officiales Capituli, qui statim in manibus ipsius Ministri juramentum emittunt de munere fideliter implendi :

Ego Fr. N. N. jura fidelitátem me servatúrum in meo múnere exercéndo.

Quibus peractis, Secretarius ad nutum Præsidis tabulam Officialium Capituli publicat et ad aulæ capitularis valvas affigit. In fine futura indicitur sessio, et flexis genibus debitæ Deo persolvuntur gratiæ, p. 306, n. 4.

6. Feria V. ante Pentecosten solemnis cantatur Missa de Spiritu Sancto; qua finita habetur sermo et exponitur SS. Sacramentum in forma Orationis XL Horarum.

7. In ipsa Pentecostes Vigilia solemnis de Spiritu Sancto cantatur Missa. Qua peracta, ad sonum campanæ Capitulares

omnes ad fores Ecclesiæ se conferunt adventum Præsidis exspectaturi, quem solemniter excipient (cfr. p. 117), et deinde ad aulam capitularem comitabuntur. Secretarius Capituli deinde claudit portas et alta voce Vocalium elenchum legit, singulis ad nomen proprium respondentibus : Adsum. Postquam Præses breviter omnes admonuerit de bona facienda electione, Vocales omnes genuflexi dicunt Confiteor, et a censuris si forte incurrerint absolvuntur, p. 307. Postea, Præside intonante, cantatur flexis genibus Hymnus :

8.

Veni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

cum ℣.℣. et Orationibus, uti p. 308.

Jam surgunt omnes et Præses nominat sex Disquisitores; qui accedunt ad mensam et genuflexi coram imagine Crucifixi, quam manu dextera tangunt, singuli præstant hoc juramentum :

Juro me munus fidéliter impléturum et secrétum servatúrum circa acta in comítiis, nec umquam manifestatúrum eligéntium nómina sub pœna excommunicatiónis, ipso facto incurréndæ.

8. Postquam Minister Generalis flexis genibus officio suo renuntiaverit, Præses ei opportune respondet et ab officio absolvit, dicendo :

Absólvo te ab offício tuo, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Successive singuli Vocales, incipiendo a Ministro Generali, coram imagine Crucifixi, quam manu dextera tangunt, genuflexi præstant hoc juramentum :

Juro me elígere in Minístrum Generálem, quem secúndum Deum eligéndum esse exístimo.

9. Hisce peractis proceditur ad electionem Ministri Generalis. Unusquisque Vocalium in loco suo scribit suam schedulam juxta hanc formam :

Eligo in Ministrum Generalem Fr. N. N.

Vocalis in inferiori parte schedulæ scribit suum nomen, hanc partem plicat et hostia sigillat, ita ut nomen ipsius Vocalis tegatur et videri nequeat; postea ipsam schedulam in quarto

plicat. Schedulis scriptis, singuli Vocales, incipiendo a Ministro Generali, accedunt ad urnam, in quam schedulam ita complicatam injiciunt.

Disquisitores cum Præside scrutantur schedulas, ac eorum Secretarius annuntiat quot suffragia singuli acceperunt (cfr. nn. 15-18, pp. 309-310). Si electio canonica non sit secuta, repetatur scrutinium intra terminos a Constitutionibus Generalibus determinatos (n. 420 et 421); si vero sit secuta, legitur coram solis Vocalibus documentum electionis redactum in hunc modum :

In Nomine Domini. Amen.

Hæc est electio Reverendissimi Patris Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci, canonice et juxta formam Regulæ celebrata per Patres Vocales ejusdem Ordinis, capitulariter et legitime congregatos in hoc Conventu.... die.... mensis.... anno Domini...., præsidente in ea N. N.

In qua quidem electione, invocato Dei auxilio et præmissis de jure præmittendis, de numero.... Vocalium :

Frater N. N. habuit vota....

(hic recensentur nomina candidatorum, et quot singuli suffragia reportaverint, incipiendo ab iis, qui minorem votorum numerum retulerunt)

Et ego Frater N. N. ejusdem Ordinis Professus ac N. (hic recensetur qualitas, ob quam Capitulo assistit), unus ex Disquisitoribus et Compromissariis, virtute compromissi in me et socios meos limitati, nomine omnium qui in dictam electionem convenerunt et consenserunt, præfatum Patrem, Fratrem N. N., in quem major pars votorum consensit, Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum canonice electum nomino, et sic electum enuntio. In nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti. Amen.

Ita est : Frater N. N. Disquisitor.
Ita est : Frater N. N. »
Ita est : Frater N. N. »
Ita est : Frater N. N. »
Ita est : Frater N. N. »
Ita est : Frater N. N. Disquisitor et Secretarius.

10. Pronuntiata exinde Vocalibus Ministri Generalis electione, convocatur religiosa Communitas, et coram ipsa electione pariter promulgata, sequentes cantantur acclamationes :

Cantores



Sanctíssimæ Trini-tá-ti laus et gló-ri- a.

Omnes



℟. Laus et gló-ri- a.

Cantores



Be-a-tíssimæ Vírgi-ni immaculátæ honor et bene-

dícti- o.

Omnes

℟. Honor et bene-dícti- o.

Cantores

Sancto Francísco, Patri nostro, decus et gratu-lá-



ti- o.

Omnes



℟. Decus et gratu-lá- ti- o.

Cantores



Sanctíssimo Dómino nostro, sanctæ et universá-lis



Eccle-si-æ Pontí-fi-ci N., qui dignátus est (per



Eminentíssimum Dóminum cardiná-lem N.) in

hoc Capí-tulo præsidé-re, húmi-les grá-ti-æ, multi an-



ni, ætérna me- mó-ri- a.

Omnes



℟. Húmi-les grá-ti- æ, multi anni, ætérna me-



mó- ri- a.

Tunc Præses intonat Hymnum Te Deum, p. 94 vel 97, quem cantando omnes processionaliter ad Ecclesiam se conferunt, campanis et organis interim festive personantibus. Hymno finito, Præses coram altari majori Versiculos et Orationes cantat ut supra pag. 312. Tunc Præses altare conscendit et in faldistorio ad cornu Evangelii sedet, Neo-electus vero, in infimo gradu genuflexus, professionem fidei emittit, p. 163, et immediate post eam subjungit sequens juramentum :

Ad hæc ego Fr. N., eléctus in Minístrum Generálem totíus Ordinis Fratrum Minórum, coram Eminéntia Vestra Reverendíssima, totóque hoc Generáli Capítulo promítto, vóveo, et juro Sanctitáti Dómini Nostri N. Papæ N. et ejus Successóribus canónice intrántibus obediéntiam et reveréntiam : necnon munus mihi commíssum recte et fidéliter administratúrum juxta Régulam ejúsdem Ordinis, et juxta sacros Canones; atque ut præfáta Régula, Canonésque a meis súbditis observéntur, quantum in me erit, curatúrum, itémque me nullo modo ambitúrum, nec procuratúrum, neque acceptatúrum dignitátem episcopálem, archiepiscopálem, vel patriarchálem toto témpore mei Ministeriátus duránte. (Hic iterum ponit manum dexteram super Evangeliorum librum). Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

Quo juramento coram toto Capitulo emisso, Præses novum Generalem, tradendo ei sigillum Ordinis, confirmat dicens :

Ego N. N. hujus Generális Capituli Præses, auctoritáte Apostólica mihi concéssa, et ómnium eligéntium nómine, Te, Fratrem N. N., in Minístrum Generálem totíus Ordinis Fratrum Minórum canónice eléctum confírmo, atque legítimum Seráphici Patris nostri Francísci successórem pronúntio. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Quibus peractis, Præses Capituli documentum electionis subscribit in hunc modum : Et ego N. N., Capituli Generalis Præses, confirmo; et discedit.

Minister Generalis autem altare osculatus in suppedaneo ad cornu Evangelii sedet; eique primum Capitulares, deinde reliqui

Fratres debitam reverentiam et obedientiam præstant. In fine omnibus, genuflexis et mediocriter inclinatis, specialem benedictionem beati Patris Francisci impertitur dicens :

Bene ✠ dícat vobis Dóminus, et custódiat vos. Osténdat fáciem suam vobis, et misereátur vestri. Convértat vultum suum ad vos, et det vobis pacem. Dóminus vos bene ✠ dícat. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

11. Die a novo Ministro Generali determinato, præscrutiniis habitis, ac observatis reliquis de jure observandis, ab omnibus Vocalibus fit electio canonica Procuratoris Generalis per schedulas, præstito juramento in hunc modum :

Juro me elígere in Procuratórem Generálem, quem secúndum Deum eligéndum esse exístimo.

Electione facta et etiam coram religiosa Communitate publicata, omnibus in aula hinc inde stantibus, duo Cantores intonant Ps. Laudáte Dóminum omnes Gentes, etc., quem reliqui alternatim cum Glória Patri prosequuntur. Quo finito, Minister Generalis cantat sequentes Versiculos et Orationem :

℣. Manda, Deus, virtúti tuæ.
℟. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.
℣. Salvum fac servum tuum :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus, prætende super fámulum tuum N., Procuratórem nostrum, spíritum grátiæ salutáris : † et ut in veritáte tibi compláceat, * perpétuum ei rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Minister Generalis Neo-electum ante se genuflexum confirmat, dicens :

Ego auctoritáte, qua fungor, meo et ómnium eligéntium nómine Te, Fratrem N. N., in Procuratórem Generálem totíus Ordinis nostri canónice eléctum confírmo, cónferens tibi omnem auctoritátem et potestátem huic múneri secúndum Ordinis nostri Constitutiónes competéntem. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Confirmatus, manu Ministri deosculata, accipit ab eodem officii sui sigillum et osculum pacis.

12. Uno ex sequentibus diebus a Ministro Generali statuendo, fit electio canonica sex Definitorum Generalium, præstito a Vocalibus prius hoc juramento :

Juro me elígere in Definitóres Generáles, quos secúndum Deum eligéndos esse exístimo.

Electione facta et publicata, intonatur Te Deum, p. 94 vel 97, et omnes alternatim cantantes processionaliter pergunt ad Ecclesiam, ubi ante altare majus Minister Generalis, Neo-electis hinc inde ei adstantibus et post Hymnum genuflexis, cantat :

℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Tríbue eis secúndum cor eórum.
℟. Et omne consílium eórum confírma.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

LArgíre, quæsumus, Dómine, his fámulis tuis, Definitóribus Ordinis nostri, spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi : † ut semper rationabília meditántes, * quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequántur et factis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Minister Generalis altare conscendit et ad Neo-electos, in infimo gradu genuflexos, conversus, eos confirmat dicens :

Ego auctoritáte, qua fungor, meo et ómnium eligéntium nómine vos in Definitóres Generáles canónice eléctos confírmo, tríbuens vobis omnem auctoritátem, quam Definitóres totíus Ordinis secúndum Constitutiónes nostras habére solent. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Post hæc omnibus benedicit.

13. Die opportuna, a Ministro Generali assignanda, pro defunctis Confratribus et benefactoribus cantatur ad vesperam Nocturnum Defunctorum sub ritu duplici, et in crastino post Missam solemnem fiet concio de Defunctis, et canetur Responsorium Líbera.

Ex veteri ac probata Religionis consuetudine et pietate, commendantur preces pro Sanctissimo Romano Pontifice, pro Regibus et Principibus orthodoxis, pro Eminentissimo Ordinis Protectore, et pro omnibus benefactoribus nostris.

14. Conficitur diligenter et accurate Capituli Tabula, continens electiones, decreta, et præmissorum omnium seriem; subscribunt Definitorii Patres; subscripta majori Ordinis sigillo muniuntur; ejusque exemplar subinde a Generali Ministro ad singulas Provincias opportune mittendum erit. Tum Capitularibus universis congruo loco et tempore in unum congregatis, eadem Tabula clara et intelligibili voce de suggestu legitur. Quo facto, ad Ecclesiam procedunt ac pro felici rerum exitu gratias agunt, canentes Canticum Benedíctus, p. 235, in cujus fine Minister Generalis coram altari cantat :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto, cum Versiculis et Orationibus pag. 316 et 317 assignatis.

Post verba exhortatoria Minister Generalis omnibus coram genuflexis Seraphicam benedictionem impertitur pag. 328, et discedendi veniam concedit.

TITULUS V

RITUS PECULIARES II ORDINIS

CAPUT I

RITUS VESTITIONIS IN II ORDINE

1. Candidatæ debite instructæ et præparatæ, atque ad Novitiatum peragendum ab Abbatissa admissæ habitu Ordinis induantur in Ecclesia vel Sacello Monasterii post Missam conventualem, intra quam Candidatæ S. Communionem recipient.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ apponetur mensa in eaque disponentur habitus, cingula, vela alba, coronæ septem Gaudiorum B. M. V., Breviarium Seraphicum, s. Regula, Crucifixi et candelæ Candidatis suo tempore porrigenda; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et Rituale Ordinis. Ad partem Evangelii vel ad crates collocabitur scabellum pro Celebrante.

3. Ubi adsit consuetudo immemorabilis, ut Candidatæ occasione vestitionis ad presbyterium accedant, vel ad hoc speciale Indultum Apostolicum impetratum fuerit, præfatæ Candidatæ, more sponsarum decenter ornatæ, jam ante Missam e clausura ad presbyterium se conferunt, ibique in genuflexoriis pro ipsis præparatis genuflectunt.

In aliis Monasteriis Candidatæ vestiendæ intra clausuram ad crates genuflexæ manent

4. Finita Missa, Celebrans per latus Epistolæ ad scamnum se confert, ubi depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et medius inter duos Assistentes superpelliceis indutos ad altare reversus, suppedaneum conscendit atque altare osculatus in scabello parum ad latus Evangelii vel ad crates collocato sedet.

Celebrans imprimis Candidatas interrogat :

Filiæ carissimæ, quæ est petítio vestra (Fília carissima, quæ est petítio tua) ?

et Candidatæ simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Fran-

císci, — sanctæ Matris Claræ et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum secúndi Ordinis Seráphici — admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans ait :

Deo grátias,

et opportunum habebit sermonem.

Deinde iterum Candidatas interrogat :

Vultis (Visne) in sanctæ virginitátis propósito perseveráre?

Et Candidatæ simul respondent :

Volo.

Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

5. Tunc Celebrans ad altare conversus in tono feriali cantat :

℣. Salvas (Salvam) fac ancíllas tuas (ancíllam tuam):
℟. Deus meus, speántes (sperántem) in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus **Oratio**

DEus, qui a sæculi vanitáte convérsos, ad bravíum supérnæ vocatiónis accéndis; et qui renuntiántibus sæculo, mansiónes paras in cælis; † diláta corda famulárum tuárum (cor hujus fámulæ tuæ) cæléstibus donis, ut fratérna nobíscum teneántur (teneátur) compágine caritátis : * unánimes, constántes, sóbriæ, símplices et quiétæ (unánimis, constans, sóbria, simplex et quiéta) regulária sanctórum Patrum institúta custódiant (custódiat) et ad eum, quem, te inspiránte, perfectiónis spíritum concepérunt (concépit), te adjuvánte pervéniant (pervéniat). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per mortem unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum restauráre misericórditer dignátus es, ut a morte perpétua nos liberáres, et ad gáudia perdúceres Paradísi : † réspice, quæsumus, pietátis tuæ óculo devótam hanc famíliam tuam, hic hódie in tuo nómine congregátam, * cujus fámulus tuus beátus Francíscus, ut tibi augeátur credéntium número, éxstitit institútor. Illam super firmam petram, quæ Christus est, confírma; † ut ab ómnibus turbatiónibus mundi, carnis et diáboli sit secúra : * et incédens per tuórum sémitam mandatórum, méritis acerbíssimæ Fílii tui Passiónis, et immaculátæ Matris ejus semper Vírginis Maríæ, ac beáti Patris nostri Francísci, omniúmque Sanctórum, gáudia ætérna possídeat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Post hæc medius inter duos Assistentes ad cornu Epistolæ se confert et benedicit vestimenta sine cantu dicens :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Super vestimenta

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es : supplicatiónem nostram cleménter exáudi; ut intercedénte beáta María, Matre tua semper Vírgine, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto Patre nostro Francísco, et ómnibus Sanctis has vestes bene ✠ dícas, purífices et sanctí- ✠ fices : quátenus istæ fámulæ tuæ (ista fámula tua), quæ eis induéntur (induétur) extérius, te intérius índuant

(índuat), ut devóte tibi in hac sancta Religióne semper persisténtes (persístens), vestiméntum beátæ jucunditátis a te percípiant (percípiat) in futúro : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Super chordas seu cingula

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngula ista (cíngulum istud), et præsta; ut fámulæ tuæ (fámula tua), quæ hoc pœniténtiæ ligámine præcingúntur (præcíngitur), vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuo mémores exsístant (memor exsístat), et in Ordine, quem assúmunt (assúmit), constánter persevérent (persevéret), tuísque cum efféctu semper obséquiis alligátas se esse cognóscant (alligátam se esse cognóscat). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Super vela alba

Orémus Oratio

SUpplíciter te, Dómine, rogámus, ut super hæc cándida vela, ancillárum tuárum capítibus (hoc cándidum velum, ancíllæ tuæ cápiti) hódie imponénda (imponéndum), bene ✠ dictio tua benígna descéndat; ut si(n)t vela (-um) benedícta (-um), immaculáta (-um), et sanctificáta (-um) his ancíllis tuis (huic ancillæ tuæ), quátenus eárum (ejus) vita sit abscóndita cum Christo in Deo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui per Apóstolum tuum docuísti, ut mulíeres in Ecclésia tua sancta, quæ sponsa tua est, veláto cápite starent, ad ostendéndum, quod amátor es illibatíssimæ castitátis : béne ✠ dic, et sanctí ✠ fica vela ista (velum istud), et concéde, ut, sicut extérius pietátis et honestátis sunt (est) signum, ita has

ancíllas tuas (hanc ancíllam tuam), quæ debent ipsa (debet ipsum) gestáre in hac sancta Religióne, sine mácula semper custódias, et bonis opéribus abundáre fácias, et tandem in cælo Sanctórum consórtio felíciter jungas : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Quibus completis, aspersorium accipit de manu primi Assistentis, et ter Candidatas aspergit, terque vestimenta, nempe in medio, a sinistris suis et a dexteris, proferens sine Psalmo Antiphonam Aspérges me Dómine etc., quin hæc aut illas thurificet.

7. Benedictione vestimentorum peracta, ad medium altaris cum Assistentibus redit, et in infimo gradu genuflexus intonat Hymnum :

8.

V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

quem Moniales, pariter genuflexæ usque ad finem, prosequuntur. Interim sacra vestimenta per rotam sacristiæ in chorum transferuntur.

Finito Hymno, duo Assistentes subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat Orationem :

Orémus — Oratio

DEus miséricors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihílque boni perfícitur : adsint nostris humíllimis précibus tuæ pietátis aures : † et fámulas tuas, quibus (fámulam tuam, cui) in tuo sancto nómine hábitum nostræ Religiónis impónimus, a mundi impediménto, vel sæculári desidério defénde; * et concéde eis (ei), ut in hoc sancto propósito devótæ (devóta) persístere, et remissióne peccatórum percépta, ad electórum tuórum váleant (váleat) pervenire consórtium. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

* 8. Deinde Celebrans cum Assistentibus iterum altare conscendit, et singulis Candidatis in ora suppedanei genuflexis tradit candelam accensam unicuique dicens :

Sit lucérna ardens in mánibus tuis, ut cum vénerit Sponsus, exíre possis óbviam ei, et intráre cum eo ad núptias.

Interim Moniales in choro suas quoque accipiunt candelas accensas. Distributis candelis, Celebrans in cantu dicit sequentem Orationem :

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui fidélium animárum verus es Sponsus, quique prudéntes jussísti Vírgines, virtútum opéribus lámpades aptátas teréntes, óbviam tibi veníre : † concéde propítius; ut istæ, quas (ista, quam) hódie in tuas (tuam) dignáris evocáre sponsas (sponsam), * sic sacris ex nunc Religiónis móribus suæ lámpadem conscientiæ stúdeant (stúdeat) adornáre, ut gratæ (grata) tibi hoc in loco, devotæque perseveránte (devótaque persevérans), cum sanctis et eléctis virgínibus, ad ætérnas Agni immaculáti núptias, immaculátæ (immaculáta), ac nuptiáli veste indútæ (indúta) introíre mereántur (mereátur) : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

9. Postmodum Celebrans, exhibita ab omnibus altari debita reverentia, Candidatas deducit ad ingressum clausuræ Monasterii. Præcedunt Candidatæ binæ et binæ candelas accensas in manu extima gestantes, quas sequitur Celebrans medius inter duos Assistentes fimbrias pluvialis ei sublevantes; Moniales vero pariter ad portam Monasterii processionaliter se conferunt, cantando sequentem Antiphonam et Psalmum :

8. G



*In illis Monasteriis, ubi Candidatæ occasione vestitionis e clausura non egrediuntur, ritus n. 8-10 indicatus omittitur et statim ad vestitionem proceditur.

Psalmus 121

Cantrices Chorus

8. G



L Ætátus sum in his quæ dicta sunt MI- hi : * In



domum Dómi-ni Ibimus.

Cantrices : Stantes erant pedes NOstri * in átriis tu*is*, *Je*RUsalem.

Chorus : Jerúsalem, quæ ædificátur ut CIvitas : * cujus participátio ejus *in id*Ipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus DOmini : * testimónium Israel ad confiténdum nó*mini* DOmini.

Quia illic sedérunt sedes in juDIcio, * sedes super *domum* DAvid.

Rogáte quæ ad pacem sunt JeRUsalem : * et abundántia dili*génti*BUS te :

Fiat pax in virtúte TUa : * et abundántia in túr*ribus* TUis.

Propter fratres meos, et próximos MEos, * loquébar *pacem* DE te :

Propter domum Dómini Dei NOstri, * quæsívi *bona* TIbi.

Glória Patri, et FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

Repetitur Ant. Veni Sponsa.

Post repetitionem Antiphonæ omnibus ad portam stantibus, Candidatæ genuflectunt, et a Celebrante petunt benedictionem, dicendo :

Benedícite, Pater Reverénde, intróitum nostrum.

Celebrans aspergens Candidatas aqua benedicta dicit :

Benedíctus talis éxitus, multo magis talis intróitus. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

10. Qua benedictione impertita, Celebrans cum Assistentibus revertitur in Ecclesiam ad crates, Candidatæ vero solæ clausuram ingrediuntur et a Monialibus ad chorum deducuntur. Interim cantatur Responsorium :



Spi-rí- tu- i San- cto. * Ut ví- de- am.

11. Cum Moniales ad chorum pervenerint, Candidatæ candelas deponunt, in medio genuflectunt et, ceteris hinc inde suis in locis stantibus, Abbatissa statim ad religiosam vestitionem primæ Candidatæ ante ipsam genuflexæ procedit. Celebrans autem stans ante crates, ad singulos vestitionis actus respectivas dicit invocationes et Orationes, hoc ordine :

Ad tonsionem comæ

Dóminus pars hæreditátis meæ, | et cálicis mei; | tu es, qui restítues | hæreditátem meam mihi.

Quæ verba Candidata repetit. Deinde Celebrans prosequitur :

ORémus, dilectíssimi Fratres et Soróres, Dóminum nostrum Jesum Christum pro hac fámula sua N., quæ ad deponéndam comam cápitis sui pro ejus amóre festínat, ut donet ei Spíritum Sanctum, qui hábitum Religiónis in ea perpétuo servet, et a mundi impediméntis, et sæculáribus desidériis cor ejus deféndat, ut sicut in cápite mutátur et vultu; ita déxtera manus ejus virtútis illi tríbuat increméntum, et ab omni cæcitáte spirituáli óculos ejus apériat, eíque ætérna grátia lumen infúndat : Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Post tonsuram capillorum

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut hæc fámula tua N., quæ hódie comam cápitis pro amóre divíno depósuit, in tua dilectióne perpétuo máneat, et eam sine mácula, grátia tua protegénte, in finem usque custódias. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ad depositionem vestis sæcularis

Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis. Et Candidata respondet : ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens ætérne Deus, propitiáre peccátis, et ab omni servitúte sæculáris hábitus, hanc fámulam tuam N. emúnda; et, dum ignomíniam mundánam ac sæculária induménta pro tuo honóre depónit, tua grátia perfruátur, et hæreditátem cónsequi mereátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ad Habitum

Induat te Dóminus novam creatúram, quæ secúndum Deum creáta est, in justítia et sanctitáte veritátis. ℟. Amen.

Ad Chordam

Præcíngat te Dóminus cíngulo puritátis, et exstínguat in lumbis tuis humórem libídinis, ut máneat in te virtus continéntiæ et castitátis. ℟. Amen.

Ad Velum

Opériat crinem tuum modéstia, sobríetas, et continéntia : ut virtútum accíncta comitátu, purpúreo Domínici Sánguinis redémpta velámine, mortificatiónem Dómini nostri Jesu Christi tua in carne circúmferas. ℟. Amen.

Ad Rosarium

Accipe, Soror caríssima, Corónam beátæ Maríæ Vírginis in memóriam septem Gaudiórum suórum contéxtam. ℟. Amen.

Ad Breviarium (si est Chorista)

Accipe Breviárium Seráphicum, ut incípias Horas canónicas, et dicas Offícium divínum in Ecclésia. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Ad Regulam

Accipe Régulam istam, quam tibi servándam trádimus. ℟. Amen.

Redditis in manus Magistræ Breviario et Regula, Abbatissa Novitiæ porrigit Crucem, et Celebrans dicit :

Ad Crucifixum

Accipe Crucem Dómini nostri Jesu Christi : in qua est salus, vita et resurréctio nostra. ℟. Amen.

Novitia, manum Abbatissæ et Crucem osculata, subjungit :

Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Et omnes circumstantes respondent :

℟. Amen.

Post hæc Celebrans Novitiæ Religionis nomen imponens dicit :

Fília, in pósterum non vocáberis N., sed Soror N.

12. Aliæ Candidatæ eodem modo benedictis vestibus induuntur, et omnium vestitione peracta, Assistentes cantant :

℣. Salvas fac ancíllas tuas (Salvam fac ancíllam tuam):
℟. Deus meus sperántes (sperántem) in te.
℣. Mitte eis (ei), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eas (eam).
℣. Nihil proficiat inimícus in eis (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis (ei).
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, Pastor bone, qui ánimam tuam pro óvibus tuis posuísti ; † fac ancíllas tuas (ancíllam tuam) sacris véstibus indútas (indútam) ante conspéctum

tuum cum justítia vívere, * et ad misericórdiam tuam cum fructu bonórum óperum pervenire concéde. Tríbue simul eis (ei) in fide obediéntiam, in labóre virtútem, in afféctu devotiónem, in actu prosperitátem, in pace lætítiam, in conversatióne grátiam, in tribulatióne patiéntiam, † in languóribus sanitátis eárum (ejus) medicínam; * quátenus in hoc præsénti témpore sémitam justítiæ cum felicitáte percúrrant (percúrrat), ut te ventúrum Júdicem in novíssimo die cum magna hilaritáte suscípiant (suscípiat) : † Qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

13. Post hanc Orationem, nisi ritus professionis statim sequatur, de quo, p. 352, duæ Moniales intonant Ps. 15, Consérva me, p. 255, quem ceteræ prosequuntur. Interim Magistra Novitiarum novellas Sorores ad Abbatissam aliasque Moniales conducit, ut osculum pacis ab eis accipiant. Quæ dat pacem, dicit : Dóminus det tibi pacem et perseveránti am. Novitia respondet : Amen. Ora pro me. Celebrans vero ad altare se confert, ubi, finito Psalmo et pace omnibus Novitiis data, genuflectit. Duo vero Assistentes cantant sequentes Versiculos :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Ora pro nobis, beáta Clara.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Hic Celebrans assurgit et subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére.

FAmulos tuos, quæsumus, Dómine, beátæ Vírginis tuæ Claræ votívam commemoratiónem recensántes : † cæléstium gaudiórum sua fácias interventióne partícipes, * et tui Unigéniti cohærédes : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde Assistentes in tono solemni cantant :



14. Demum Celebrans omnibus præsentibus in genua provolutis benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS IN II ORDINE

1. Absoluto integro probationis anno, Novitiæ, dignæ repertæ, rite examinatæ et probatæ, ad professionem votorum simplicium admitti debent, quam in manus Abbatissæ coram Sacerdote ad hunc actum deputato, Monialibus in choro congregatis, ante crates Ecclesiæ vel Sacelli Monasterii juxta ritum infra notatum emittent post Missam conventualem, intra quam sacram Communionem recipient.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ apponetur mensa in eaque disponentur vela nigra et coronæ Neo-professis suo tempore imponenda; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et Rituale Ordinis; ad crates vero collocabitur scabellum pro Celebrante.

3. Finita Missa, Celebrans per latus Epistolæ ad scamnum se confert, ubi depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et medius inter duos Assistentes superpelliceo indutos ad altare revertitur, factaque ei debita reverentia, pergit ad crates et in scabello ibi collocato sedet. Tunc Moniales in choro hinc inde stantes cantant Responsorium :



re pópulum tu-um, et domum patris tu- i.



* Qui- a.

4. Deinde Celebrans Novitias ante crates genuflexas interrogat :

Soróres caríssimæ (Soror caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Novitiæ in communi respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, — sanctæ Matris Claræ, et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum simplícium et temporariórum — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans ait :

Deo grátias,

et opportunum ad eas dirigit sermonem, in cujus fine Novitias denuo interrogat hoc modo :

Vultis, Soróres caríssimæ (Visne, Soror caríssima), in sanctæ virginitátis propósito perseveráre?

Novitiæ in communi respondent :

Volo.

Et Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

5. Quibus dictis, Celebrans cum Assistentibus ad altare se confert, suppedaneum conscendit, et altare osculatus ad cornu Epistolæ accedit et benedicit vela nigra atque coronas, dicens sine cantu :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Super vela

Orémus Oratio

DOmine Deus, bonárum virtútum dator, et ómnium benedictiónum largus infúsor, te obníxis précibus deprecámur : ut hæc vela (hoc velum) bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris, quæ fámulæ tuæ (quod fámula tua) pro indício cognoscéndæ religiónis indúere se volunt (vult) ; ut inter réliquas vírgines tibi cognoscántur dicátæ (cognoscátur dicáta). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus æternórum bonórum fidelíssime promíssor, et certíssime persolútor, qui vestiméntum salútis et induméntum ætérnæ jucunditátis tuis fidélibus promisísti : cleméntiam tuam supplíciter exorámus, ut hæc vela (hoc velum) humilitátem cordis et contémptum mundi significántia (significans), quibus fámulæ tuæ (quo fámula tua) sancto visibíliter sunt informándæ (est informánda) propósito, propítius bene ✠ dícas ; ut beátæ castitátis hábitum, quem, te inspiránte, suscípiunt (súscipit), te protegénte custódiant (custódiat) ; et quas (quam) venerándæ véstibus promissiónis índuis temporáliter, beáta fácias immortalitáte vestíri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Super coronas

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, ornaménta ista (ornaméntum istud) : et præsta, per invocatiónem tui Nóminis, ut quæcúmque ea portáverint (hoc portáverit), si tibi fidéliter servíerint (servíerit), corónam, quam illa designant (illud designat), in cælo percípere mereántur (mereátur) : Qui in Trinitáte perfécta vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Quibus completis, accipit de manu primi Assistentis aspersorium, et ter Novitias aspergit, terque vela et coronas, proferens sine Psalmo Antiphonam Aspérges me etc., quin hæc aut illas thurificet.

6. Benedictione velorum et coronarum peracta, Celebrans ad medium altaris cum Assistentibus redit, in planum descendit, et in infimo gradu genuflexus, intonat Hymnum :

8.



Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem Moniales, pariter genuflexæ usque ad finem, prosequuntur. Interim vela et coronæ benedictæ per rotam sacristiæ in chorum transferuntur.

Finito Hymno, duo Assistentes cantant :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero assurgens subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

SAncte Spíritus, qui te Deum ac Dóminum mortálibus revelári dignátus es : † imménsam tuæ pietátis grátiam postulámus, ut sicut ubi vis, spiras, sic his famulábus tuis (huic fámulæ tuæ) afféctum devotiónis indúlgeas; * et quóniam tua poténtia sunt cónditæ (est cóndita), tua quoque providéntia gubernéntur (gubernétur). Quas (Quam) étiam únctio tua de ómnibus pie dóceat : † et per intercessiónem beátæ Maríæ semper Vírginis, ac beáti Patris nostri Francísci, necnon Matris nostræ beátæ Claræ et ómnium Sanctórum, * fac eas (eam) a vanitáte sæculi veráciter convérti. Et sicut es ómnium peccatórum remíssio, ita depriméntia víncula in eis (ea) dissólve, et ad observántiam hujus sancti propósiti, fac eas ita certántes (eam ita certántem) fervére, † ut in tribulatiónibus, et angústiis tua indeficiénti consolatióne váleant

(váleat) respiráre; * et quod juste et pie per veram humilitátem atque obediéntiam in fratérna caritáte fundátæ (fundáta), te donánte hódie promíttunt (promíttit), felíci perseverántia cómpleant (cómpleat). Quod ipse præstáre dignéris: † Qui cum Deo Patre, sanctóque Unigénito ejus Fílio Dómino nostro Jesu Christo vivis et regnas Deus * per infiníta sæcula sæculórum. ℟. Amen.

7. Tum Celebrans denuo accedit ad crates cum Assistentibus ibique assidet. Statim prima Novitia professura genuflexa ante Abbatissam a dexteris cratum sedentem, et manibus suis inter manus ejusdem Abbatissæ positis, clara et intelligibili voce in lingua vernacula formulam professionis pronuntiat, Matre Vicaria et Magistra hinc inde adstantibus et munere testium fungentibus.

Formula professionis votorum simplicium

Ego Soror N. N., inténdens hanc professiónem fácere ad normam sacrórum Cánonum de votis simplícibus et temporáriis in Ordine nostro emitténdis, vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, beátæ Matri Claræ, ómnibus Sanctis et tibi Mater, vívere sub Régula páuperum Sorórum sanctæ Claræ, per Dóminum Papam Innocéntium (vel Urbánum) confirmáta, in obediéntia, sine próprio, in castitáte et in clausúra secúndum sacros Cánones et Constitutiónes nostras a Sede Apostólica approbátas.

Celebrans vero statim subjungit:

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Circumstantes respondent: Amen. Mox Neo-professa manum Abbatissæ deosculata assurgit et, profunda inclinatione erga Celebrantem et Abbatissam exhibita, ad suum locum recedit; dein aliæ eodem modo successive ad Abbatissam pro formula professionis enuntiandá accedunt.

8. Peracta singularum professione, prima Neo-professa iterum genuflectit ante Abbatissam, quæ ei velum nigrum imponit; et interim Celebrans dicit:

Accipe, Soror caríssima, velámen sacrum, quod pérferas sine mácula ante tribúnal ætérni Júdicis, quo

cognoscáris, te mundum contempsísse, et Christo Jesu veráciter, humilitérque toto cordis conátu te sponsam subdidísse, qui te ab omni adversitáte deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

Soror autem velata cantat vel recitat :



Deinde chorus Monialium cantat Ant. Veni Sponsa, p. 336.

Completa Antiphona, Abbatissa ponit in capite Neo-professæ coronam benedictam, dum Celebrans dicit :

Accipe, dilectíssima Fília, corónam virgínális excellentiæ, ut efficiáris sponsa Christi; et, si in eo permánseris, immortalitátis glória coronéris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Neo-professa cantat vel recitat :



Eodem modo ceteris ex ordine vela et coronæ imponuntur.

9. Postmodum Celebrans assurgit, remanens adhuc ante crates; interim decantatur Ant. Ecce quam bonum; duæ vero Moniales prosequuntur Ps. 132 a ℣. Sicut unguéntum, ceteris post singulos Versus semper repetentibus Ant. Ecce quam bonum, p. 260, absque tamen Ps. 112 Laudáte púeri.

Interim Magistra Novitiarum Neo-professas conducit ad Abbatissam ceterasque Sorores, ut pacem ab omnibus accipiant : quæ dat pacem, dicit : Dóminus det tibi pacem et perseveántiam. Novitia respondet : Amen. Ora pro me.

10. Finito Psalmo, duo Assistentes cantant sequentes Versiculos :

℣. Elégit eas (eam) Deus, et præelégit eas (eam).
℟. In tabernáculo suo habitáre facit eas (eam).
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero, consistens adhuc ante crates, subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

TE invocámus, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, super has fámulas tuas, Soróres nostras (hanc fámulam tuam, Sorórem nostram), quæ tibi vovérunt (vovit) pura mente mundóque corde servíre : † ut eas (eam) sociáre dignéris inter illas eléctas Vírgines, quæ sequúntur Agnum, quocúmque íerit, * et permanére fácias immaculátas (immaculátam) usque in finem. Per eúmdem immaculátum Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

11. Postea Celebrans cum Assistentibus ante infimum altaris gradum se confert, et intonat Hymnum :

3.

TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem Moniales alternatim prosequuntur.

12. Finito Hymno, duo Assistentes sequentes cantant Versiculos:

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. In Conceptióne tua, Virgo, immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Ora pro nobis, beáta Clara.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Celebrans vero subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut, qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére.

FAmulos tuos, quæsumus, Dómine, beátæ Vírginis tuæ Claræ votívam commemoratiónem recenséntes : † cæléstium gaudiórum sua fácias interventióne partícipes, * et tui Unigéniti cohærédes : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde Assistentes in tono solemni subdunt :

5.



B Enedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

13. Postmodum Celebrans suppedaneum conscendit, et conversus ad Neo-professas ad crates genuflexas et mediocriter inclinatas, specialem benedictionem ipsis impertit, dicens :

Bene ✠ dícat vos (te) Cónditor cæli et terræ, Deus Pater omnípotens, qui vos (te) elígere dignátus est inter Fílias sancti Patris nostri Francísci : ut íntegram et immaculátam virginitátem, quam profédssæ estis (profédssa es), coram Deo et Angelis ejus conservétis (consérves), propósitum teneátis (téneas), castitátem diligátis (díligas), pacem custodiátis (custódias), et corónam virginitátis accípere mereámini (mereáris). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Demum Celebrans omnibus præsentibus in genua provolutis benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

14. Quibus omnibus absolutis, Celebrans cum Assistentibus facta altari debita reverentia, in sacristiam regreditur.

APPENDIX I

DE VESTITIONE ET PROFESSIONE EODEM TEMPORE FACIENDIS

Si eodem tempore vestitio facienda sit atque professio, cæremoniæ hoc ordine fiunt : Candidatæ Novitias præcedunt ad altare; Celebrans primum Candidatas, dein Novitias interrogat :

Fíliæ caríssimæ (Fília caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Soróres caríssimæ (Soror caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Petitione ab his et illis prolata, p. 331 et 345, Celebrans ad omnes dirigit sermonem utrique sacræ functioni accommodatum, post quem Candidatas et Novitias simul interrogat :

Vultis, Fíliæ caríssimæ, in sanctæ virginitátis propósito perseveráre?

Et postquam simul responderunt : Volo, subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis per grátiam suam.

Quibus dictis, sacram vestitionem peragit ut supra, p. 332, n. 5-12 inclusive. Post Orationem Dómine Jesu Christe, p. 341, ad professionem excipiendam immediate procedit incipiendo ab his Versiculis :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Sequitur Oratio Sancte Spíritus, p. 347; ceteraque omnia fiunt ut supra, p. 348, a n. 7 usque ad finem.

APPENDIX II

DE RENOVATIONE VOTORUM TEMPORARIORUM

1. Si, expleto tempore votorum simplicium, vota solemnia non statim sed demum post determinatum tempus emitti possint, vota temporaria renovanda sunt hoc modo :

Sacerdos ad hunc actum deputatus post Missam conventualem vel alio opportuniori tempore, in Ecclesia vel sacristia, coram duabus testibus Professuram genuflexam ante crates interrogat :

Soror caríssima (Soróres caríssimæ), quæ est petítio tua (vestra)?

Et Professura respondet :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, sanctæ Matris Claræ, et ómnium Sanctórum, —

quátenus me ad renovatiónem votórum simplícium — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Quibus Sacerdos respondet :

Quod Deus omnípotens concédat tibi (vobis) per grátiam suam.

Deinde omnes genuflectunt et Hymnum Veni Creátor, p. 92, recitant; in fine Sacerdos dicit ℣. Emítte Spíritum cum sola Oratione Deus qui corda, p. 93.

2. Tunc Professura genuflexa ante Abbatissam, a dexteris cratum sedentem in scabello, et manus suas junctas in manibus ipsius Abbatissæ tenens, clara ac intelligibili voce pronuntiat :

Ego Soror N. N. inténdens hanc professiónem fácere ad normam sacrórum Cánonum de votis simplícibus et temporáriis in Ordine nostro emitténdis, vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, beátæ Matri Claræ, ómnibus Sanctis et tibi Mater, pro..... (hic exprimitur tempus pro quo professio emittitur) vívere sub Régula páuperum Sorórum sanctæ Claræ, per Dóminum Papam Innocéntium (vel Urbánum) confirmáta, in obediéntia, sine próprio, in castitáte, et in clausúra secúndum sacros Cánones et Constitutiónes nostras a Sede Apostólica approbátas.

Quibus finitis Sacerdos dicit :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Cum Orationibus Custódi et Omnípotens, p. 262-263.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS SOLEMNIS IN II ORDINE

1. Præmissis juxta sacros Canones et Constitutiones Ordinis præmittendis, hæc professio pro actus gravitate ordinarie intra Missarum solemnia celebretur, et majori quoque solemnitate externa fiat, quam professio votorum simplicium.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ paretur mensa, in eaque ponantur coronæ spineæ et anuli cum prominente imagine Crucifixi; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et Rituale Ordinis.

3. Hora igitur præstituta, ipse Ordinarius loci vel Superior regularis, si Monasterium ipsi subiectum est, aut alius Sacerdos ab alterutro deputatus, consuetis paramentis pro Missa solemni vel pontificali indutus, cum sacris Ministris similiter paratis ad altare procedit. Facta ibi ab omnibus debita reverentia, Celebrans cum sacris Ministris ad crates chori Monialium se confert, et in scabello sedet.

4. Tunc Moniales in utraque chori parte stantes cantant sequentem Antiphonam :

℣.



P Rudéntes Vírgines, aptá-te lámpades vestras :



ecce Sponsus ve-nit, exí-te óbvi-am e- i.

Interim vero Moniales professuræ cereos accensos tenentes, binæ et binæ, sociatæ a duabus Sororibus dignioribus intorticia accensa gestantibus, incessu gravi ex adversa chori parte ad crates se conferunt, et coram Celebrante genuflectunt.

Cantata Antiphona, Celebrans Moniales professuras interrogat :

Soróres caríssimæ (Soror caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Quæ simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, — sanctæ Matris Claræ, et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum solémnium in Ordine nostro admíttere dignéris : ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Celebrans respondet : Deo grátias et post brevem allocutionem Missam inchoat usque ad (T. P. secundum) Allelúia, Tractum vel Sequentiam exclusive.

5. Tunc denuo ad crates se confert ac, ad Professuras conversus, eas interrogat :

Vultis, Soróres caríssimæ (Visne, Soror caríssima), in sancta vocatiónis vestræ (tuæ) professióne perseveráre et Deo vos (te) solémniter consecráre?

Et illæ simul respondent :

Volo.

Tum Celebrans adhuc ibidem stans omnes ad orationem exhortatur, dicens :

ORémus, Fratres et Soróres adstántes caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, ut super has fámulas suas, Soróres nostras, quas (hanc fámulam suam, Sorórem nostram, quam) ad Ordinem Seráphicum vocáre dignátus est, benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat, eísque (eíque) sanctæ vocatiónis propítius dona consérvet et preces nostras, ómnibus Sanctis Ordinum nostrórum intercedéntibus, benígnus exáudiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Deinde Celebrans cum sacris Ministris ad altare redit et in infimo gradu genuflectit. Moniales vero professuræ candelam extinctam seponunt ac in suis locis super tapetia se prosternunt, et ceteris omnibus in genua provolutis, sacri Ministri inchoant Litanias omnium Sanctorum pro Nostratibus dispositas, p. 129. Non autem respondetur Ora pro nobis, sed Ora pro eis (ea); a Versu vero Propítius esto cantatur ut sequitur :



Propí- *ti- us* E- sto, par- ce no-bis, Dómine.
Propí- *ti- us* E- sto, ex- áu-di nos, Dómine.
Ab immun-
dítia cor- *dis et* COR poris, lí-bera e- as, [1] Dómine.
Ab o- *mni pec-* CA- to, lí-bera e- as, Dómine.
A damnatió- *ne per-* PE- tua, lí-bera e- as, Dómine.
Ab *o- mni* MA- lo, lí-bera e- as, Dómine.
Per mystéri-
um sanctæ
Incarnatió-
nis, Passió-
nis et Resur-
recti- *ó- nis* TU- æ, lí-bera e- as, Dómine.



Pec- *ca-* TO- res, te rogámus, audi nos.
Ut pacem et tran-
quillitátem e- *is* (*ei*) DO- nes, te rogámus, audi nos.
Ut has ancíllas
tuas [1] (hanc ancíl-
lam tuam) [1] in vera
castitáte et pau-
pertáte perseverá- *re* FA- ci-as, te rogámus, audi nos.
Ut eis (ei) virtú-
tem veræ obedién-
tiæ et humilitátis
donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.
Ut eas (eam) in
tuo sancto servíi-
tio perseverá- *re* FA- ci-as, te rogámus, audi nos.

[1] Pro una Moniali dicitur eam.

Ut eis (ei) augméntum Fídei, Spei et Caritátis donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre *di-* GNE- ris, te rogámus, audi nos.

Nunc ipse Celebrans cum sacris Ministris suppedaneum ascendit, et ad Professuras prostratas conversus, Subdiacono ei a sinistris librum sustinente, manibus junctis subdit :

Ut præséntes ancíllas tuas, Soróres nostras (præséntem ancíllam tuam, Sorórem nostram), bene ✠dícere *di*GNEris, et Chorus respondet : te rogámus, audi nos.

Ut præséntes ancíllas tuas, Soróres nostras (præséntem ancíllam tuam, Sorórem nostram), bene ✠dícere et sancti ✠ficáre *di*GNEris, Chorus : te rogámus, audi nos.

Sacri Ministri cum Celebrante iterum genuflectunt ac deinde prosequuntur :

Fi*li* DEi, Chorus : te rogámus, audi nos.



Agnus De- i, qui tollis peccá-ta mundi, 1. parce no-
2. ex-áudi
3. mi- se- ré-



1. bis, Dómine.
2. nos, Dómine.
3. re no- bis.



Christe, audi nos. Christe, exáudi nos. Ký-ri-e, e-lé- i-

son. Christe, e-lé- i-son. Ký-ri-e, e-lé- i-son.

7. Nunc Celebrans intonat Hymnum :

8.

V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92,

quem omnes, genuflexæ usque ad finem, prosequuntur.

Post Veni Creátor duo Assistentes cantant :

℣. Salvas fac ancíllas tuas (Salvam fac ancíllam tuam) :

℟. Deus meus sperántes (sperántem) in te.

℣. Mitte eis (ei), Dómine, auxílium de sancto.

℟. Et de Sion tuére eas (eam).

℣. Nihil proficiat inimícus in eis (ea).

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis (ei).

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Tum Celebrans cum sacris Ministris iterum suppedaneum conscendit et stans in medio, conversus ad Moniales professuras, quæ interim a prostratione se erigunt, cantat, Subdiacono ei a sinistris librum sustinente :

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus **Oratio**

EXáudi, Dómine, preces nostras, et super has fámulas tuas (hanc fámulam tuam) spíritum tuæ bene ✠-dictiónis emítte : † ut cælésti múnere ditátæ (ditáta), * et tuæ majestátis grátiam possint (possit) acquírere, et bene vivéndi áliis exémplum præbére. Per Dóminum

nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus : *

Deinde manibus ante pectus extensis prosequitur in tono Præfationis :



P ER ómni-a sæcu-la sæcu-ló-rum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu-o.



℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum.



℣. Grá-ti-as agámus Dómino De-o nostro. ℟. Di-



gnum et justum est.



Vere dignum et justum est, æquum et sa-lu-táre,



nos ti-bi semper et ubíque grá-ti-as ágere : Dómine



sancte, Pa-ter omnípotens, ætérne De-us, castórum cór-


porum benígnus habi-tátor, et incorruptárum De-us
amátor animárum : Qui humánam substánti-am, in
primis homínibus di-abó-lica fraude vi-ti- átam, i-ta
in Verbo tu-o, per quod ómni-a facta sunt, répa-
ras, ut e-am non solum ad primæ o-rí-ginis innocén-
ti-am révoces, sed é-ti-am ad expe-ri-énti-am æter-
nórum bonórum, quæ novo in sæcu-lo sunt habénda,
perdúcas, et obstrictos adhuc condi-ti-óne mortá-li-um,
jam ad simi-li-túdinem próvehas Angelórum. Réspi-
ce, Dómine, super has fámulas tu-as (hanc fámulam


tu-am), quæ in manu tu-a continénti-æ su-æ propó-
situm collocántes (propó-situm cóllocans), ti-bi devo-
ti-ónem su-am ófferunt (offert), a quo et ipsæ (-a)
vo-ta suscepérunt (vo-ta suscé-pit). Implo-ránti-
bus (Imploránti) ergo auxí-li-um tu-um, Dómine,
et confirmá-ri se benedi✠cti-ónis tu-æ consecra-
ti-óne cupi-éntibus (cupi-énti), da protecti-ónis
tu-æ munímen et régimen, ne hostis antíquus, qui
excellenti-óra stúdi-a subti-li-ó-ribus inféstat insí-
di-is, ad obscurándam perféctæ continénti-æ palmam,


per á-liquam mentis serpat incúri- am. Sit in e- is (e-a),
Dómine, per donum Spí-ri-tus tu- i prudens modé-
sti- a, sápi- ens benígni-tas, gravis léni-tas, casta libér-
tas. In ca-ri-táte férve- a(n)t, et nihil extra te dí-li-
ga(n)t. Te in sancti-táte córporis, te in ánimæ su-æ
pu-ri-tá-te glo-rí-fice(n)t. In te hábe- a(n)t ómni- a, quem
di-lige-re áppeta(nt) super ómni- a : per te, quod sunt
professúræ, custódi- ant (est professúra, custódi- at).
Scruta-tóri péctorum non córpore pla-citúræ(-a), sed men-
te, tránse- a(n)t in númerum pu-ellárum sapi- éntum,



ut cæléstem Sponsum, virtútum accénsis lampádibus,

cum ó-le-o præpara-ti-ónis exspécte(n)t, nec turbátæ(-a)



improví-so Regis advéntu, sed secúræ(-a), cum lúmi-



ne, et præcedénti-um Vírginum choro junctæ(-a), ju-

cundánter occúrra(n)t, atque in Agni tu-i perpétu-o



comi-tátu probábi-les(-lis) mansúra casti-táte permá-



ne-a(n)t. Quátenus centé-simi fructus, dono Virgini-tá-

tis decorá-ri, te donánte me-re-á(n)tur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo :

Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Post hæc Celebrans cum sacris Ministris per viam breviorem ad crates reversus sedet. Moniales vero professuræ interim can-

delas accensas recipiunt, et adhuc in loco suo genuflexæ cantant, et repetunt ter, ac toties altius :

6.

S Uscipe me, Dómine, secúndum elóqui-um tu-um



et vivam; et non confúndas me ab exspecta-ti-óne

Chorales respondent :



me-a. ℣. Suscépimus, De-us, mi-se-ricórdi-am tu-am



in médi-o templi tu-i. ℣. Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o,



et Spi-rítu-i Sancto. ℣. Sicut e-rat in princípi-o, et



nunc, et semper, et in sæcu-la sæculórum. Amen.

Et repetitur ter, ac toties altius.

9. Tunc prima Soror professura candelam suam aliæ Sorori tradit, ac genuflexa ante Abbatissam a dexteris cratum sedentem, et manibus suis inter manus ejusdem Abbatissæ positis, clara et intelligibili voce in lingua vernacula formulam professionis enuntiat, Matre Vicaria et Magistra hinc inde cum intorticiis accensis adstantibus et munere testium fungentibus.

Formula professionis votorum solemnium

Ego Soror N. N. vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, beátæ Matri Claræ, ómnibus Sanctis, et tibi Mater,

toto témpore vitæ meæ vívere sub Régula páuperum Sorórum sanctæ Claræ, per Dóminum Papam Innocéntium (vel Urbánum) confirmáta, in obediéntia, sine próprio, in castitáte, et in clausúra secúndum sacros Cánones et Constitutiónes nostras a Sede Apostólica approbátas.

Celebrans vero statim subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Circumstantes respondent : Amen. Monialis professa autem manum Abbatissæ osculata surgit et, profunda inclinatione Celebranti et Abbatissæ exhibita, ad suum locum recedit; dein aliæ eodem modo successive ad Abbatissam pro formula professionis enuntianda accedunt.

10. Peracta omnium professione, Neo-professæ ad crates genuflexæ alternatim cum ceteris Monialibus cantant vel saltem recitant sequens Responsorium :



ó- pera me- a re- gi. * Quem.

Interea Celebrans ad altare reversus suppedaneum conscendit, et post Responsorium in cornu Epistolæ benedicit anulos et coronas spineas, dicens sine cantu :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Super anulos

Orémus — Oratio

CReátor et conservátor humáni géneris, dator grátiæ spirituális, et largítor humánæ salútis : tu, Dómine, emítte bene✠dictiónem tuam super hos ánulos (hunc ánulum); ut, quæ eos gestáverint (eum gestáverit), cælésti virtúte munítæ (muníta), fidem íntegram fidelitatémque sincéram téneant (téneat) : sicut sponsæ (sponsa) Christi virginitátis propósitum custódiant (custódiat), et in castitáte perpétua persevérent (persevéret). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Super coronas spineas

Orémus — Oratio

SAncti✠fica, Dómine Jesu Christe, has corónas spíneas (hanc corónam spíneam); ut, quæ eas (eam) in memóriam Passiónis tuæ gestáverint (gestáverit), meritórum ejúsdem Passiónis partícipes (párticeps) éffici, et sic in glóriam regni cæléstis intráre mereántur (mereátur) : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Quibus Orationibus completis, aspersorium accipit et anulos atque coronas aspergit, proferens sine Psalmo Antiphonam Aspérges me etc., quin ea thurificet.

11. Benedictione anulorum et coronarum peracta, hæc in manus Abbatissæ porrigenda curantur; Celebrans autem cum Ministris ad crates revertit, et dum Abbatissa anulum digito Neo-professæ infert, ipse dicit :

Despónso te Jesu Christo, Fílio summi Patris, qui te illæsam custódiat. Accipe ergo ánulum fídei, signáculum Spíritus Sancti, ut sponsa Dei vocéris; et si ei fidéliter servíeris, in perpétuum coronéris. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde Abbatissa coronam spineam Neo-professæ imponit, et Celebrans dicit :

Accipe, Soror caríssima, corónam, quam tibi offert Sponsus tuus, Unigénitus Dei Fílius, ut Passiónis suæ in terris, et ejúsdem glóriæ párticeps éffici mereáris in cælis. ℟. Amen.

Et Neo-professa subjungit :

Ecce quod concupívi, jam vídeo; quod sperávi, jam téneo : illi sum juncta in cælis, quem in terris pósita tota devotióne diléxi.

Tunc Celebrans dicit :

Pax Dómini sit semper tecum. ℟. Amen.

Eodem modo ceteris ex ordine anulus et corona imponuntur.

12. Postquam omnes Neo-professæ anulum et coronam acceperunt, duæ Moniales in tono sexto intonant Ps. 83 Quam dilécta, quem ceteræ alternatim prosequuntur. Interim vero Magistra Novitiarum Neo-professas ad Abbatissam aliasque Moniales conducit, ut osculum pacis ab eis accipiant prout supra, p. 342 n. 13, dictum est.

Cantrices :

6. Quam di-lécta tabernácula tu-a, Dómine *vir*TU-

Chorus :



tum; * concupíscit et dé-fi-cit ánima me-a in



átri- *a* DOmini. Flexa : legislátor ; †

Cant. : Cor meum, et ca*ro* MEa * exsultavérunt in *Deum* VIvum.

Etenim passer invénit si*bi* DOmum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat *pullos* SUos.

Altária tua, Dómine *vir*TUtum : * Rex meus, et *Deus* MEus.

Beáti, qui hábitant in domo tu*a*, DOmine : * in sæcula sæculó*rum lau*DAbunt te.

Beátus vir, cujus est auxíli*um* ABS te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in lo*co, quem* POsuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor; † ibunt de virtúte in *vir*TUtem : * vidébitur Deus deó*rum in* SIon.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratió*nem* MEam : * áuribus pércipe, *Deus* JAcob.

Protéctor noster áspi*ce*, DEus : * et réspice in fáciem *Christi* TUi.

Quia mélior est dies una in átri*is* TUis, * *super* MILlia.

Elégi abjéctus esse in domo De*i* MEi : * magis quam habitáre in tabernáculis *pecca*TOrum.

Quia misericórdiam, et veritátem díli*git* DEus : * grátiam et glóriam *dabit* DOminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in in*no*CENtia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui *sperat* IN te.

Glória Patri, *et* FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, *et* SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

Post Psalmum sacri Ministri subjungunt :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

℣. Elégit eas (eam) Deus, et præelégit eas (eam).
℟. In tabernáculo suo habitáre facit eas (eam).
℣. Hæ accípient (Hæc accípiet) benedictiónem a Dómino :
℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Et Celebrans cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulæ tuæ (hæc fámula tua N.), quæ pro spe retributiónis ætérnæ tibi per vota solémnia se consecrárunt (consecrávit), plena fide animóque in sancto propósito permáneant (permáneat) : ✝ tríbue eis (ei), Dómine, humilitátem, castitátem, obediéntiam, caritátem, et ómnium bonórum óperum quantitátem, * ut ad méritum ætérnæ glóriæ possint (possit) pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

13. Quibus Orationibus finitis, Celebrans super Neo-professas specialem benedictionem dicit :

BEnedícat vos (te) Deus Pater, et Fílius, ✝ et Spíritus Sanctus omni benedictióne spirituáli; ut fidéles permanéntes (fidélis pérmanens) in professióne emíssa sub vexíllo beáti Patris nostri Francísci, requiéscat super vos (te) Spíritus septifórmis grátiæ, Spíritus sapiéntiæ et intelléctus, Spíritus consílii et fortitúdinis, Spíritus sciéntiæ et pietátis, et répleat vos (te) Spíritus timóris Dómini; frágiles (frágilem) sólidet, inválidas (inválidam) confírmet, pietáte állevet, ac mentem regat, vias dírigat, cogitatiónes sanctas instítuat, actus probet, ópera perfíciat, caritáte ædíficet, sapiéntia illúminet, castitáte múniat, sciéntia ínstruat, fide firmet, in virtúte multíplicet, in sanctitáte sublímet, ad patiéntiam præparet, ad obediéntiam subdat, et sóbrias (sóbriam) custódiat; in infirmitáte vísitet, in

dolóre rélevet, in tentatióne custódiat, in prosperitáte témperet, in iracúndia mítiget, in iniquitáte emúndet, infúndat grátiam, remíttat offénsam, tríbuat disciplínam : ut his et simílibus virtútibus fultæ (fulta), et sanctis opéribus illustrátæ (illustráta), illa semper ágere studeátis (stúdeas), quæ digna fiant remuneratióne. Illum habeátis (hábeas) testem, quem habitúræ estis (habitúra es) júdicem; et vos aptétis (te aptes), ut præfulgéntem gestétis (gestes) in manu lámpadem, intratúræ (intratúra) Sponsi thálamum, occurrátis (occúrras) ei cum gáudio, et nihil in vobis (te) repériat fœtidum, nihil sórdidum, nihil occúltum, nihil corrúptum, nihil inhonéstum, sed níveas et cándidas ánimas corpóraque lúcida atque spléndida (níveam et cándidam ánimam corpúsque lúcidum atque spléndidum); ut, cum ille dies treméndus remuneratiónis justórum, retributionísque malórum advénerit, non invéniat in vobis (te) ultrix flamma quod urat, sed divína pietas quod corónet, quas (quam) jam in hoc sæculo conversátio religiósa mundávit. Atque ipse bene ✠ dícat vos (te) de cælis, qui per Crucis passiónem humánum genus est dignátus veníre in terris redímere Jesus Christus Dóminus noster : Qui cum ætérno Patre, et Spíritu Sancto in unitáte perfécta vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

14. Post hæc Celebrans Sonores neo-professas adhuc ad crates genuflexas commendat Abatissæ similiter ibidem genuflexæ, dicens :

Súscipe, Reverénda Mater, has Sponsas (hanc Sponsam) Jesu Christi in curam et directiónem tuam, et vide, quómodo eas (eam) Deo consecrátas (consecrátam) serves et repræséntes immaculátas (immaculátam), redditúra pro eis (ea) ratiónem ante tribúnal Sponsi eárum (ejus), ventúri Júdicis!

15. Deinde Celebrans ad altare revertit, et Missam more solito prosequitur, intra quam Neo-professæ ante ceteras Moniales sacram Communionem recipiunt.

16. Finita Missa, Celebrans in planum descendit et, SS. Sacramento exposito, stans intonat Hymnum :

3.



TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem Moniales alternatim prosequuntur. Post Hymnum cantantur Versiculi Benedicámus etc. et Orationes, quæ supra habentur p. 350 et 351; atque in fine, cantato Tantum ergo, datur benedictio cum SS. Sacramento, post quam Celebrans cum Assistentibus in sacristiam revertit.

CAPUT IV

ORDO VISITATIONIS CANONICÆ IN II ORDINE

1. Die pro visitatione canonica statuta, Visitator Missam conventualem in Monasterio visitando celebret, intra quam Moniales sacram Communionem recipient, offerentes eamdem Deo pro bono visitationis successu.

2. Finita Missa, fit visitatio SS. Eucharistiæ Sacramenti, ut supra p. 296, n. 2-6.

3. Ad crates locutorii apponatur mensa, in eaque adsint exemplar Regulæ et Constitutionum istius Monasterii, Rituale Ordinis, catalogus omnium Monialium, assignato ibidem simul cujusque Monialis officio, et quæ ad scribendum necessaria sunt.

4. Hora congrua Visitator Monialibus ad crates chori opportunum facit sermonem, quo eas inter alia graviter hortatur, ut sincere, fideliter atque intimæ caritatis studio manifestare velint, quæcumque admonitione, correctione, reformatione aut provisione indigere in Domino videntur.

5. Tunc omnes Sorores ad crates locutorii singillatim, incipiendo a junioribus, ad Visitatorem accedunt, qui eas interrogat de sanctæ Regulæ et Constitutionum observantia, de cultu divino, vita communi, mutua caritate, silentio et labore, de Abbatissæ gubernio aliarumque Officialium fidelitate, prout zelus et prudentia ipsi suggerent.

6. Omnibus Sororibus auditis, Visitator cum uno saltem Assistente maturæ ætatis ad visitationem localem procedit. Moniales processionaliter se conferunt ad portam clausuræ, et quidem cum candelis accensis, si Visitator est ipse Episcopus diœcesanus vel Minister Generalis. Cum Visitator ingreditur, omnes genuflectunt, et Abbatissa ei porrigit aspersorium aquæ benedictæ, quo ille eas aspergit. Tunc religiosa Communitas Visitatorem deducit ad chorum, interim cantans Ant. O Stupor cum Cantico Benedíctus.

7. Quando vero Ordinarius loci vel ejus Delegatus pro visitatione canonica Monasterium ingreditur, loco Antiphone præfatæ cantari poterit Responsorium Ecce Sacérdos magnus (p. 117) vel Fidélis servus et prudens (p. 118).

6. c


O stupor et gáudi-um,* O judex homo mén-
ti- um,Tu nostræ mi-lí- ti-æ Currus et au- rí-ga.
Igne- a præ- séntibus Transfigu-rá-tum frátribus In
so-lá-ri spé- ci- e, Ve- xit te qua-drí-ga. In te si-
gnis rádi- ans, In te ventú-ra núnti- ans, Requi-évit
spí-ri-tus Du- plex prophe-tá-rum. Tu- is adsta pó-
ste- ris, Pa-ter Francí-sce, mí-se-ris; nam incréscunt
gémi- tus O- vi- um tu- á-rum.
Bene-díctus Dóminus De-*us* ISra-el: * qui- a vi-si-távit

Chorus

et fe-cit redempti-ónem *ple-bis* SU- æ : Et e-réxit...

Chorus : Et creéxit cornu salú*tis* NObis, * in domo David púe*ri* SUi.

Sicut locútus est per os *san*CTOrum, * qui a sæculo sunt, prophe*tárum* Ejus :

Salútem ex inimi*cis* NOstris, * et de manu ómnium *qui o*DErunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátri*bus* NOstris : * et memorári testaménti *sui* SANcti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham pa*trem* NOstrum, * datú*rum se* NObis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum li*be*RAti, * servi*ámus* ILli :

In sanctitáte et justítia co*ram* Ipso, * ómnibus di*ébus* NOstris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi *vo*CAberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre *vias* Ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis ple*bi* Ejus, * in remissiónem peccató*rum e*Orum :

Per víscera misericórdiæ De*i* NOstri : * in quibus visitávit nos, óri*ens ex* ALto :

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mor*tis* SEdent : * ad dirigéndos pedes nostros in *viam* PAcis.

Glória Patri.

Post repetitam Antiphonam, Visitator stans in medio chori cantat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : † et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, * a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas : † tríbue nobis; ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére.

FAmulos tuos, quæsumus, Dómine, beátæ Vírginis tuæ Claræ votívam commemoratiónem recensántes : † cæléstium gaudiórum sua fácias interventióne partícipes, * et tui Unigéniti cohærédes : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Post hæc Visitator cum Assistentibus, comitatus a Matre Abbatissa, Vicaria et duabus Discretis, interna Monasterii perlustrat, ceteris Monialibus interea in choro remanentibus. Et cum ex clausura iterum discessurus est, Sorores e choro ad portam advocatas et genuflexas iterum aqua benedicta aspergit. Deinde tempore opportuno ad crates in Ecclesia Monialibus capitulariter congregatis, exclusis tamen Novitiis, sermonem de exitu visitationis habebit; quæ monenda, corrigenda aut ordinanda sunt, monebit, corriget, præcipiet; et facta ab Abbatissa nomine totius Communitatis generali culparum confessione, salutares imponit pœnitentias, et data absolutione generali, p. 5, cunctis benedicit.

CAPUT V

RITUS SERVANDUS IN ELECTIONE ABBATISSÆ

1. Comitiis eligendæ Abbatissæ præsidere pertinet juxta Can. 506 § 2 ad Ordinarium loci aut ejus Delegatum, si Moniales eidem subjectæ sint; secus ad Ministrum Provincialem; sed etiam in hoc casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Ministro Provinciali per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, præesse.

2. Per integram saltem quindenam ante electionem preces capitulares (p. 303 et 304) pro felici electionis exitu in choro post Completorium vel Laudes persolvantur.

3. Die pro electione statuta Præses Capituli vel alius Sacerdos ab ipso deputatus Missam conventualem celebrabit, intra quam Moniales sacram Communionem recipient.

4. Ad crates chori apponetur mensa, in eaque adsit catalogus omnium Monialium, assignato simul cujusque Monialis officio, quæ ad scribendum necessaria sunt, Constitutiones generales II Ordinis, Rituale Ordinis et stola violacea.

5. Hora assignata, Præses cum duobus Assistentibus ad crates se confert, et omnes Moniales vocales in choro ad crates capitulariter conveniunt. Primus Assistens alta voce legit elenchum Vocalium, singulis ad nomen proprium respondentibus : Adsum. Deinde, clausis januis chori, Præses brevi sermone Vocales monet de eligenda meliori.

6. Finita exhortatione, omnes Vocales genuflexæ dicunt Confíteor, et a Præside, stola violacea induto, Absolutionem generalem (ut supra, p. 307) recipiunt. Qua impertita, Præses intonat Hymnum Veni Creátor, post quem cantat Versiculos et Orationes, (p. 308, n. 9), omisso tamen ℣. Elige David cum suo ℟. et adhibito in priori Oratione genere feminino ad verba : osténde nobis, quam elégeris etc.

7. Post hæc duo Assistentes Præsidis, coram ipso genuflexi, et ante imaginem Crucifixi, quam manu dextera tangunt, præstant singuli hoc juramentum :

Juro me munus fidéliter impletúrum, et secrétum servatúrum circa acta in comítiis, nec umquam manifestatúrum eligéntium nómina.

8. Tunc Abbatissa, coram Præside genuflexa, cum humili sui accusatione officio suo renuntiat, cui Præses opportune respondet, et ab officio eam absolvit, dicens :

Absólvo te ab Offício tuo, in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

9. Vocales tenentur ex conscientia eas Moniales ad diversa munia eligere, quas secundum Deum eligendas esse existimaverint, quin tamen jusjurandum præmittere cogantur de meliori eligenda.

10. His præmissis, proceditur ad electionem Abbatissæ. Unaquæque Vocalium scribit schedulam juxta formam sequentem :

Eligo in Abbatissam Sororem N. N.

Schedulam in quarto plicatam singulæ Præsidi tradent, incipiendo a digniore.

Si quæ Vocalium electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium ejus scriptum exquiratur a duabus aliis Vocalibus per Præsidem designatis, quibus obligatio incumbit secretum perpetuo servandi, et schedula una cum aliarum suffragiis in urnam deponatur.

11. Omnibus schedulis Præsidi traditis atque ab ipso numeratis et apertis, Præses et Assistentes singula vota accurate notant, ceteraque respective observant, quæ p. 310, n. 18 præscribuntur.

12. Electione facta, Vocalibus statim annuntiatur, et unus ex Assistentibus scribit documentum electionis juxta sequentem formulam :

In Nomine Domini. Amen.

Hæc est electio Reverendæ Matris Abbatissæ hujus Venerabilis Monasterii N. in N. per Matres Vocales ejusdem Monasterii capitulariter et legitime congregatas, canonice et rite celebrata die..... mensis.... anni.... assistente et præsidente simul in ea... hic exprimatur nomen et dignitas Præsidis.

In qua quidem electione, invocato Dei auxilio, ac præmissis aliis de jure præmittendis, de numero.... Vocalium :

Reverenda Mater N. N. habuit vota....

Reverenda Mater N. N. habuit vota....

Et cum in hac major pars Monialium eligentium consenserit, ego N. N. nomine omnium Vocalium, quæ in dictam electionem consenserunt, nomino, et eligo in Abbatissam hujus Monasterii Rev. Matrem N. N., et sic canonice electam denuntio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ita est : N. N. Disquisitor.
Ita est : N. N. Disquisitor.
Et ego N. N., electionis Præses, confirmo.

Deinde Præses superpelliceum, stolam et pluviale albi coloris assumit, ceteræ Moniales autem ad chorum convocantur. Duæ digniores Moniales neo-electam Abbatissam ad crates deducunt, ubi genuflectit. Præses autem ante infimum altaris gradum intonat Hymnum :

3.



TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quo cantato, dicuntur Versiculi Benedicámus etc. et Orationes ut supra, p 350, n. 12.

13. Dictis Orationibus, Præses ad crates revertit, et ad neo-electam Abbatissam sicut et ad religiosam Communitatem verba congratulatoria et exhortatoria dirigit. Postmodum Abbatissæ sigillum Monasterii tradit, eamque in Officio suo confirmat hoc modo :

Ego N. N. auctoritáte qua fungor te Matrem N. N. in Abbatíssam hujus Venerábilis Monastérii N. canónice eléctam confírmo, cónferens tibi omnem auctoritátem, quæ huic Offício secúndum sanctam Régulam et Constitutiónes Ordinis vestri cómpetit. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

14. Deinde neo-electa Abbatissa a duabus dignioribus Monialibus ad sedem in medio chori paratam deducitur, ubi singulæ Moniales, incipiendo a digniore, novæ Matri obedientiam præstant, genuflexæ manum ipsius osculando.

15. Obedientia ab omnibus præstita, proceditur ad electionem Matris Vicariæ et ceterarum Sororum Discretarum, quæ seorsim eligantur sub præsidentia illius Ordinarii loci vel regularis, cui fuerit Monasterium subjectum. Præses, nullam ex Monialibus pro dictis officiis proponens, uniuscujusque Vocalis votum oretenus excipit et cum Assistentibus fideliter notat. Aliqua electione canonice facta, statim eam coram omnibus Vocalibus promulgat, et ad alias procedit. Completis omnibus, universæ Communitati eas denuntiat.

16. In fine omnes electas ad fidelem sui muneris administrationem serio exhortatur atque benedictionem omnibus impertit.

TITULUS VI

RITUS PECULIARES III ORDINIS REGULARIS

CAPUT I

PRO MONASTERIIS MONIALIUM VOTORUM SOLEMNIUM CUM CLAUSURA APOSTOLICA

ARTICULUS I

RITUS VESTITIONIS

In admittendis Candidatis ad habitum in supradictis Monasteriis tertii Ordinis regularis idem ritus adhibetur, qui supra, p. 331, præscribitur, præter sequentia :

In n. 4. Candidatæ in hunc modum proferent petitionem suam :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, — Patrónæ nostræ sanctæ Elísabeth et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum tértii Ordinis Seráphici — admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

In n. 13. p. 343, loco Orationis sanctæ Claræ, cantatur Oratio sanctæ Elisabeth, nempe :

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

ARTICULUS II

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS

In Monasteriis tertii Ordinis cum Apostolica clausura Novitiæ ad professionem votorum simplicium eodem prorsus modo admittendæ sunt ac fit in secundo Ordine, p. 344 seq., exceptis sequentibus :

In n. 4. petitio Novitiarum hæc erit :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, — Patrónæ nostræ sanctæ Elísabeth et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum simplícium et temporariórum — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

In n. 6. ad orationem Sancte Spíritus, loco verborum Matris nostræ beátæ Claræ, dicitur Patrónæ nostræ beátæ Elísabeth.

In n. 7. formula professionis votorum simplicium adhibenda est hæc propria, sed pronuntiatur lingua vernacula :

Ego Soror N. N., inténdens hanc professiónem fácere ad normam sacrórum Cánonum de votis simplícibus et temporáriis in Ordine nostro emitténdis, vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, beátæ Elísabeth, ómnibus Sanctis et tibi Mater, serváre Régulam tértii Ordinis sancti Francísci, per Dóminum Papam Pium undécimum confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio, in castitáte, et in clausúra secúndum sacros Cánones et Constitutiónes nostras.

In n. 12. quartus ℣. erit : Ora pro nobis, beáta Elísabeth, et in fine, loco Orationis sanctæ Claræ, dicitur Oratio sanctæ Elisabeth : Tuórum corda, ut supra p 380.

ARTICULUS III

RITUS PROFESSIONIS SOLEMNIS

In Monasteriis tertii Ordinis cum Apostolica clausura Moniales ad professionem votorum solemnium eodem prorsus modo admittendæ sunt ac fit in secundo Ordine, p. 355 seq., exceptis sequentibus :

In n. 4. Moniales professuræ ad petitionem Celebrantis sic respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci, — Patrónæ nostræ sanctæ Elísabeth et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum solémnium — in Ordine nostro admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

In n. 9. pro formula professionis votorum solemnium adhibenda est hæc propria, quæ pronuntiatur lingua vernacula :

Ego Soror N. N. vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, beátæ Elísabeth, ómnibus Sanctis, et tibi Mater, toto témpore vitæ meæ serváre Régulam tértii Ordinis sancti Francísci, per Dóminum Papam Pium undécimum confirmátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio, in castitáte, et in clausúra secúndum sacros Cánones et Constitutiónes nostras.

In n. 16. loco quartæ Orationis dicitur Oratio S. Elisabeth : Tuórum corda, ut supra p. 380.

CAPUT II

PRO INSTITUTIS VOTORUM SIMPLICIUM

SECTIO I

PRO CONGREGATIONIBUS VIRORUM

I. — Ritus vestitionis

Ritus in admittendis Candidatis ad habitum idem est ac supra Tit. IV, cap. III, p. 249 descriptus, hisce solummodo mutatis :

In n. 4. interrogationi Celebrantis Candidati respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci — et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum tértii Ordinis sancti Francísci — admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

In n. 8. omittuntur, quæ ad caputium spectant, et loco Breviarii Romano-Seraphici porrigitur Officium parvum beatæ Mariæ Virginis hisce verbis :

Accipe hoc Psaltérii genus, seu Horárias preces in signum devotiónis et contemplatiónis, ut discas terréna despícere et contemplári cæléstia. ℟. Amen.

II. — Ritus professionis temporariæ et perpetuæ

Novitii ad professionem admittuntur sicut supra Titulo IV, capite IV, p. 258, describitur. Sed in n. 3. post sermonem, Celebrans Novitios sic interrogat :

Vultis, Fratres caríssimi (Visne, Frater caríssime) in sanctæ vocatiónis vestræ (tuæ) propósito perseveráre, et firma voluntáte serváre vota obediéntiæ, paupertátis et castitátis?

In n. 5. formulæ professionis hæc substituitur :

Ego Frater N. N. vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Fran-

císco, ómnibus Sanctis et tibi Pater, ad annum (vel triénnium vel in perpétuum) serváre Régulam tértii Ordinis sancti Francísci, per Dóminum Papam Pium undécimum approbátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio et in castitáte secúndum Constitutiónes Institúti nostri.

SECTIO II

PRO CONGREGATIONIBUS SORORUM

I. — Ritus vestitionis

1. Candidatæ, debite instructæ et præparatæ atque ad Novitiatum peragendum a suis Superioribus admissæ, habitu religionis in Ecclesia vel Sacello ritu solemni induuntur post Missam, intra quam Candidatæ, more sponsarum decenter ornatæ, sacram Communionem primæ omnium recipient.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ apponetur mensa in eaque disponentur habitus, cingula, vela alba, coronæ septem Gaudiorum B. M. V., Officium parvum ejusdem B. M. V., s. Regula et candelæ Candidatis suo tempore porrigenda; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio et Rituale Ordinis. Ad partem Evangelii collocabitur scabellum pro Celebrante. In medio presbyterii statuentur genuflexoria pro Candidatis.

3. Finita Missa, Celebrans per latus Epistolæ ad scamnum se confert, ubi depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et medius inter duos Assistentes superpelliceo indutos ad altare reversus, suppedaneum conscendit, altare osculatur et in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedens, Candidatas in medio presbyterii genuflexas primum interrogat :

Filiæ caríssimæ, quæ est petítio vestra? (Fília caríssima, quæ est petítio tua?)

et Candidatæ simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum tértii Ordinis sancti Francísci — in Congregatióne N. N. admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans ait :

Deo grátias,

et opportunum habebit sermonem in cujus fine Candidatas denuo interrogat hoc modo :

Vultis (Visne) in sanctæ virginitátis propósito perseveráre?

Candidatæ simul respondent :

Volo.

Et Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

4. Tunc iterum ad altare conversus profert in cantu :

℣. Salvas (Salvam) fac ancíllas tuas (ancíllam tuam) :
℟. Deus meus sperántes (sperántem) in te.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnipotens sempitérne Deus, qui per mortem unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum restauráre misericórditer dignátus es, ut a morte perpétua nos liberáres, et ad gáudia perdúceres Paradísi : † réspice, quæsumus, pietátis tuæ óculo devótam hanc famíliam tuam, hic hódie in tuo nómine congregátam, * cujus fámulus tuus beátus Francíscus, ut tibi augeátur credéntium número, éxstitit institútor. Illam super firmam petram, quæ Christus est, confirma; † ut ab ómnibus turbatiónibus mundi, carnis et diáboli sit secúra : * et incédens per tuórum sémitam mandatórum, méritis acerbíssimæ Fílii tui Passiónis, et immaculátæ Matris ejus semper Vírginis Maríæ, ac beáti Patris nostri Francísci, omniúmque Sanctórum, gáudia ætérna possídeat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Post hæc medius inter duos Assistentes ad cornu Epistolæ se confert, et benedicit vestimenta, dicens sine cantu :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Super vestimenta

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere et in præsépio pannis involvi dignátus es, quique glorióso Confessóri tuo beáto Patri nostro Francísco tres Ordines institúere salúbriter inspirásti, ac eósdem per summos Ecclésiæ Pontífices, tui Vicários, approbáre fecísti : imménsam tuæ cleméntiæ largitátem supplíciter exorámus; ut hæc induménta, quæ idem beátus Francíscus ad innocéntiæ et mortificatiónis indícium, ac pro válida contra sæculum, carnem et dæmonem armatúra commilitónes suos in Tértio Ordine portáre constítuit, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris, ut fámulæ tuæ (fámula tua) ea devóte suscipiéntes (suscípiens), te ita índuant (índuat), ut in spíritu humilitátis viam mandatórum tuórum ad mortem usque fidéliter percúrrant (percúrrat) : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Super chordas seu cingula

Orémus — Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngula ista (cíngulum istud), et præsta; ut fámulæ tuæ (fámula tua), quæ hoc pœniténtiæ ligámine præcingúntur (præcíngitur), vinculórum ejúsdem Dómini

nostri Jesu Christi perpétuo mémores exsístant (memor exsístat), tuísque semper obséquiis alligátas se esse cognóscant (alligátam se esse cognóscat). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Super vela

Orémus Oratio

CAput ómnium fidélium, Deus, et totíus córporis Salvátor, hæc operiménta veláminum, quæ fámulæ tuæ (hoc operiméntum veláminis, quod fámula tua) propter tuum tuæque Genitrícis beatíssimæ Vírginis Maríæ amórem suis capítibus sunt impositúræ (suo cápiti est impositúra), déxtera tua sancti ✠ fica : et hoc, quod per illud mýstice datur intélligi, tua semper custódia, córpore páriter et ánimo incontamináto custódiant (custódiat); ut quando ad perpétuam Sanctórum renumeratiónem vénerint (vénerit), cum prudéntibus et ipsæ (ipsa) Vírgínibus præparátæ (præparáta), te perducénte, ad sempitérnæ felicitátis núptias introíre mereántur (mereátur) : Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Quibus completis, Celebrans aspersorium accipit de manu primi Assistentis, et ter Candidatas aspergit, terque vestimenta, proferens sine Psalmo Antiphonam : Aspérges me, etc.

6. Benedictione vestimentorum peracta, ad medium altaris cum Assistentibus redit, et in supremo gradu genuflexus intonat Hymnum :



V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

quem Sorores, pariter genuflexæ usque ad finem, prosequuntur.

Finito Hymno, duo Assistentes subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens in suppedaneo cantat Orationem :

Orémus — Oratio

DEus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihílque boni perfícitur : adsint nostris humíllimis précibus tuæ pietátis aures : † et fámulas tuas, quibus (fámulam tuam, cui) in tuo sancto nómine hábitum nostræ Religiónis impónimus, a mundi impedimento, vel sæculári desidério defénde; * et concéde eis (ei), ut in hoc sancto propósito devótæ (devóta) persístere, et remissióne peccatórum percépta, ad electórum tuórum váleant (váleat) pervenire consórtium. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Deinde duce Superiorissa et Magistra Novitiarum, prima Candidata ad infimum altaris gradum venit et genuflectit. Tunc Celebrans ad Candidatam conversus, dum Superiorissa et Magistra Novitiarum coronam et velum sæculare Candidatæ tollunt, dicit :

Ad depositionem vestis sæcularis

Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis.

Et Candidata respondet : ℟. Amen.

Celebrans a primo Assistente forfices accipiens capillos Candidatæ in quatuor locis incidit, interim proferens :

Ad tonsionem comæ

Dóminus pars hæreditátis meæ, | et cálicis mei; | tu es, qui restítues | hæreditátem meam mihi.

Quæ verba a Candidata repetuntur. Postea Celebrans junctis manibus dicit :

Orémus — Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut hæc fámula tua N., cujus hódie cápitis comam incídimus, in tua dilectióne perpétuo máneat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum Superiorissæ Novitiam benedictis vestibus induunt, Celebrans vero sedens, ad singulos vestitionis actus respectivas dicit invocationes hoc ordine :

Ad Habitum

Induat te Dóminus novam creatúram, quæ secúndum Deum creáta est, in justítia et sanctitáte veritátis. ℟. Amen.

Ad Chordam

Præcíngat te Dóminus cíngulo puritátis, et exstínguat in lumbis tuis humórem libídinis, ut máneat in te virtus continéntiæ et castitátis. ℟. Amen.

Ad Scapulare

Dómine Jesu Christe, qui dixísti : Jugum meum suáve est, et onus meum leve; præsta, quæsumus, ut hæc fámula tua N. sic istud deportáre váleat, ut possit cónsequi tuam grátiam in præsénti, et glóriam in futúro. ℟. Amen.

Ad Velum

Opériat crinem tuum modéstia, sobríetas, et continéntia : ut virtútum accíncta comitátu, purpúreo Domínici Sánguinis redémpta velámine, mortificatiónem Dómini nostri Jesu Christi tua in carne circúmferas. ℟. Amen.

Ad Rosarium

Accipe, Soror caríssima, Corónam beátæ Maríæ Vírginis in memóriam septem Gaudiórum suórum contéxtam. ℟. Amen.

Ad Officium parvum B. M. V.

Accipe hoc Psaltérii genus, seu Horárias preces in signum devotiónis et contemplatiónis, ut discas terréna despícere et contemplári cæléstia. ℟. Amen.

Ad Regulam

Accipe Régulam istam, quam tibi servándam trádimus. ℟. Amen.

Ad Candelam accensam

Sit lucérna ardens in mánibus tuis, ut cum vénerit Divínus Sponsus, exíre possis óbviam ei, et intráre cum eo ad núptias. ℟. Amen.

Redditis in manus Superiorissæ Officio parvo, Regula et Candela, Celebrans Novitiæ porrigit Crucem, dicens :

Ad Crucifixum

Accipe Crucem Dómini nostri Jesu Christi : in qua est salus, vita et resurréctio nostra. ℟. Amen.

Novitia, manum Celebrantis et Crucem osculata, subjungit :

Mihi absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

Et omnes circumstantes respondent : Amen.

Post hæc Celebrans Novitiæ Religionis nomen imponens, dicit :

Filia, in pósterum non vocáberis N., sed Soror N.

8. Prima Novitia sic vestita, aliæ Candidatæ eodem ritu vestibus religiosis induuntur; et omnium vestitione peracta, Celebrans cantat : ℣. Salvas fac ancíllas tuas, cum sequentibus Versiculis et Oratione ut supra, p. 341.

9. Post hanc Orationem, nisi ritus professionis statim sequatur, de quo infra, p. 391, Celebrans in planum descendit, et Sorores alternis choris cantant Ps. 15, Conserva me, p. 255. Interim Magistra Novitiarum novellas Sorores ad Superiorissam aliasque Sorores conducit, ut osculum pacis ab omnibus recipiant. Quæ dat pacem, dicit : Dóminus det tibi pacem et perseveántiam. Quæ eam accipit, respondet : Amen. Ora pro me.

Finito Psalmo et pace omnibus Novitiis data, Celebrans in infimo gradu genuflectit et cantat Versiculos et Orationes, p. 342, excepto quod loco Versiculi Ora pro nobis, beáta Clara, dicitur Ora pro nobis, beáta Elísabeth, et loco quartæ Orationis dicitur sequens :

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera

mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde Assistentes in tono solemni cantant :



10. Demum Celebrans omnibus præsentibus in genua provolutis benedicit, proferens alta voce :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descendat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

II. Ritus professionis temporariæ

1. Absoluto integro probationis tempore, Novitiæ dignæ repertæ, rite examinatæ et approbatæ, ad professionem votorum simplicium admitti debent, quam coram Sacerdote ad hunc actum legitime deputato, in Ecclesia vel Sacello, Sororibus congregatis, ad annum vel triennium juxta cujusque Congregationis Constitutiones ritu infra descripto post Missam emittent, intra quam sacram Communionem recipient.

2. Prope altare ad cornu Epistolæ apponetur mensa, in eaque disponentur vela nigra et coronæ Neo-professis suo tempore imponenda; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et Rituale Ordinis; a parte Evangelii vero in promptu sit scabellum pro Celebrante; in medio presbyterii genuflexoria pro Novitiis professuris.

3. Finita Missa, Celebrans per latus Epistolæ ad scamnum se confert, ubi depositis casula et manipulo, pluviale coloris Officio diei congruentis assumit, et medius inter duos Assistentes superpelliceo indutos ad altare reversus, suppedaneum ascendit et in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedet. Interim Sorores in choro cantant Responsorium : Veni elécta, p. 344.

4. Post Responsorium Celebrans Novitias, in medio presbyterii genuflexas et Crucem in manibus tenentes, interrogat :

Soróres caríssimæ (Soror caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Novitiæ in communi respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad professiónem votórum simplícium et temporariórum — in Congregatióne nostra admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans ait :

Deo grátias,

et opportunum habebit sermonem, in cujus fine Novitias denuo interrogat hoc modo :

Vultis, Soróres caríssimæ (Visne, Soror caríssima), in sanctæ virginitátis propósito perseveráre, et firma voluntáte serváre vota obediéntiæ, paupertátis et castitátis?

Novitiæ in communi respondent :

Volo.

Et Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

5. Quibus dictis, Celebrans cum Assistentibus ad cornu Epistolæ se confert, et benedicit vela nigra atque coronas, sine cantu, ut supra, p. 345, n. 5.

6. Benedictione velorum et coronarum peracta, Celebrans ad medium altaris cum Assistentibus redit, et in supremo gradu genuflexus intonat Hymnum :

8.



V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

quem Sorores, pariter genuflexæ usque ad finem, prosequuntur. Finito Hymno, Celebrans subjungit Versiculos et Orationem ut supra, p. 347, n. 6, omissis tamen in Oratione verbis : Matris nostræ beátæ Claræ, cujus loco dicit : Patrónæ nostræ beátæ Elísabeth.

7. Tunc Celebrans iterum sedet, statimque prima Novitia professura media inter Superiorissam et Magistram Novitiarum intorticia accensa gestantes ad altare accedit et in infimo gradu genuflexa, clara et intelligibili voce, in lingua vernacula formulam professionis enuntiat, Superiorissis hinc inde stantibus ac testium munere fungentibus.

Formula professionis

Ego Soror N. N. vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Mater, ad annum (vel triénnium) serváre Régulam tértii Ordinis sancti Francísci per Dóminum Papam Pium undécimum approbátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio, et in castitáte secúndum Constitutiónes Congregatiónis nostræ.

Et Celebrans subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Circumstantes respondent : Amen.

Mox Neo-professa, manum Celebrantis osculata, assurgit et debitis cum reverentiis erga eumdem et altare ad suum locum recedit; dein aliæ eodem modo successive ad Celebrantem pro formula professionis enuntianda accedunt.

8. Peracta singularum professione, Sorores in choro cantant Ant. Veni Sponsa, p. 336.

Qua finita, prima Neo-professa iterum ad altare accedens in infimo gradu ante Celebrantem genuflectit; Superiorissæ vero, traditis interim in manus alterius Sororis intorticiis, imponunt ei velum nigrum, et interim Celebrans dicit :

Accipe, Soror caríssima, velámen sacrum, quod pérferas sine mácula ante tribúnal ætérni Júdicis : quo cognoscáris, te mundum contempsísse, et Christo Jesu veráciter, humilitérque toto cordis conátu te sponsam subdidísse, qui te ab omni adversitáte deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

Soror autem velata cantat vel recitat Ant. Pósuit Christus, p. 349 :

Pósuit Christus signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amatórem admíttam.

Deinde Celebrans Neo-professæ, in ora suppedanei genuflexæ, imponit coronam benedictam, dicens :

Accipe corónam virginális excelléntiæ, ut sicut per manus nostras coronáris in terris, ita a Christo glória et honóre coronári mereáris in cælis. Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Neo-professa vero cantat vel dicit Ant. Induit me, p. 349 :

Induit me Dóminus cýclade auro texta, et imménsis monílibus ornávit me.

Eodem modo ceteris ex ordine vela et coronæ imponuntur.

9. Postmodum Celebrans assurgit, et consistens in suppedaneo medius inter duos Assistentes ad altare se convertit, Sorores vero in choro cantant Ant. Ecce quam bonum, cum Psalmo relativo et quidem ita ut post unumquemque Versum semper repetatur Ant. Ecce quam bonum, p. 260. Interim Neo-professæ pacem ab omnibus Sororibus accipiunt eodem plane modo ac supra, p. 390, n. 9.

10. Finito Psalmo, Celebrans ad altare conversus et in suppedaneo stans cantat Versiculos et Orationem ut supra, p. 350, n. 10.

11. Postea Celebrans cum Assistentibus ante infimum altaris gradum descendit, ibique intonat Hymnum :

3.



TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem Sorores alternatim prosequuntur.

12. Finito Hymno, cantantur Versiculi et Orationes ut supra, p. 350, n. 12, exceptis Versiculo et Oratione sanctæ Claræ, quorum loco dicuntur Versiculus et Oratio sanctæ Elisabeth :

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera

mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : ✝ Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde sequitur ℣. Dóminus vobíscum et Benedicámus Dómino, ut p. 352.

Tandem Celebrans suppedaneum conscendit, et primum Sororibus neo-professis impertit specialem benedictionem : Benedícat vos Cónditor, p. 352, deinde omnibus præsentibus benedicit, proferens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✝ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

13. Si eodem tempore vestitio facienda sit atque professio, eædem cæremoniæ, mutatis mutandis, servantur ac supra, p. 352.

14. Pro renovatione professionis temporaneæ, quæ juxta Constitutiones cujusque Congregationis elapso votorum termino sine interposita mora publice peragi debet, idem ritus ac in prima votorum emissione adhibetur, omissis tamen benedictione ac impositione veli et coronæ.

III. — Ritus professionis perpetuæ

1. Prope altare ad cornu Epistolæ parabitur mensa, in eaque ponentur coronæ spineæ et anuli cum prominente imagine Crucifixi; item vas aquæ benedictæ cum aspersorio, et Rituale Ordinis. Ad partem Evangelii collocabitur scabellum pro Celebrante, et in medio presbyterii statuentur genuflexoria pro Sororibus professuris.

2. Hora congrua Minister Provincialis, vel alius Pater ab ipso deputatus, consuetis paramentis pro Missa solemni indutus cum sacris Ministris similiter paratis ad altare procedit. Facta ibi ab omnibus debita reverentia, Celebrans in scabello parum ad latus Evangelii collocato sedet.

3. Tunc Sorores in choro cantant Ant. Prudéntes Vírgines, p. 355.

Incepto cantu, Sorores professuræ, cereos accensos tenentes, binæ et binæ, sociatæ a duabus dignioribus Sororibus intorticia

accensa gestantibus, incessu gravi a porta Ecclesiæ ad presbyterium se conferunt, factaque ibi altari et Celebranti reverentia, ad genuflexoria sua in genua procumbunt.

4. Post Antiphonam Celebrans Sorores professuras interrogat :

Soróres caríssimæ (Soror caríssima), quæ est petítio vestra (tua)?

Quæ simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad vota perpétua — in Congregatióne nostra emitténda admíttere dignéris : — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Prolata petitione, Celebrans respondet :

Deo grátias,

ac brevem dirigit sermonem ad Sorores professuras et ad circumstantes.

5. Exhortatione finita, Celebrans cum sacris Ministris in infimo altaris gradu genuflexus intonat Hymnum :

V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

quem Sorores, in suis locis pariter genuflexæ usque ad finem, prosequuntur. Postmodum sacri Ministri vel duo Cantores subjungunt :

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Et Celebrans solus assurgens cantat Orationem :

Orémus Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : ✝ da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Deinde Celebrans Missam inchoat et prosequitur usque ad (T. P. secundum) Allelúja, Tractum vel Sequentiam.

Quo finito, ad medium altaris se confert, ibique stans ad Sorores professuras conversus, iterum eas interrogat :

Vultis, Soróres caríssimæ (Visne, Soror caríssima), in sancta vocatiónis vestræ (tuæ) professióne perseveráre, et Dómino Jesu Christo, Summi Dei Fílio, perpétuo desponsári?

Sorores simul respondent :

Volo, et toto corde desídero.

Celebrans : Vultis (Visne) toto témpore vitæ vestræ (tuæ) serváre vota obediéntiæ, paupertátis et castitátis juxta Institúti vestri (tui) Constitutiónes?

Sorores : Volo, adjuvánte Dei grátia.

Celebrans : Vultis (Visne) perpétuo Christum sequi crucifixum, imitándo ejus puríssimam Matrem, et Seráphicum Patrem Francíscum, sollícite vos impendéntes (te impéndens) pro Ecclésia et animárum salúte?

Sorores : Volo, adjuvánte Dei grátia.

Tunc Celebrans subjungit :

Quod Deus omnípotens concédat vobis (tibi) per grátiam suam.

Deinde ibidem stans dicit sine cantu :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus misericórdiæ, Deus pietátis, Deus a quo bona cuncta procédunt, sine quo nihil sanctum inchoátur, nihílque perfícitur : précibus nostris benígnus assíste; tuæ pietátis óculos ad nos converténdo, et has fámulas tuas (hanc fámulam tuam) ab ómnibus periculis mentis et córporis tua protectióne defénde; et concéde eis (ei) in sancto propósito, ac regulári observántia, quam assumpsérunt (assúmpsit), devóte persístere, et ad finem usque

perseveráre; ut peccatórum suórum remissióne percépta, ad consórtium Electórum tuórum perénniter regnatúræ (regnatúra) tandem pertíngere mereántur (mereátur). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Post hæc prima Soror professionem emissura, reddita in manus alterius Sororis candela, a duabus Sororibus dignioribus intorticia gestantibus ad altare deducitur, atque in infimo gradu genuflexa, clara et intelligibili voce, formulam professionis enuntiat lingua vernacula, Superiorissa generali, vel ipsius Delegata et Superiorissa locali hinc inde stantibus ac testium munere fungentibus.

Formula professionis perpetuæ

Ego Soror N. N. vóveo et promítto Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Patri nostro Francísco, ómnibus Sanctis et tibi Mater, toto témpore vitæ meæ serváre Régulam tértii Ordinis sancti Francísci, per Dóminum Papam Pium undécimum approbátam, vivéndo in obediéntia, sine próprio et in castitáte secúndum Constitutiónes Congregatiónis nostræ.

Et Celebrans adhuc sedens subjungit :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Circumstantes respondent : Amen.

Soror professa autem, manum Celebrantis osculata, surgit et debitis cum reverentiis erga eumdem et altare ad locum suum recedit. Interim alia accedens eodem modo professionem suam enuntiat, et post eam ceteræ successive.

8. Peracta omnium professione, Sorores in choro cantant Resp. Regnum mundi, p. 366. Interea Celebrans cum sacris Ministris ad cornu Epistolæ se confert, et post Responsorium benedicit anulos et coronas ut supra, p. 367.

9. Benedictione peracta, Celebrans ad medium altaris redit, et ad primam Neo-professam in infimo gradu genuflexam se convertit, et dum Superiorissa huic anulum digito infert, dicit :

Accipe, Soror caríssima, ánulum fídei, signáculum Spíritus Sancti, ut sponsa Dei vocéris; et si ei fidéliter

servíeris, in perpétuum coronéris. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Deinde Celebrans coronam spineam Neo-professæ in ora suppedanei genuflexæ imponit, dicens :

Accipe, Soror caríssima, corónam, quam tibi offert Sponsus tuus, unigénitus Dei Fílius; ut Passiónis suæ in terris, et ejúsdem glóriæ párticeps éffici mereáris in cælis. ℟. Amen.

Et Neo-professa subjungit :

Ecce quod concupívi, jam vídeo; quod sperávi, jam téneo : illi sum juncta in cælis, quem in terris pósita, tota devotióne diléxi.

Tum Celebrans dicit :

Pax Dómini sit semper tecum. ℟. Amen.

Eodem modo ceteris ex ordine anulus et corona imponuntur.

10. Postquam omnes Neo-professæ anulum et coronam acceperunt, Sorores intonant Ps. Quam dilécta, p. 368, quem ceteræ alternatim prosequuntur. Interim vero una ex dignioribus Sororibus Neo-professas ad Superiorissam aliasque Sorores conducit, ut osculum pacis ab eis accipiant prout supra, p. 390, n. 9 dictum est.

Post Psalmum sacri Ministri subjungunt :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Elégit eas (eam) Deus, et præelégit eas (eam).
℟. In tabernáculo suo habitáre facit eas (eam).
℣. Hæ accípient (Hæc accípiet) benedictiónem a Dómino :
℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Et Celebrans cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulæ tuæ (hæc fámula tua N.), quæ pro spe retributiónis ætérnæ tibi per vota perpétua se consecrárunt (consecrávit), plena fide animóque in sancto propósito permáneant (permáneat) : † tríbue eis (ei), Dómine, humilitátem, castitátem, obediéntiam, caritátem, et ómnium bonórum óperum quantitátem, * ut ad méritum ætérnæ glóriæ possint (possit) pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratione finita, Celebrans denuo ad Neo-professas conversus, super eas dicit specialem benedictionem : Benedícat vos, p. 370.

11. Deinde Celebrans prosequitur Missam, intra quam Neo-professæ ante ceteras Sorores sacram Communionem recipiunt.

12. Finita Missa, Celebrans in planum descendit et, SS. Sacramento exposito, stans intonat Hymnum :

3.

TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

quem Sorores alternatim prosequuntur. Post Hymnum cantantur Versiculi Benedicámus, etc. et Orationes, p. 350 et 351, omissis Versiculo et Oratione sanctæ Claræ, quorum loco dicuntur Versiculus et Oratio sanctæ Elisabeth :

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde sequitur ℣. Dóminus vobíscum, et Benedicámus Dómino, ut p. 352.

Tandem cantato Tantum ergo, datur benedictio cum SS. Sacramento, post quam Celebrans cum Assistentibus in sacristiam revertit.

TITULUS VII

RITUS PECULIARES III ORDINIS SÆCULARIS

CAPUT I

PRECES PRO CONGREGATIONE QUOVIS MENSE CELEBRANDA

I. — Initio Congregationis

1. Initio Congregationis omnes simul recitant, Sacerdote incipiente :

Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde.

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris : sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Réspice, beáte Pater Francísce, de excélso cælórum habitáculo, et deprecáre pro pópulo tuo, pópulo quem elegísti, ut sérviat coram te omni témpore in ministério Dómini.

Sacerdos dicit sequentes invocationes, quibus ceteri simul respondent :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra : ut vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Pro Congregatione solemni et Visitatione loco Veni, Sancte Spíritus cantatur Hymnus Veni, Creátor.

8.



VEni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere,* et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

II. — In fine Congregationis

In fine Sacerdos dicit invocationes sequentes, quibus ceteri simul respondent :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ : ut quæ, te auctóre, faciénda cognóvimus, te adjuvánte, implére valeámus.

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris.

℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. Amen.

Antiph. Si iniquitátes, etc.

Psalm. 129 De profúndis, etc., p. 45.

℣. A porta ínferi :

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor; quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ Congregatiónis Fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

CAPUT II

RITUS VESTITIONIS IN III ORD. SÆC.

1. Incepta Congregatione, Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, in suppedaneo altaris stans aut sedens, Postulantes genuflexos interrogat :

Quæ est petítio vestra (tua)?

Omnes simul respondent :

Reverénde Pater, — ego humíliter póstulo hábitum Tértii Ordinis de Pœniténtia, — ut cum eo salútem ætérnam facílius cónsequi váleam.

Tunc Sacerdos ait : Deo grátias, et brevissimam addit exhortationem, laudans tale propositum, quod ostensa excellentia et efficacitate Tertii Ordinis confirmat; deinde ad altare convertitur, et indumenta benedicens ait :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per mortem unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, mundum restauráre misericórditer dignátus es, ut a morte perpétua nos liberáres, et ad gáudia perdúceres Paradísi : réspice, quæsumus, pietátis tuæ óculo devótam hanc famíliam tuam, hic hódie in tuo nómine congregátam, cujus fámulus tuus beátus Francíscus, ut tibi augeátur credéntium número, éxstitit institútor. Illam super firmam petram, quæ Christus est, confírma, ut ab ómnibus turbatiónibus mundi, carnis et diáboli sit secúra : et incédens per tuórum sémitam mandatórum, méritis acerbíssimæ Fílii tui Passiónis, et immaculátæ Matris ejus semper Vírginis Maríæ, ac beáti Patris nostri Francísci,

omniúmque Sanctórum, gáudia ætérna possídeat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere, et in præsépio pannis involvi dignátus es, quique glorióso Confessóri tuo beáto Patri nostro Francísco tres Ordines institúere salúbriter inspirásti, ac eósdem per summos Ecclésiæ Pontífices, tui Vicários, approbáre fecísti : imménsam tuæ cleméntiæ largitátem suppliciter exorámus; ut hæc induménta, quæ idem beátus Francíscus ad pœniténtiæ indícium, ac pro válida contra sæculum, carnem et dæmonem armatúra, commilitónes suos Fratres de Pœniténtia in Tértio Ordine portáre constítuit, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris, ut fámuli tui (fámulæ tuæ), ea devóte suscipiéntes, te ita induant, ut in spíritu humilitátis viam mandatórum tuórum ad mortem usque fidéliter percúrrant : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Si qui induendus est solus fuerit, pronuntiabit in singulari quæ in plurali posita sunt.

Pro benedictione cinguli seu chordæ dicet :

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngulum istud, et præsta; ut fámuli tui, qui (fámulæ tuæ, quæ) hoc pœniténtiæ ligámine præcingúntur, vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuo mémores exsístant, tuísque semper obséquiis alligátos (alligátas) se esse cognóscant. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Tunc habitum et cingulum aspergit aqua benedicta, nihil dicens. Postea in altaris infimo gradu, vel in suppedaneo genuflectens, incipit Hymnum Veni, Creátor, p. 92, quem cum adstantibus alternatim recitat, aut canit usque ad finem; et Hymno absoluto, ad Postulantem coram altari genuflexum conversus, dicit :

Exuat te Dóminus véterem hóminem cum áctibus suis, et cor tuum avértat a sæculi pompis, quibus abrenuntiásti, dum Baptísmum suscepísti. ℟. Amen.

Tunc imponens habitum seu scapulare, dicit :

Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis. ℟. Amen.

Deinde cingulum porrigens dicit :

Præcíngat te Dóminus cíngulo puritátis, et exstínguat in lumbis tuis humórem libídinis, ut máneat in te virtus continéntiæ et castitátis. ℟. Amen.

Demum candela seu cereus accensus porrigitur, his verbis :

Accipe, Frater caríssime (Soror caríssima), lumen Christi, in signum immortalitátis tuæ. ℟. Amen.

3. Quibus finitis Cantores, vel in eorum defectu, Sacerdos cum Assistentibus cantant Ps. 116 Laudáte Dóminum cum ℣℣. sequentibus :



Quóniam confirmáta est super nos miseriCORdia Ejus, * et véritas Dómini manet *in æ*TERnum.

Glória PAtri, et FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et NUNC, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvos fac servos tuos (Salvas fac fámulas tuas) :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos (eas).
℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Sacerdos vero dicit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus misericórdiæ, Deus pietátis, Deus a quo bona cuncta procédunt, sine quo nihil sanctum inchoátur, nihílque perfícitur : † précibus nostris benígnus assíste; et fámulos tuos (fámulas tuas), quibus in tuo sancto nómine sacrum pœniténtiæ hábitum imposúimus, ab ómnibus periculis mentis et córporis tua protectióne defénde, * et concéde eis in sancto propósito ad finem usque perseveráre, ut peccatórum suórum remissióne percépta, ad consórtium electórum tuórum pervenire mereántur.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem, dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui mira Crucis mystéria in beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti : † da his fámulis tuis devotiónis suæ semper exémpla sectári, * et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri.

Pro Fratre

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : † ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, * Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Pro Sorore

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Hisce peractis, Sacerdos dicit :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Cantores vero subdunt :

5.

Et conversus ad circumstantes, Sacerdos omnibus benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

5. Peracta cæremonia, Novitiorum (vel Novitiarum) nomen et cognomen, patria et domicilium cum die vestitionis in Registro inseruntur, hoc modo :

Anno Domini...., mense..., die..., in Ecclesia N., (vel Oratorio, vel in loco decenti domus N.), præsente Fratrum (vel Sororum) Congregatione :

Infrascriptus ego N. Director (vel Sacerdos facultate munitus, aut Visitator, aut Guardianus) habitum Tertii Ordinis Pœnitentium S. Francisci imposui N. N. (vel N. N.) habenti domicilium in civitate N. (vel loco N.).

In quorum fidem ego scripsi.

Subsequitur subscriptio Directoris seu Sacerdotis facultate muniti.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS IN III ORD. SÆC.

1. Die professionis habeatur Congregatio solemnis, et altare sicut pro festis ornetur. Novitii habitu integro Ordinis induti, si fieri potest, vel saltem exterius scapulare chordamque gerentes, ante altare in plano genuflectunt; Sacerdos autem, superpelliceo et stola alba indutus, in suppedaneo genuflectit, et ipso incipiente cantatur :

8.

V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DA, quæsumus, Dómine, his fámulis tuis [1] quos (quas) Ordinis hábitu decoráre jam dignátus es, * ad inchoáti óperis perfectiónem felíciter perveníre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Quo dicto, Sacerdos ante altare sedens Novitios coram eo genuflexos interrogat :

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ), quæ est petítio vestra?

Novitii simul respondent :

Reverénde Pater, — póstulo admítti ad sanctam professiónem in Tértio Ordine sancti Francísci, — ut in eo usque ad mortem Deo sérviam.

Responso Deo grátias, Sacerdos sanctitatem professionis emittendæ breviter explicabit, expresse tamen admonens nullum

[1] Si agitur de una sola persona, omnia dicuntur numero singulari.

votum nullamque sub peccati reatu strictam obligationem in hac professione includi; et juxta ipsam Regulam ac S. Sedis declarationem, Tertiarios novo conscientiæ vinculo supra ceteros Christianos nullatenus adstringi. Attamen Novitiorum fervorem laudabit confirmabitque, salutares professionis effectus nonnullis Sanctorum exemplis ostendens; vel aliud quid pro circumstantiis opportunum dicens. Qua exhortatione paucis verbis conclusa, singuli Novitii coram Sacerdote genuflexi, junctis manibus pronuntiabunt lingua latina vel vernacula formulam professionis sequentem :

Ego N. coram Deo omnipoténte, ad honórem Immaculátæ beátæ Vírginis Maríæ, et beáti Patris Francísci, omniúmque Sanctórum, promítto serváre mandáta Dei toto témpore vitæ meæ, et Régulam Tértii Ordinis, ab eódem beáto Francísco institútam, juxta formam a Nicoláo Papa quarto et a Leóne decimotértio confirmátam; item satisfácere ad Visitatóris plácitum pro transgressiónibus contra eámdem Régulam commíssis.

Sacerdos subjunget :

Et ego ex parte Dei omnipoténtis, si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

3. Cunctis autem surgentibus, cantatur Hymnus :



3.

TE De-um laudámus, etc., p. 94 vel 97,

et Fratres omnes (vel soli Discreti, si nimius sit Fratrum numerus), unus post alium pacem deferunt novo professo, dicentes ei : Pax tecum, quibus ille respondet : Et cum spíritu tuo. Eodem modo Sorores cum Sorore facient.

4. Hymno Te Deum cantato, Cantores dicunt :

℣. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis:
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Salvos fac servos tuos (Salvas fac fámulas tuas) :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos (eas).

℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et filius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Sacerdos vero subdit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te perveníre concédas.

DOmine Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti : † concéde propítius; ut ejus méritis et précibus, crucem júgiter ferámus, * et dignos fructus pœniténtiæ faciámus.

Pro Fratre

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : † ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, * Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes.

Pro Sorore

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra; † et beátæ Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere; * et cælésti semper consolatióne gaudére.

DEus, qui fámulos tuos (fámulas tuas) a vanitáte sæculi convérsos (convérsas) ad bravíum supérnæ vocatiónis assequéndum accéndis : † pectóribus eórum (eárum) illábere, et grátiam tuam, qua in te persevérent, illis infúnde; * ut protectiónis tuæ muníti (munítæ) præsídiis, quod te donánte promisérunt adímpleant, et sancte vivéndi áliis semper exémplum præbéntes, ad ea, quæ perseveránti bus promíssa sunt, ætérna prǽmia pervéniant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dat novis professis benedictionem, quam beatus Pater Franciscus super discipulum suum pronuntiavit :

Bene ✠ dícat vobis Dóminus, et custódiat vos. Osténdat fáciem suam vobis, et misereátur vestri. Convértat vultum suum ad vos, et det vobis pacem. — Dóminus vos bene ✠ dícat. Amen.

Deinde super omnes :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Demum novo professo pedes Crucifixi porrigit osculandos, in signum amoris erga Christum perpetui, ac sempiterni fœderis.

5. Conclusa Congregatione, statim in Regestis professionum inseritur testimonium factæ professionis, his verbis :

Infrascriptus ego N., Director (vel Sacerdos), ad professionem in Tertio Ordine Pœnitentium S. Francisci admisi N. N., qui receperat habitum anno...., mense...., die.... In quorum fidem ego scripsi.

Subsequitur subscriptio P. Directoris seu Sacerdotis facultate muniti.

6. Novitius in mortis periculo constitutus, professionem præmature permittitur emittere, etiam coram Confessario quocumque, si Sacerdos facultate præditus non possit commode vocari (in quo casu quemlibet Confessarium delegatum esse Ministri Generales declaraverunt) : sed hujusmodi præmatura professio non erit ante mortem in Registro scribenda, cum ægroto sanitatem recuperante professio rursus emittenda sit, et tunc scribenda.

CAPUT IV

PARTICULARIS DISCRETORUM CONGREGATIO

Una vice singulis mensibus Pater Visitator vel Director, et Minister ac omnes Officiales ceterique Discreti privatim congregabuntur. Pater Director, vel Visitator, aut Guardianus præses sedebit, et Minister aliique Officiales ac Discreti, unusquisque in ordine juxta gradum suum, assidebunt, et dicent :

Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde.

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris : sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Réspice, beáte Pater Francísce, de excélso cælórum habitáculo, et deprecáre pro pópulo tuo, pópulo quem elegísti, ut sérviat coram te omni témpore in ministério Dómini.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra : ut vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Congregatione peracta, dicetur :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis:
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

PRæsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ : ut quæ, te auctóre, faciénda cognóvimus, te adjuvánte, implére valeámus.

DEus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum : multíplica super nos misericórdiam tuam; ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna.

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis beneficiis tuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

CAPUT V

RITUS ELECTIONIS FACIENDÆ

Cantatur Hymnus Veni, Creátor, p. 92.

Facta electione, et publicatis electorum nominibus, cantatur Hymnus Te Deum, p. 94 vel 97.

Quibus peractis Director cantat ℣℣. sequentes, quibus ceteri respondent :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinítus est thesáurus : † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut, qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : † quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DOmine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Patris nostri Francísci Passiónis tuæ

sacra Stígmata renovásti : ✝ concéde propítius; ut, ejus méritis et précibus, crucem júgiter ferámus, * et dignos fructus pœniténtiæ faciámus : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias, ut supra, p. 408.

In fine Sacerdos omnibus benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✝ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

In electione Sororum eadem ritualis methodus servanda erit.

CAPUT VI

CÆREMONIA VISITATIONIS

1. Visitator cum advenerit in Congregationem, Fratres (vel Sorores) cantabunt Versículos Psalmi 105 sequentes :



Quis loquétur potENtias DOmini, * audítas fáciet omnes LAUdes Ejus?

Beáti, qui custódiUNT juDIcium, * et fáciunt justítiam in Omni TEMpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito POpuli TUi : * vísita nos in saluTAri TUo :

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia GENtis TUæ : * ut laudéris cum heredITAte TUa.

Glória PAtri, et FIlio, * et SpiRItui SANcto.

Sicut erat in princípio, et NUNC, et SEMper, * et in sæcula sæcuLOrum. Amen.

Deinde Visitator cantabit :

℣. Meménto Congregatiónis tuæ :
℟. Quam possedísti ab inítio.

Orémus — Oratio

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica : † ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, * parátam sibi in nobis invéniat mansiónem :

Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

2. Postea, Visitatore intonante, cantetur Hymnus Veni Creátor, p. 92, cum ℣. et Oratione :

8.



V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92.

Visitatio absolvetur Cantico Benedíctus Dóminus, p. 235; quo finito Visitator cantet :

℣. Visitásti terram et inebriásti eam.
℟. Multiplicásti locupletáre eam.

Orémus Oratio

DA fámulis tuis, Dómine, indulgéntiam peccatórum, † consolatiónem vitæ, gubernatiónem perpétuam : * ut tibi serviéntes, ad tuam júgiter misericórdiam pervenire mereántur.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : † ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, * tua semper protectióne muniátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde detur benedictio sanctissimi Sacramenti, si habeatur licentia; secus preces absolvantur sicut in fine Congregationum.

CAPUT VII

RITUS ERIGENDÆ NOVÆ CONGREGATIONIS

1. Præses Congregationem aperiet cantando :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde intonabit Ps. 110. Confitébor tibi :

Psalmus 110

8. G



Flexa : su-ó-rum, †

Magna ópera DOmini : * exquisíta in omnes volun*tátes* Ejus.

Conféssio et magnificéntia opus Ejus : * et justítia ejus manet in sæ*culum* SÆculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, † misércors et miserátor DOminus : * escam dedit ti*ménti*BUS se.

Memor erit in sæculum testaménti SUi : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópu*lo* SUo :

Ut det illis hæreditátem GENtium : * ópera mánuum ejus véritas *et ju*DIcium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : † confirmáta in sæculum SÆculi : * facta in veritáte et *æqui*TAte.

Redemptiónem misit pópulo SUo : * mandávit in ætérnum testa*méntum* SUum.

Sanctum et terríbile nomen Ejus : * inítium sapiéntiæ *timor* DOmini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus Eum : * laudátio ejus manet in sæ*culum* SÆculi.

Glória Patri, et FIlio, * et Spirítui SANcto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et SEMper, * et in sæcula sæcu*lórum*. Amen.

2. Exinde Præses cantabit :

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli.
℟. Effúndite coram illo corda vestra.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui misericórdia tua hos fidéles speciáliter aggregásti : † in eórum corda, quæsumus, Paráclitum, qui a te procédit infúnde, illósque in tua fide et caritáte corróbora; * ut temporáli congregatióne proficiant ad ætérnæ felicitátis augméntum.

DEus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum : † largíre his fidélibus benedictiónem tuam; * ut et ipsi tamquam lápides vivi superædificéntur super lápidem vivum Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DEfénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, † istam ab omni adversitáte famíliam : * et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Deinde recitatis Veni Creátor, p. 92, et precibus initio Congregationum solitis, Præses Officiales nominabit. Demum dies diversas pro lucrandis infra annum indulgentiis annuntiabit : et primum hunc conventum absolvet Hymno Te Deum, p. 94 vel 97; et post Hymnum dicet :

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis:
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. Memento Congregatiónis tuæ:
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus: † piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; * ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas.

DEus, largítor pacis, et amátor caritátis: † da fámulis tuis, in nómine tuo congregátis, veram cum tua voluntáte concórdiam; * ut ab ómnibus liberéntur advérsis.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum prǽparásti: † quǽsumus; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe prǽservásti, * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Patris nostri Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: † tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, * et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias, ut p. 408.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

4. In fine detur benedictio sanctissimi Sacramenti

Post cæremoniam Præses cum Officialibus collocabit in Archivo documentum vestitionum et professionum aliosque Congregationis libros cum propriis titulis, simulque testimonium erectionis factæ authenticum, quod concipi potest his verbis :

Anno Domini.... mense.... die.... infrascriptus ego (Fr.) N. N., Guardianus (vel Visitator, aut Director, aut Sacerdos facultatibus legitimis a N. receptis munitus) erexi Congregationem Tertii Ordinis sub invocatione et patrocinio S. N., in loco N., testibus N. N. præsentibus. In quorum fidem cum testibus subscripsi.

CAPUT VIII

RITUS IMPERTIENDI TERTIARIIS PAPALEM BENEDICTIONEM

1. Benedictio, nomine Summi Pontificis impertienda, detur bis in anno, sic concedente Leone XIII, et quidem juxta formulam Benedicti XIV; at non eodem die nec in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat. Cum igitur secundum prædictam formulam talis benedictio super populum effundatur, ideo non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatæ Congregationi danda est ab ipso ejus Præside, cui commissa intelligitur impertitio illius benedictionis, vel in ejus absentia ab alio Sacerdote, pro confessionibus approbato.

2. Director vel quicumque Sacerdos facultatem habens accedet ad altare, superpelliceo et stola alba indutus, nullisque circumstantibus Ministris; et genuflexus dicet :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.
℟. Et bénedic hæreditáti tuæ.
℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde, stans, sequentem recitet Orationem :

Orémus — Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli hujus in humilitáte cordis véniam peccatórum poscéntis, tuamque benedictiónem præstolántis et grátiam, cleménter exáudi : déxteram tuam super eum benígnus exténde, ac plenitúdinem divínæ benedictiónis effúnde; qua bonis ómnibus cumulátus, felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea in suppedaneum ascendens, ad cornu Epistolæ accedat, et ibi, unico signo crucis absque tamen Crucifixo, benedicat, proferens alta voce hæc verba :

Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Nota. — Apostolicam Benedictionem impertiendam post conciones Adventus, Quadragesimæ, Missionum, necnon post Spiritualia Exercitia, requiras inter Benedictiones communes.

CAPUT IX

ABSOLUTIO GENERALIS PRO TERTIARIIS SÆCULARIBUS

1. Absolutio generalis seu Benedictio cum indulgentia plenaria Tertiariis sæcularibus dari potest : In festis Nativitatis et Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis B. M. V., Mysteriorum Viæ Crucis, S. Joseph (19 Mart.), Annuntiationis B. M. V., singulis diebus Hebdomadæ Majoris, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, Ss. App. Petri et Pauli, Visitationis B. M. V., S. Claræ, Assumptionis B. M. V., VII Gaudiorum B. M. V., S. Ludovici Regis, Nativitatis B. M. V., Stigmatum B. P. N. Francisci, S. Francisci, Omnium Sanctorum, S. Elisabeth Hung., Præsentationis B. M. V., S. Catharinæ, Conceptionis Immaculatæ B. M. V., necnon in fine Visitationis canonicæ.

2. Præter dies assignatos Absolutionem generalem bis in anno, loco Benedictionis papalis, recipere possunt Tertiarii commorantes in locis ubi nulla reperitur constituta Congregatio, quique nonnisi difficulter possunt ad locum se conferre in quo rite Benedictio papalis super Tertiarios effunditur.

3. Tertiarii Absolutionem generalem sive publice, sive privatim recipere valent tum ipso die festo, a media nocte ad mediam noctem, tum quolibet die infra Octavam earum festivitatum quibus est annexa. Post expletam tamen sacramentalem confessionem dari potest etiam die præcedente, tam ante quam post meridiem.

4. Sacerdotes Tertiarii publice Absolutionem generalem impertientes, et ipsi adnexas gratias promerentur.

5. Jus conferendi Sacerdotibus facultatem impertiendi publice Absolutionem generalem (et Benedictionem papalem) residet in Superioribus etiam localibus Primi et Tertii Ordinis regularis S. Francisci, pro locis respectivæ suæ jurisdictionis. Quoties vero Tertiarii ad hunc finem simul convenerint et sacerdos cujus est generalem Absolutionem impertiri abfuerit, eamdem recipere valent a quolibet Sacerdote ad sacramentales confessiones audiendas approbato. — Privatim id est immediate post sacramentalem absolutionem Absolutio generalis dari potest a quolibet confessario.

6. Absolutio generalis Tertiariis impertienda est cum stola violacea et sub formula Intret orátio; sed si præsentes sint, ubi

Religiosis publice datur sub formula Ne reminiscáris, Tertiarii indulgentiam plenariam et Absolutionem a censuris participant.

7. Sacerdos genuflexus in infimo altaris gradu dicet :

Ant. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine; inclína aurem tuam ad preces nostras; parce, Dómine, parce pópulo tuo, quem redemísti Sánguine tuo pretióso, ne in ætérnum irascáris nobis.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in nobis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde assurgens Sacerdos dicet :

Orémus — Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram; ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tribuas benígnus et pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dicto deinde :

Confiteor etc., Misereátur etc., Indulgéntiam etc.,

Sacerdos prosequitur :

Dóminus noster Jesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, ille vos absólvat ab omni vínculo delictórum, ut habeátis vitam ætérnam, et vivátis in sæcula sæculórum. Amen.

Per sacratíssimam passiónem et mortem Dómini nostri Jesu Christi, précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, beáti Patris nostri Francísci et ómnium Sanctórum, auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi commíssa, plenáriam indulgéntiam ómnium peccatórum vestrórum vobis impértior. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

8. Si hæc indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis. Sacerdos absolute incipiat a verbis : Dóminus noster Jesus Christus etc., et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.

9. Si adjuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit :

Auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi concéssa, plenáriam ómnium peccatórum tuórum indulgéntiam tibi impértior. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

TITULUS VIII

DE BENEDICTIONIBUS

CAPUT I

REGULÆ GENERALES

1. Benedictiones impertire potest quilibet Presbyter, exceptis iis quæ Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reserventur.

Benedictio reservata quæ a Presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.

Diaconi et Lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quæ ipsis expresse a jure permittuntur.

2. Benedictiones sive constitutivæ sive invocativæ invalidæ sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia præscripta.

3. Benedictiones, imprimis impertiendæ catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiæ prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem.

4. Res benedictæ constitutiva benedictione, reverenter tractentur neque ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint.

5. Benedictionem illius sacræ supellectilis quæ ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt :

1° S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes;

2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro Ecclesiis et Oratoriis proprii territorii;

3° Parochus pro Ecclesiis et Oratoriis in territorio suæ parœciæ positis, et rectores Ecclesiarum pro suis Ecclesiis;

4° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et jurisdictionis delegantis;

5° Superiores religiosi, et Sacerdotes ejusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis Ecclesiis et Oratoriis ac pro Ecclesiis monialium sibi subjectarum.

6. In omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo et stola coloris tempori convenientis utatur, nisi aliter notetur.

7. Stando semper benedicat, et aperto capite.

In principio cujusque benedictionis, nisi aliter notetur, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicat Orationem propriam, unam vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

Postea rem aspergat aqua benedicta, et, ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

8. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, et cum hoc Rituali libro, seu Missali.

9. Caveat, ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

Nota. — Benedictiones Romano Pontifici reservatæ littera R, benedictiones autem Ordinario reservatæ littera r notantur.

CAPUT II

BENEDICTIO RERUM ET LOCORUM SACRÆ LITURGIÆ DESTINATORUM

ARTICULUS I

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ÆDIFICANDA ORDINIS ECCLESIA

1. Superior pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse altare, ipse, vel alius Sacerdos figat. Sequenti vero die lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus, et angularis, benedicatur hoc modo.

2. Celebrans indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, assistente religiosa Communitate, sal et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat aquam jam benedictam ordinaria benedictione, et interim, dum cantatur a Cantoribus Antiphona Signum cum Ps. 83, Quam dilécta, p. 368, aspergit locum, ubi Crux posita est, aqua benedicta.



Psalmus 83, Quam dilécta, p. 368.

3. Finito Psalmo, Celebrans versus ad locum a se aspersum, dicit tono feriali :

Orémus Oratio

DOmine Deus, qui licet cælo et terra non capiáris, domum tamen dignáris habére in terris, ubi nomen tuum júgiter invocétur : † locum hunc, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti N. (nominando Sanctum vel Sanctam in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia), omniúmque Sanctórum intercedéntibus méritis, seréno pietátis tuæ intúitu vísita, et per infusiónem grátiæ tuæ ab omni inquinaménto purífica, purificatúmque consérva; * et qui dilécti tui David devotiónem in fílii sui Salomónis ópere complevísti, in hoc ópere desidéria nostra perfícere dignéris, effugiántque omnes hinc nequítiæ spirituáles. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

4. Postea stans benedicit primarium lapidem, dicens sine cantu :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes :
℟. Hic factus est in caput ánguli.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.
℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.
℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui es verus omnípotens Deus, splendor, et imágo ætérni Patris, et vita ætérna : qui es lapis anguláris de monte sine mánibus abscíssus, et immutábile fundaméntum : hunc lápidem collocándum in tuo nómine confírma; et tu, qui es princípium et finis, in quo princípio Deus Pater ab inítio cuncta creávit, sis, quæsumus, princípium, et incremén-

tum, et consummátio ipsíus óperis, quod debet ad laudem et glóriam tui nóminis inchoári : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

5. Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et, accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum Crucis, dicens :

In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Quo facto, dicit :

Orémus — Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, creatúram istam lápidis, et præsta per invocatiónem sancti tui nóminis : ut, quicúmque ad hanc Ecclésiam ædificándam pura mente auxílium déderint, córporis sanitátem, et ánimæ medélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Postea dicantur Litaniæ Romano-Seraphicæ Omnium Sanctorum, p. 129, sine Orationibus in fine positis : quibus dictis, parato cæmento, et cæmentario assistente, Celebrans inchoat, Cantoribus prosequentibus, Ant. Mane cum Ps. 126 Nisi Dominus :

℣. E



Psalmus 126

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce hæréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória Patri.

7. Quo dicto, Celebrans stans ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, vel saltem illum tangit, dicens :

In fide Jesu Christi collocámus lápidem istum primárium in hoc fundaménto, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti : ut vígeat vera fides hic, et timor Dei, fratérnaque diléctio; et sit hic locus destinátus oratióni, et ad invocándum, et laudándum nomen ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

8. Interim cæmentarius aptat ipsum lapidem cum cæmento : postea Celebrans spargit super lapidem aquam benedictam, dicens :

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Deinde dicitur totus Ps. 50 : Miserére mei, Deus, p. 46. **cum** Glória Patri.

Quo dicto, Celebrans spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta : si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere, inchoat, Religiosis prosequentibus, Ant. O quam cum Ps. 86 Fundaménta :



6. F

O quam me-tu-éndus est * locus iste! Ve-



Psalmus 86

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Glória Patri.

In fine repetitur Antiphona.

9. Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, et repetita Antiphona a Religiosis, Celebrans stans cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : **Oratio**

OMnípotens et misércors Deus, qui sacerdótibus tuis tantam præ céteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab eis ágitur, a te fieri credátur : † quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modo visitatúri sumus, vísites, et quidquid benedictúri sumus, bene✠dícas; * sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

DEus, qui ex ómnium cohabitatióne Sanctórum ætérnum majestáti tuæ condis habitáculum : † da ædificatióni tuæ increménta cæléstia; * ut, quod te jubénte fundátur, te largiénte perficiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ARTICULUS II

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM VEL ORATORIUM PUBLICUM [1]

1. Superior, vel alius Pater ab ipso deputatus, novam Ecclesiam seu Oratorium benedicturus, ut in ea divinum sacrificium Missæ rite celebretur, amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali albi coloris indutus, assistentibus Religiosis, prælata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, mane procedit ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam : ubi stans capite aperto, conversus ad eam dicit absolute Orationem :

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Deinde Celebrans inchoat, Religiosis prosequentibus, Antiphonam :



Et Religiosi alternatim dicunt totum Psalmum 50 Miserére, p. 46 : in fine Glória Patri.

3. Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua et nuda, et pariter altaria nuda excluso populo, donec absoluta sit benedictio), et Celebrans accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens, parietes Ecclesiæ in superiori parte, et in fundamentis aqua benedicta aspergit, dicens : Aspérges me, etc.

4. Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Religiosis, Celebrans stans ut prius versus ad Ecclesiam, cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

DOmine Deus, qui licet cælo et terra non capiáris, domum tamen dignáris habére in terris, ubi nomen tuum júgiter invocétur : † locum hunc, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti N. (nominando Sanctum vel Sanctam in cujus honorem ac nomen benedicitur Ecclesia), omniúmque Sanctórum intercedéntibus méritis, seréno pietátis tuæ intúitu vísita, et per infusiónem grátiæ tuæ ab omni inquinaménto purífica, purificatúmque consérva ; * et qui dilécti tui David devotiónem in fílii sui Salomónis ópere complevísti, in hoc ópere desidéria nostra perfícere dignéris, effugiántque omnes hinc nequítiæ spirituáles. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

5. Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad altare majus procedunt, Litanias Romano-Seraphicas Omnium Sanctorum decantantes, p. 129.

6. Sacerdos coram altari genuflectit : cumque dictum fuerit :

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris : ℟. Te rogámus, audi nos,

surgit Celebrans, et intelligibili voce dicit :

Ut hanc Ecclésiam, et altáre hoc, ad honórem tuum, et nomen Sancti tui N, purgáre, et bene ✠dícere dignéris : ℟. Te rogámus, audi nos.

Cum dicit benedícere, manu dextera benedicit Ecclesiam et altare; deinde, ut prius, genuflectit donec perficiantur Litaniæ, et Cantores prosequuntur :

Ut nos exaudíre, etc.

7. Dicto ultimo Kýrie, eléison, Celebrans stans cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

PRævéniat nos, quæsumus, Dómine, misericórdia tua: † et intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, * voces nostras cleméntia tuæ propitiatiónis antícipet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Tum distans ab altari congruenti spatio genuflexus, et se signans, dicit :

℣. DE-us, in adju-tó-ri-um me-um inténde :

et statim surgit, Religiosis respondentibus :



Dómine, ad adjuvándum me festína.

Ipse vero stans dicit :



Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o, et Spi-rí-tu-i Sancto.

Religiosi respondent :



Sic-ut e-rat in princí-pi-o, et nunc, et semper, et

in sæcu-la sæculó-rum. Amen.

9. Postea Celebrans dicit :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sacerdótibus tuis tantam præ céteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab eis ágitur, a te fieri credátur : † quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modo visitatúri sumus, vísites, et quidquid benedictúri sumus, bene✠dícas; * sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus. Per Dóminum nostrum, etc. ℟. Amen.

10. His dictis, inchoat, ceteris prosequentibus, Antiphonam :



Et dicuntur tres Psalmi sequentes, videlicet :

Psalmus 119

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : † habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Glória Patri.

Psalmus 120

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum; * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória Patri.

Psalmus 121. Lætátus sum, p. 337.

In fine repetitur Antiphona.

11. Interim aspergit interius parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens : Aspérges me etc., tum ad altare reversus, cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

DEus, qui loca nómini tuo dicánda sanctíficas, † effúnde super hanc oratiónis domum grátiam tuam : * ut ab ómnibus hic nomen tuum invocántibus auxílium tuæ misericórdiæ sentiátur. Per Dóminum nostrum, etc. ℟. Amen.

12. His peractis, dicitur Missa de Mysterio vel Sancto in cujus honorem Ecclesia est benedicta; sed, si occurrat Officium Missas votivas solemnes pro re gravi excludens, dicitur Missa de die occurrenti, cum Commemoratione Titularis sub unica Conclusione.

13. Ecclesiæ vero cathedrales, et, quantum fieri potest, Ecclesiæ collegiatæ, conventuales et parœciales, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sint benedictæ, solemniter tamen consecrandæ sunt.

14. Oratoria privata seu domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum.

ARTICULUS III

BENEDICTIO ORATORII PRIVATI SEU DOMESTICI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui loca nómini tuo dicánda sanctíficas, effúnde super hanc oratiónis domum grátiam tuam : ut ab ómnibus hic nomen tuum invocántibus auxílium tuæ misericórdiæ sentiátur. Per Dóminum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS IV

RITUS RECONCILIANDI ECCLESIAM VIOLATAM QUÆ FUERAT TANTUMMODO BENEDICTA

1. Violata Ecclesia, non ideo cœmeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa. Si vero cœmeterium Ecclesiæ pollutæ contiguum violatum fuerit, illud una cum Ecclesia reconciliatur.

Ecclesiæ benedictæ ac violatæ reconciliatio per Rectorem ejusdem vel per Sacerdotem de consensu saltem præsumpto Rectoris fiat hoc modo. Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit libere circumiri tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum aqua benedicta, et aspergillum de herba hyssopi factum. Celebrans indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albo, adhibitis Religiosis, procedit ad primariam Ecclesiæ portam, ubi stans incipit, Religiosis prosequentibus, Antiphonam Aspérges, p. 434.

Et dicitur totus Psalmus, Miserére, etc., p. 46, cum Glória Patri. Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Celebrans aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, et cœmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ac ad terram cœmeterii, præsertim ad loca contaminata. Si vero cœmeterium violatum non fuerit, ejus aspersio omittitur. Quo facto, redit ad locum, ubi incepit aspergere, et stans dicit :

Orémus Oratio

OMnípotens et misércors Deus, qui sacerdótibus tuis tantam præ céteris grátiam contulísti, ut quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab eis ágitur, a te fieri credátur : quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modo visitatúri sumus, visites, et quidquid benedictúri sumus, bene ✠ dícas; sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Deinde omnes bini in Ecclesiam ingrediuntur, et ad altare majus accedunt, decantantes Litanias Romano-Seraphicas omnium Sanctorum, p. 129; Celebrans coram altari genuflectit : cumque dictum fuerit :

Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris : ℟. Te rogámus, audi nos,

Celebrans surgit, et clara voce dicit :

Ut hanc Ecclésiam, et altáre hoc, ac cœmetérium purgáre, et reconci ✠ liáre dignéris : ℟. Te rogámus, audi nos.

Si vero cœmeterium violatum non fuerit, omittuntur verba ac cœmeterium.

3. Deinde rursus genuflectit, et Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Celebrans versus ad dictum altare cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

PRævéniat nos, quæsumus, Dómine, misericórdia tua : † et intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, * voces nostras cleméntia tuæ propitiatiónis anticipet. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Deinde Celebrans genuflectit ante altare, et se signo Crucis muniens, clara voce dicit :

Deus, in adjutórium, uti supra, p. 436.

5. Quo dicto, Celebrans inchoat, Religiosis prosequentibus, Ant.:



Cantores Psalmi versus decantant, Religiosi vero omnes jugiter Antiphonam repetunt.

Psalmus 67

IN ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Repetitur Antiphona.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Repetitur Antiphona.

Príncipes Juda, duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Repetitur Antiphona.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confírma hoc Deus, quod operátus es in nobis.

Repetitur Antiphona.

A templo sancto tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Repetitur Antiphona.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Repetitur Antiphona.

Díssipa Gentes, quæ bella volunt : † vénient legáti ex Ægýpto : * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino.

Repetitur Antiphona.

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad Oriéntem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, † date glóriam Deo super Israël : * magnificéntia ejus et virtus ejus in núbibus.

Repetitur Antiphona.

Mirábilis Deus in sanctis suis, † Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Repetitur Antiphona.

6. Et non dicitur Glória Patri. Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Celebrans circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo : aspergit etiam specialiter loca contaminata. Quo facto, stans in presbyterio versus ad altare, cantat :

DEus, qui in omni loco dominatiónis tuæ clemens et benígnus purificátor assístis : † exáudi nos, quæsumus, et concéde; ut in pósterum inviolábilis hujus loci permáneat benedíctio, * et tui múneris benefícia univérsitas fidélium, quæ súpplicat, percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

8. Simplex Sacerdos tantum de licentia Ordinarii potest Ecclesiam consecratam reconciliare, et tunc utatur ritu in Pontificali præscripto : procedatque indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Religiosis superpelliceis indutis. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, Rectori Ecclesiæ consecratæ eamdem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario.

ARTICULUS V

RITUS BENEDICENDI NOVUM CONVENTUM

1. Hora constituta Superior benedictionem peracturus super amictum, albam et stolam pluviali albi coloris indutus, medius inter sacros Ministros dalmatica et tunicella paratos ad altare se confert. Præcedunt Thuriferarius cum thuribulo et navicula incensi et Acolythus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; dein Ceroferarii candelabra cum candelis accensis gestantes.

2. Exhibita ab omnibus altari debita reverentia, in infimo ejus gradu genuflexus, Celebrans intonat Hymnum :



V Eni Cre- á-tor Spí-ritus, etc., p. 92,

quem Religiosi, pariter genuflexi usque ad finem, prosequuntur. Hymno finito, cantatur :



℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : † purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri; * ut hanc nostram benedictiónem digne perfícere, et tuis fidélibus perínde optátam salútem procuráre valeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde Diaconus cantat :



℣. Pro- ce-dámus in pa-ce.
℟. In nómi-ne Chri- sti. Amen.

Nunc in processione solemni pergitur ad novum Conventum, sub pulsu campanarum et cantu Litaniarum omnium Sanctorum, p. 129. Præcedunt Thuriferarius cum thuribulo et navicula incensi, et Acolythus cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; sequitur Subdiaconus cum Cruce processionali medius inter Ceroferarios candelabra cum candelis accensis deferentes; dein Religiosi bini et bini, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, qui tamen pluvialis ejus fimbriam non elevat.

3. Cum ad portam Conventus pervenerit, Celebrans cantat solus, et Religiosi respondent :



℣. Pax huic dómu- i.
℟. Et ó-mnibus ha-bi-tántibus in e- a.

Tunc intonat, Religiosis prosequentibus :



4. E

A -spérges me, * Dómine, hyssó-po, et mundá-



bor : lavá-bis me, et super ni-vem de-albá-bor.



Ps. 50. Mi-se-ré-re me- i, De-us, * secúndum magnam



mi-se-ricórdi- am tu- am. Gló-ri-a Patri, et Fí-li-o,

et Spi-rí-tu-i Sancto. * Sic-ut e-rat in princí-pi-o, et



nunc, et semper, et in sæcu-la sæcu-ló-rum. Amen.

Deinde repetitur Antiphona; interim dum hæc cantantur, Celebrans aspergit parietes exteriores saltem in anteriori parte aqua benedicta.

His finitis, Celebrans cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sacerdótibus tuis tantam præ céteris grátiam contulísti, ut, quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab iis ágitur, a te fíeri credátur : † quæsumus imménsam cleméntiam tuam, ut quidquid modo visitatúri sumus, vísites, et quidquid benedictúri sumus, bene ✠ dícas; * sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingréssus.

DOmine sancte, Pater omnípotens, per intercessiónem sancti Patris nostri Francísci et sancti N.[1] † béne✠dic domum istam, béne✠dic intróitum nostrum, béne✠dic ingréssum pedum nostrórum : * sicut dignátus es domum Patriarchárum Abraham, Isaac, et Jacob benedícere. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

---

[1] Exprimitur nomen sancti Titularis; sin autem Titularis sit B. Maria Virgo, Ss. Angeli, S. Joes Bapt., S. Joseph, Apostolus vel Evangelista, hujus nomen ipsi S. Francisci mentioni præmittatur.

4. Tunc sequitur ingressus et Celebrans ampliorem aulam Conventus intrando, cantat ut supra :

℣. Pax huic dómui.

Religiosi respondent :

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Progrediens cum Religiosis ad mensam linteo albo tectam, in qua inter duos cereos accensos Crucifixi imago est posita, cantat :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : † et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, * qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui Apóstolis tuis præcepísti, ut in quamcúmque domum intrárent, pacem illi adprecaréntur : † sanctífica, quæsumus, per ministérium nostrum hanc ædem, sancti Patris nostri Francísci ásseclis destinátam; * effúnde super eam tuæ bene ✠ dictiónis et pacis abundántiam, fiat ei salus, sicut dómui Zachæi, te intránte, facta est. Manda Angelis tuis, ut eam custódiant, et ab ea omnem inimíci repéllant potestátem : † reple vivéntes in ea spíritu Seráphici Patriárchæ, et fove eos cælésti grátia, ut quæ Dómino in professióne sua promiserunt, corde retíneant, ópere exsequántur; * atque omnes habitatóres ejus virtútum ómnium opéribus tibi pláceant, ut in ætérnam domum in cælis aliquándo récipi mereántur. Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi, qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

5. Postea Celebrans denuo intonat Antiphonam : Aspérges me, et Religiosi prosequuntur, ut supra, p. 444. Interim fit aspersio aulæ aqua benedicta. Reversus ad mensam Celebrans imponit thus in thuribulum, et benedicit illud dicens :

Per intercessiónem sancti Michaélis Archángeli, stantis a dextris altáris incénsi, et ómnium sanctórum Angelórum, incénsum istud dignéris, Dómine, bene ✠ dícere, et in odórem suavitátis accípere. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Hoc dicto, sumit Celebrans thuribulum, et incensat aulam. Religiosis cantantibus :



Psalmus 140

DIrigátur, Dómine, orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo : * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínet cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Glória Patri.

6. Incensatione peracta, Celebrans stans coram imagine Crucifixi, cantat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : † Angeli tui sancti hábitent in ea, qui omnes hic habitántes in pace custódiant; * et benedíctio tua super illos sit semper.

Béne ✠ dic, Dómine, domum istam, et sit ibi sánitas, sánctitas, virtus et glória, humílitas, bónitas, mansuetúdo, lénitas, docílitas, et plenitúdo legis, obediéntia et gratiárum áctio Deo Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. † Et hæc bene ✠ dictio sit super hanc domum et locum istum : * atque super omnes habitántes in eo descéndat septifórmis grátia Spíritus Sancti. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Celebrans nunc affigit sanctam Crucem in loco apto aulæ, dicendo :

Signum salútis impóne, Dómine, super hanc domum : et non permíttas introíre in eam angelum percutiéntem. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Versus Crucem :

Orémus Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in omni loco dominatiónis tuæ totus assístis, solus operáris : † adésto supplicatiónibus nostris, ut hujus domus sis protéctor, et nulla hic nequítia contráriæ potestátis obsístat; * sed in virtúte sanctæ Crucis et operatióne Spíritus Sancti fiat tibi hic purum servítium, et devóta libértas exsístat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

ADésto nobis, Dómine Deus noster : † et eos qui in sanctæ Crucis præsídio confídunt, * perpétuis defénde auxíliis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Post hæc, apprehenso aspersorio, cum Diacono et Acolytho aquam benedictam deferente, vadit per totum Conventum, singula

cubicula et ambulacra aspergens nihil dicens. Interim ceteri in aula remanentes cantant Antiphonam :



cum Ps. 83, Quam dilécta, p. 368, et pro temporis exigentia etiam Ps. 90, Qui hábitat in adjutório altíssimi, p. 29.

Post Psalmum repetitur Antiphona, et Celebrans ad aulam reversus cantat :

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum :
℟. Habitáre fratres in unum.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos singulári prærogatíva grátiæ in hoc Religiónis claustro misericórditer congregásti : † da nobis fámulis tuis, ita in eódem laudabíliter tibi servíre, et in fraternitátis amóre, et sincéra dilectióne, ac mútua pace convívere, * ut tandem ad illam pátriam, in qua ómnia secúra, firma, tranquílla, et stabília sunt, te largiénte, pervenire valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Tandem Celebrans benedicit omnibus præsentibus dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super hanc domum, super omnes habitántes in ea, super nos omnes, et máneat semper. ℟. Amen.

His finitis, processionaliter fit reditus in Ecclesiam, ubi celebratur Missa Officio diei conveniens.

ARTICULUS VI

RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM

1. Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio cœmeterii benedicendi lignea Crux, alta ad staturam hominis et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus, altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

2. Sequenti die mane Superior, vel alius Pater, ab Ordinario delegatus, in sacristia paratur amictu, alba, cingulo, stola ac pluviali albi coloris, et, adhibitis Religiosis aliquot indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, thuribulum cum incensi navicula, hoc Rituale cum tribus candelis cereis, procedit ad cœmeterium benedicendum, ante Crucem in medio positam, et affiguntur, et accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum : tunc Celebrans ante Crucem et candelas stans, discooperto capite, cantat :

Orémus — Oratio

OMnípotens Deus, qui es custos animárum, et tutéla salútis, fides credéntium : † réspice propítius ad nostræ servitútis offícium, et ad intróitum nostrum purgétur, bene ✠ dicátur, et sancti ✠ ficétur hoc cœmetérium; * ut humána córpora hic post vitæ cursum quiescéntia, in magno judícii die simul cum felícibus animábus mereántur adipísci vitæ perénnis gáudia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias Romano-Seraphicas Omnium Sanctorum, p. 129, incipientibus Cantoribus, ceteris respondentibus; et cum dictum fuerit :

Ut ómnibus fidélibus defúnctis, etc. ℟. Te rogámus, audi nos,

Celebrans surgit, et clara voce dicit, producens manu signum Crucis :

Ut hoc cœmetérium purgáre, et bene ✠ dícere dignéris. ℟. Te rogámus, audi nos.

4. Deinde Celebrans, ut prius, genuflectit, et Litaniæ perficiuntur.

5. Quibus finitis, surgunt omnes, et Celebrans Crucem aspergit aqua benedicta, dicens Antiphonam :

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

6. Deinde dicitur ab adstantibus totus Psalmus : Miserére, etc., p. ✠6, cum Glória Patri. Quo dicto, repetitur Antiphona. Dum dicitur Psalmus, Celebrans circuit, et perambulat totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta : quo facto, redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens cantat :

Orémus

Oratio

DEus, qui es totíus orbis cónditor, et humáni géneris redémptor, cunctarúmque creaturárum visibílium et invisibílium perféctus dispósitor : † te súpplici voce, ac puro corde expóscimus; ut hoc cœmetérium, in quo famulórum, famularúmque tuárum córpora quiéscere debent, post currícula hujus vitæ labéntia, pur ✠ gáre, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris : * quique remissiónem ómnium peccatórum per tuam magnam misericórdiam in te confidéntibus præstitísti, corpóribus quoque eórum in hoc cœmetério quiescéntibus, et tubam primi Archángeli exspectántibus, consolatiónem perpétuam lárgiter impertíre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

7. Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens cœmeterium aqua benedicta, redit cum Ministris in sacristiam.

ARTICULUS VII

ORDO RECONCILIANDI CŒMETERIUM VIOLATUM

1. Si cœmeterium ecclesiæ pollutæ contiguum violatum fuerit, illud una cum Ecclesia reconciliatur, ut p. ✠39 dictum est. Secus cœmeterii reconciliatio fit hoc modo :

2. Mane diei, qua facienda est reconciliatio, Superior, vel alius Pater, de consensu saltem præsumpto Superioris, adhibitis Reli-

giosis aliquot indutis superpelliceis, in sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albi coloris, accedit ad medium cœmeterii, Clerico vasculum aquæ benedictæ et aspergillum deferente : et ibi super tapete genuflectit una cum Ministris; et Cantores, aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias Romano-Seraphicas Omnium Sanctorum, p. 129. In quibus cum dictum fuerit :

Ut ómnibus fidélibus defúnctis, etc.

℟. Te rogámus, audi nos,

Celebrans surgit, et manu dextera producens signum Crucis super cœmeterium, clara voce dicit :

Ut hoc cœmetérium recon ✠ ciliáre, et sancti ✠ ficáre dignéris. ℟. Te rogámus audi nos.

3. Mox Celebrans, ut prius, genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et Celebrans, accepto aspergillo cum aqua benedicta, inchoat Antiphonam : Aspérges, p. 434, Religiosis prosequentibus.

Et dicitur totus Psalmus 50, Miserére etc., p. 46 sine Glória Patri.

In fine repetitur Antiphona : Aspérges me, etc.

4. Dum hæc dicuntur, Celebrans circuit totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta, præsertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum ubi Litaniæ dictæ fuerunt, et ibi stans cantat :

Orémus

Ministri : Flectámus génua. ℟. Leváte.

Celebrans : Oratio

DOmine pie, qui agrum fíguli prétio Sánguinis tui in sepultúram peregrinórum comparári voluísti : quæsumus, dignánter reminíscere clementíssimi hujus mystérii tui. † Tu es enim, Dómine, fígulus noster : tu quiétis nostræ ager; tu agri hujus prétium. * Tu dedísti étiam, et suscepísti; tu de prétio tui vivífici Sánguinis nos requiéscere donásti. Tu ergo, Dómine, qui es offensiónis nostræ clementíssimus indúltor, exspectantíssimus judicátor, judícii tui superabundantíssimus miserátor : † judícium tuæ justíssimæ severitátis abscóndens, post miseratiónem

tuæ piæ Redemptiónis, adésto exaudítor et efféctor nostræ reconciliatiónis : * hocque cœmetérium peregrinórum tuórum, cæléstis pátriæ incolátum exspectántium, benígnus purífica, et reconcília; et hic tumulatórum et tumulandórum córpora, de poténtia et pietáte tuæ resurrectiónis ad glóriam incorruptiónis, non dámnans, sed glorífícans resúscita : Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

ARTICULUS VIII

BENEDICTIO NOVÆ CAMPANÆ QUÆ AD USUM ECCLESLÆ BENEDICTÆ VEL ORATORII INSERVIAT

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Psalmus 50, Miserére mei, Deus, p. 190.

Psalmus 53

DEus, in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi : * et confitébor nómini tuo, Dómine, quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Glória Patri.

Psalmus 56

MIserére mei, Deus, miserére mei : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttæ : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos, Deus : * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo et psalmum dicam.

Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos, Deus : * et super omnem terram glória tua.

Glória Patri.

Psalmus 66, Deus misereátur nostri, p. 181.

Psalmus 69.

DEus, in adjutórium meum inténde : * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Glória Patri.

Psalmus 85, Inclína, Dómine, aurem tuam, p. 27.

Psalmus 129, De profúndis, p. 45, cum Glória Patri in fine.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui per beátum Móysen, legíferum fámulum tuum, tubas argénteas fíeri præcepísti, quibus dum sacerdótes témpore sacrifícii clángerent, sónitu dulcédinis pópulus mónitus ad te adorándum fieret præparátus, et ad celebrándum conveníret : præsta, quæsumus; ut hoc vásculum sanctæ tuæ Ecclésiæ præparátum, a Spíritu Sancto per nostræ humilitátis obséquium sancti ✠ ficétur, ut per illíus tactum et sónitum fidéles inviténtur ad sanctam Ecclésiam et ad prǽmium supérnum. Et cum melódia illíus áuribus insonúerit populórum, crescat in eis devótio fídei, procul pellántur omnes insídiæ inimíci, fragor grándinum, ímpetus tempestátum, temperéntur infésta tonítrua, prostérnat aéreas potestátes déxtera tuæ virtútis : ut hoc audiéntes tintinnábulum contremíscant et fúgiant ante sanctæ Crucis vexíllum in eo depíctum. Quod ipse Dóminus noster præstáre dignétur, qui absórpta morte per patíbulum Crucis regnat in glória Dei Patris cum eódem Patre et Spíritu Sancto per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Nunc Celebrans ponit incensum in thuribulum et benedicit : et primum aqua benedicta aspergit circumeundo campanam, choro dicente Ant. Aspérges, p. 444, sine Psalmo.

Deinde incensat circumeundo campanam, choro dicente :

Ant. 4.



Celebrans prosequitur :

Orémus Oratio

OMnípotens Dominátor, Christe, quo secúndum carnis assumptiónem dormiénte in navi, dum obórta tempéstas mare conturbásset, te prótinus excitáto et imperánte dissíluit : tu necessitátibus pópuli tui benígnus succúrre : tu hoc tintinnábulum Sancti Spíritus rore perfúnde : ut ante sónitum illíus semper fúgiat bonórum inimícus, invitétur ad fidem pópulus christiánus, hostílis terreátur exércitus, confortétur in Dómino per illud pópulus tuus convocátus, ac sicut Davídica cíthara delectátus désuper descéndat Spíritus Sanctus : atque ut Samuéle agnum lacténtem mactánte in holocáustum Regis ætérni impérii, fragor aurárum turbam répulit adversántium; ita, dum hujus vásculi sónitus transit per núbila, Ecclésiæ tuæ convéntum manus consérvet angélica, fruges credéntium, mentes et córpora salvet protéctio sempitérna. Per te, Christe Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. In honórem Sancti N. ℟. Amen.

Tum Celebrans producit super campanam benedictam signum Crucis, et discedit cum Ministris.

Quod autem attinet ad ecclesias consecratas, in benedictione signi vel campanæ curandum omnino est, ut ab Episcopo vel a Sacerdote Apostolicum indultum habente servetur ritus Pontificalis Romani.

ARTICULUS IX

BENEDICTIO ORGANI IN ECCLESIA

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde cantatur in tono octavo sequens Psalmus :

Psalmus 150

LAudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério et cíthara.
Laudáte eum in týmpano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : † laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.
Glória Patri.

℣. Laudáte Dóminum in týmpano et choro.
℟. Laudáte eum in chordis et órgano.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui per Móysen fámulum tuum tubas ad canéndum super sacrifíciis, nómini tuo offeréndis, fácere præcepísti, quique per fílios Israël in tubis et cýmbalis laudem tui nóminis decantári voluísti : † béne ✠ dic, quæsumus, hoc instruméntum órgani, cúltui tuo dedicátum ; * et præsta, ut fidéles tui in cánticis spirituálibus jubilántes in terris, ad gáudia ætérna pervenire mereántur in cælis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS X

BENEDICTIO SACERDOTALIUM INDUMENTORUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, qui per Móysen fámulum tuum pontificália, et sacerdotália, seu levítica vestiménta, ad expléndum in conspéctu tuo ministérium eórum, ad honórem et decórem nóminis tui fieri decrevísti : adésto propítius invocatiónibus nostris : ut hæc

induménta sacerdotália,[1] désuper irrigánte grátia tua, ingénti benedictióne per nostræ humilitátis servítium puri ✠ ficáre, bene ✠ dícere, et conse ✠ cráre dignéris : ut divínis cúltibus et sacris mystériis apta et benedícta exsístant : his quoque sacris véstibus Pontífices, et Sacerdótes, seu Levítæ tui indúti, ab ómnibus impulsiónibus, seu tentatiónibus malignórum spirituum muníti et defénsi esse mereántur; tuísque mystériis apte et condígne servíre et inhærére, atque in his tibi plácite et devóte perseveráre tríbue. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus **Oratio**

DEus, invíctæ virtútis triumphátor, et ómnium rerum creátor ac sanctificátor : inténde propítius preces nostras : et hæc induménta levíticæ, sacerdotális, et pontificális glóriæ, minístris tuis fruénda, tuo ore próprio bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris : omnésque eis uténtes, tuis mystériis aptos, et tibi in eis devóte ac laudabíliter serviéntes, gratos effícere dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus **Oratio**

DOmine Deus omnípotens, qui vestiménta Pontifícibus, Sacerdótibus, et Levítis in usum tabernáculi fœderis necessária, Móysen fámulum tuum ágere jussísti, eúmque spíritu sapiéntiæ ad id peragéndum replevísti : hæc vestiménta in usum et cultum mystérii tui bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris : atque minístros altáris tui, qui ea indúerint, septifórmis Spíritus grátia dignánter repléri, atque castitátis stola, beáta fácias cum bonórum fructu óperum ministérii congruéntis immortalitáte vestíri. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur ipsa indumenta aqua benedicta.

[1] Omnia dicuntur numero singulari, si unum solum indumentum est benedicendum.

BENEDICTIO SPECIALIS CUJUSLIBET INDUMENTI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus omnípotens, bonárum virtútum dator et ómnium benedictiónum largus infúsor, súpplices te rogámus, ut mánibus nostris opem tuæ benedictiónis infúndas, et hunc amíctum (vel hanc albam, — hoc cíngulum, — hanc stolam, — hunc manípulum, — hanc tunicéllam, — hanc dalmáticam, — hanc planétam) divíno cúltui præparátum (præparátam), virtúte Sancti Spíritus bene ✠dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris, et ómnibus eo, (— ea, vel eis) uténtibus grátiam sanctificatiónis sacri mystérii tui benígnus concéde; ut in conspéctu tuo sancti et immaculáti atque irreprehensíbiles appáreant, et auxílium misericórdiæ tuæ acquírant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde ipsum indumentum aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS XI

BENEDICTIO MAPPARUM SIVE TOBALEARUM ALTARIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

EXáudi, Dómine, preces nostras : et hæc linteámina sacri altáris úsui præparáta, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui Móysen fámulum tuum, ornaménta et linteámina fácere per quadragínta dies docuísti : quæ étiam María téxuit et fecit in usum ministérii tabernáculi fœderis; bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris hæc linteámina ad tegéndum, involvendúmque altáre gloriosíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur ea aqua benedicta.

ARTICULUS XII

BENEDICTIO PALLÆ ET CORPORALIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

CLementíssime Dómine, cujus inenarrábilis est virtus, cujus mystéria arcánis mirabílibus celebrántur : tríbue, quæsumus; ut hoc linteámen tuæ propitiatiónis bene ✠ dictióne sanctificétur ad consecrándum super illud Corpus et Sánguinem Dei et Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris linteámen istud ad tegéndum, involvendúmque Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens Deus, mánibus nostris opem tuæ benedictiónis infúnde : ut per nostram bene ✠ dictiónem hoc linteámen sanctificétur, et Córporis ac Sánguinis Redemptóris nostri novum sudárium, Spíritus Sancti grátia efficiátur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS XIII

BENEDICTIO TABERNACULI SEU VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA r

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices deprecámur : ut tabernáculum (seu vásculum) hoc pro Córpore Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi in eo condéndo fabricátum, bene ✠ dictiónis tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS XIV

BENEDICTIO OSTENSORII PRO SS. SACRAMENTO EXPONENDO r

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, vásculum istud, pro Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi Córpore fidélium veneratióni exponéndo fabrefáctum, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignáre : ut omnes, qui eúmdem Unigénitum in hoc sæculo pio afféctu venerántur, et in futúro perpétuam pietátis suæ mercédem accípiant. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos Ostensorium aspergat aqua benedicta.

ARTICULUS XV

BENEDICTIO CAPSARUM PRO RELIQUIIS SANCTORUM INCLUDENDIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, cápsulam hanc Sanctórum tuórum Relíquiis condéndis præparátam; et præsta; ut quicúmque eas pro mentis afféctu veneráti fúerint, ipsis Sanctis tuis intercedéntibus, ómnium delictórum suórum véniam obtíneant, et contra omnes adversitátes tuo semper muniántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat Capsam aqua benedicta.

ARTICULUS XVI

BENEDICTIO VASORUM PRO SACRIS OLEIS INCLUDENDIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

EXáudi, Dómine, Pater clementíssime, preces nostras : et hæc purificánda vasa, Ecclésiæ tuæ sacri ministérii úsui præparáta, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, a quo ómnia immúnda purgántur, et in quo ómnia purgáta claréscunt : súpplices omnipoténtiam tuam invocámus; ut ab his vasis, quæ tibi ófferunt fámuli tui, omnis spíritus immúndus confúsus longe discédat, et per tuam bene ✠ dictiónem ad usum et ministérium Ecclésiæ tuæ sanctificáta permáneant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

ARTICULUS XVII

BENEDICTIO SACRORUM VASORUM ET ALIORUM ORNAMENTORUM IN GENERE r

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

EXáudi, Dómine, Pater clementíssime, preces nostras : et hæc purificánda vasa et ornaménta, sacri altáris atque Ecclésiæ tuæ sacri ministérii úsui præparáta, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, a quo ómnia immúnda purgántur, et in quo ómnia purgáta claréscunt : súpplices omnipoténtiam tuam invocámus; ut ab his vasis et ornaméntis, quæ tibi ófferunt fámuli tui, omnis spíritus immúndus confúsus longe discédat, et per tuam bene ✠ dictiónem ad usum et ministérium sancti altáris et

Ecclésiæ tuæ sanctificáta permáneant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

ARTICULUS XVIII

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS

1. Si Cruces, publicæ venerationi expositæ, solemniter benedicantur, hæc benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet Sacerdoti committere.

Privatim autem hæc benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest sine ulla Ordinarii licentia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ROgámus te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut dignéris bene ✠ dícere hoc signum Crucis, ut sit remédium salutáre géneri humáno; sit soliditas fídei, proféctus bonórum óperum, redémptio animárum; sit solámen et protéctio ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

BEne ✠ dic, Dómine Jesu Christe, hanc Crucem, per quam eripuísti mundum a potestáte dæmonum, et superásti Passióne tua suggestórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis per ligni vétiti sumptiónem. Hic aspergatur aqua benedicta. Sanctificétur hoc signum Crucis in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti; ut oántes, inclinantésque se propter Dóminum ante istam Crucem, invéniant córporis et ánimæ sanitátem. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. Postea Sacerdos ante Crucem genuflexus ipsam devote adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint.

BENEDICTIO SOLEMNIOR NOVÆ CRUCIS r

Nova Crux, seu tabula, in qua Crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur. Paratis thure, thuribuloque cum igne et aqua benedicta, Superior vel Sacerdos delegatus, superpelliceo, stola et pluviali rubri coloris indutus, stans dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine Jesu Christe, hanc Crucem, per quam eripuísti mundum a potestáte dæmonum, et superásti Passióne tua suggestórem peccáti, qui gaudébat in prævaricatióne primi hóminis per ligni vétiti sumptiónem : Qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

ROgámus te, Dómine sancte, Pater omnípotens, sempitérne Deus : ut dignéris bene ✠ dícere hoc signum Crucis, ut sit remédium salutáre géneri humáno; sit solíditas fídei, proféctus bonórum óperum, redémptio animárum; sit solámen et protéctio ac tutéla contra sæva jácula inimicórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Deinde dicit voce medioeri, extensis manibus ante pectus, Præfationem :

℣. Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

VEre dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : cujus sanctum ac terríbile Nomen, inter céteras visíbiles creatúras, ligna quoque fructífera laudáre ac benedícere non cessant : qui in figúram unigénitæ Sapiéntiæ tuæ ligno vitæ a princípio paradísum voluptátis ornásti, ut ejúsdem fructu, sacro mystério, Protoparéntes nostri géneris mortem cavére, et vitam admonéres obtinére perpétuam : quique nos vétitæ árboris attáctu justæ morti addíctos, ejúsdem coætérnæ tibi Sapiéntiæ, Dei et Dómini nostri Jesu Christi, innóxia morte ad vitam misericórditer revocáre dignátus es : Te súpplices exorámus, ut hoc singuláre signum, quod ad exémplum primi illíus sacratíssimi vexílli, quo pretióso Fílii tui Sánguine triumphásti, fidélium tuórum devotióne compáctum, erectúmque est, cælésti tua bene ✠ dictióne sanctificáre dignéris; ut ómnibus hic génua flecténtibus, ac tuæ Majestáti supplicántibus, lárgior et cordis compúnctio, et admissórum indulgéntia concedátur, atque intercedénte ipsa victoriosíssima unigéniti Fílii tui Passióne, et tibi plácita postuláre, et cítius váleant postuláta percípere. Da, quæsumus, clementíssime Pater, in quo vívimus, movémur et sumus : ut, quóties triúmphum divínæ humilitátis, quæ supérbiam nostri hostis dejécit, óculis intuémur quotiésque mente recólimus, et contra hostem ipsum fidúciam fortitúdinis, et majórem tibi devótæ humilitátis grátiam consequámur : quátenus in illo treméndo tuæ Majestátis exámine, cum pavéntibus eleméntis, cælorúmque commótis virtútibus, signum istud glorificum Redemptiónis nostræ apparúerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transíre, ac perpétua beátæ resurrectiónis vidére gáudia mereámur. Quod sequitur, dicitur submissa voce legendo, ita tamen, ut a circumstantibus audiri possit : Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, qui beátæ Crucis patíbulum, quod prius erat sceléstis ad pœnam, convertísti redémptis ad vitam : concéde plebi tuæ ejus vallári præsídio, cujus est armáta vexíllo. Sit ei Crux fídei fundaméntum, spei suffrágium, in advérsis defénsio, in prósperis adjuvámen : sit ei in hostes victória, in civitáte custódia, in campis protéctio, in domo fultúra : ut per eam Pastor in futúro gregem consérvet incólumem, quæ nobis, Agno ✠ vincénte, convérsa est in salútem. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

SAnctí ✠ fica, Dómine Jesu Christe, signáculum istud Passiónis tuæ; ut sit inimícis tuis obstáculum, et credéntibus in te perpétuum efficiátur victóriæ vexíllum : Qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tum offertur Sacerdoti thus in navicula, quod stans benedicit, dicens :

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, cui assístit exércitus Angelórum cum tremóre, quorum servítium spirituále, et ígneum esse cognóscitur : dignáre respícere, bene✠dícere, et sancti✠ficáre hanc creatúram incénsi, ut omnes languóres, omnésque infirmitátes, atque insídiæ inimíci, odórem ejus sentiéntes, effúgiant, et separéntur a plásmate tuo; ut numquam lædátur a morsu antíqui serpéntis, quod pretióso Fílii tui Sánguine redemísti. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, Sacerdos imponit thus in thuribulum. Deinde aspergit Crucem aqua benedicta, et mox eam incensat. Tunc dicit adhuc stans :

1. Si Crux sit ex ligno :

Sanctificétur lignum istud in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus✠ Sancti : et benedíctio illíus ligni,

in quo membra sancta Salvatóris suspénsa sunt, sit in isto ligno; ut orántes inclinantésque se propter Deum ante istam Crucem, invéniant córporis et ánimæ sanitátem. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejusdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tum Sacerdos flexis ante Crucem genibus ipsam devote adorat, et osculatur. Idem faciunt quicumque alii voluerint.

2. Si vero Crux sit ex metallo vel lapide, loco præcedentis Orationis : Sanctificétur, etc., Sacerdos stans dicit sequentem Orationem :

DEus glóriæ, Deus excélse Sábaoth, fortíssime Emmánuel, Deus Pater veritátis, Pater sapiéntiæ, Pater beatitúdinis, Pater illuminatiónis ac vigilatiónis nostræ; qui mundum regis, qui cuncta regna dispónis, qui es bonórum collátor múnerum, et bonórum ómnium attribútor; cui omnes gentes, pópuli, tribus et linguæ sérviunt; cui assístit omnis Angelórum légio; qui largíris fámulis tuis fidem et laudem tui nóminis, ut débita tibi obláta persólvant: cui prius fides offeréntium cómplacet, deínde sacrificátur oblátio : quæsumus exorábilem misericórdiæ tuæ pietátem, ut sanctí ✠ fices tibi hoc signum Crucis, et cónse ✠ cres, quod tota mentis devotióne famulórum tuórum religiósa fides construxit, trophæum scílicet victóriæ tuæ ac redemptiónis nostræ, quod in amórem Christi triumphális glória consecrávit. Aspice hoc signum Crucis insuperábile, per quod diáboli exinaníta est potéstas, mortálium restitúta libértas : quæ licet fúerit aliquándo in pœnam, sed nunc versa est in honórem per grátiam, et quæ reos quondam puniébat supplício, nunc et nóxios absólvit a débito. Et tibi quid per hoc placére pótuit, nisi id, per quod tibi plácuit nos redímere? Et nullum tibi débitum ámplius munus est, quam quod tibi tunc córporis dedicávit affíxio : nec tibi est magis familiáris oblátio, quam quæ familiári mánuum tuárum extensióne sacráta est. Illis ergo mánibus hanc Crucem áccipe, quibus illam ampléxus es, et de sancti-

táte illíus hanc sanctí ✠ fica : et sícuti per illam mundus expiátus est a reátu, ita offeréntium famulórum tuórum ánimæ, devotíssimæ hujus Crucis mérito, omni cáreant perpetráto peccáto, et tuæ veræ Crucis obtéctu enitéscant succéssibus assíduis triumphatóres. Rádiet hic unigéniti Fílii tui Dómini nostri splendor divinitátis in auro, émicet glória Passiónis ejus in ligno; in Cruce rútilet nostræ mortis Redémptio; in crystálli splendóre vitæ nostræ purificátio. Sit suórum protéctio, spei certa fidúcia; eos simul cum gente et plebe fide confírmet, spe et pace consóciet : áugeat triúmphis, amplíficet in secúndis, proficiat eis ad perpetuitátem témporis, ad vitam æternitátis, ut eos temporáli floréntes glória múniat, et ad perpétuam redémptos corónam, ad regna cæléstia poténti virtúte perdúcat. Præsta per propitiatiónem Sánguinis ejus, per ipsum datórem qui seípsum dedit Redemptiónem pro multis, qui se hóstiam pro delíctis offérre dignátus est, qui exaltátus in ligno Crucis suæ principátus et potestátes humiliávit, qui tecum sidéreo cónsidet throno, indissolúbili connexióne Spíritus Sancti, per infiníta sæculórum sæcula. ℟. Amen.

Postea Sacerdos flexis ante Crucem genibus devote eam adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint.

ARTICULUS XIX

BENEDICTIO FONTIS SEU AQUÆ BAPTISMALIS

EXTRA PERVIGILIUM PASCHÆ ET PENTECOSTES,

CUM AQUA CONSECRATA NON HABETUR

1. Primum lavatur, et mundatur vas Baptisterii, deinde limpida aqua repletur. Tum Sacerdos cum suis Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce et duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo et incenso, et cum vasculis Chrismatis, et Olei Catechumenorum accedit ad Fontem, et ibi, vel ante altare Baptisterii, dicit Litanias ordinarias (Romanas), prout habentur supra (pag. 132).

2. Potest etiam dicere Litanias breviores, ut in Missali in Sabbato Sancto.

3. Sed ante ℣. Ut nos exaudíre dignéris, dicat et secundo repetat sequentem versum :

Ut Fontem istum ad regenerándam tibi novam prolem bene ✠ dícere, et conse ✠ cráre dignéris. ℟. Te rogámus, audi nos.

4. Dicto autem ultimo Kýrie, eléison, Sacerdos dicit : Pater noster et Credo in Deum, omnia clara voce : quibus finitis dicit :

℣. Apud te, Dómine, est fons vitæ.
℟. Et in lúmine tuo vidébimus lumen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, adésto magnæ pietátis tuæ mystériis, adésto sacraméntis : et ad recreándos novos pópulos, quos tibi fons Baptísmatis párturit, spíritum adoptiónis emítte, ut, quod nostræ humilitátis geréndum est ministério, virtútis tuæ impleátur effectu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ

EXorcízo te, creatúra aquæ, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te in princípio verbo separávit ab árida : cujus Spíritus super te ferebátur, qui te de Paradíso manáre jussit.

5. Hic manu aquam dividit, et deinde effundit eam extra marginem Fontis, versus quatuor mundi partes, prosequens :

Et in quátuor flumínibus totam terram rigáre præcépit : qui te in desérto amáram per lignum, dulcem fecit atque potábilem; qui te de petra produxit, ut pópulum, quem ex Ægýpto liberáverat, siti fatigátum recreáret. Exorcízo te per Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum

nostrum : qui te in Cana Galilææ signo admirábili sua poténtia convértit in vinum : qui super te pédibus ambulávit, et a Joánne in Jordáne in te baptizátus est. Qui te una cum Sánguine de látere suo produxit : et discípulis suis jussit, ut credéntes baptizárent in te, dicens : Ite, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti; ut efficiáris aqua sancta, aqua benedícta, aqua, quæ lavat sordes, et mundat peccáta. Tibi ígitur præcípio, omnis spíritus immúnde, omne phantásma, omne mendácium, eradicáre, et effugáre ab hac creatúra aquæ, ut qui in ipsa baptizándi erunt, fiat eis fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam, regénerans eos Deo Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, aquárum spirituálium sanctificátor, te supplíciter deprecámur : ut ad hoc ministérium humilitátis nostræ respícere dignéris, et super has aquas, abluéndis et purificándis homínibus præparátas, Angelum sanctitátis emíttas, quo, peccátis vitæ prióris ablútis, reatúque detérso, purum Sancto Spirítui habitáculum regeneráti éffici mereántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

6. Tunc sufflat ter in aquam, versus tres partes secundum hanc figuram ♆ : deinde imponit incensum in thuribulo, et Fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam in modum crucis, clara voce dicit :

Sanctificétur, et fœcundétur Fons iste óleo salútis renascéntibus ex eo in vitam ætérnam, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

7. Deinde infundit de Chrismate, modo quo supra, dicens :

Infúsio Chrísmatis Dómini nostri Jesu Christi, et Spíritus Sancti Paráclíti, fiat in nómine sanctæ Trinitátis. ℟. Amen.

8. Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti et Chrismatis, et de utroque simul in modum crucis infundendo, dicit :

Commíxtio Chrísmatis sanctificatiónis, et Olei unctiónis, et aquæ Baptísmatis páriter fiat in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

9. Tum, depositis ampullis, dextera manu Oleum sanctum, et Chrisma infusum miscet cum aqua et spargit per totum Fontem. Deinde medulla panis manum tergit; et si quis baptizandus sit, eum baptizat, ut infra. Quod si neminem baptizet, statim manus abluat, et ablutio effundatur in sacrarium.

CAPUT III

BENEDICTIO RERUM DEVOTIONI PRIVATÆ DESTINATARUM

ARTICULUS I

BENEDICTIO ET IMPOSITIO SCAPULARIUM

1. — Benedictio et impositio scapularis SS. Trinitatis R

PROPRIA ORDINIS SSMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, indutus superpelliceo et stola albi coloris, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es : obsecrámus imménsam tuæ largitátis abundántiam; ut hoc genus vestiménti, quod sancti patres ad innocéntiæ et humilitátis indícium abrenuntiántes sæculo ferre sanxérunt, tu ita bene ✠ dícere dignéris, ut hic fámulus tuus N., qui (hæc fámula tua N., quæ) hoc indútus (-a) fúerit vestiménto, te quoque indúere mereátur : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Mox aspergit scapulare aqua benedicta.

Deinde subjungit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : ut hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam), cui in tuo nómine hábitum Religiónis sanctíssimæ Trinitátis impónimus, tu ita bene ✠ dícere dignéris; ut te largiénte devótus (-a) persístat, et vitam cónsequi mereátur ætérnam. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Nunc imponit scapulare, dicens :

Accipe hábitum sanctíssimæ Trinitátis, in augméntum fídei, spei, et caritátis : in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulo tuo (fámulæ tuæ) in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem : quæsumus; ut ejúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniátur advérsis.

DEus, qui per sanctos Joánnem et Felícem Ordinem sanctíssimæ Trinitátis, ad rediméndum de potestáte Saracenórum captívos, cælitus institúere dignátus es : præsta, quæsumus; ut eórum suffragántibus méritis a captivitáte córporis et ánimæ, te adjuvánte, liberétur hic fámulus tuus (hæc fámula tua). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

SUscípiat te sanctíssima Trínitas in númerum confrátrum, consororúmque Confraternitátis nostræ : et licet te indígne suscípimus, in oratiónibus tamen nostris precámur, ut tibi sanctíssima Trínitas concédat tempus bene vivéndi, constántiam perseverándi; et sicut nos hódie fratérna cáritas spirituáliter jungit in terris, ita divína píetas, quæ dilectiónis est auctrix et amátrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in cælis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Datur benedictio, dicendo : Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te (vos), et máneat semper. ℟. Amen.

2. — Benedictio et impositio scapularis nigri SS. Crucis et Passionis D. N. J. C.

PROPRIA CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTISSIMÆ CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

Sacerdos indutus superpelliceo et stola rubea, eo genuflexo, cui scapulare est imponendum, dicere potest :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro Redemptióne mundi voluísti nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, a Juda traditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ínnocens ad víctimam duci, atque conspéctibus Annæ, Cáiphæ, Piláti et Heródis indecénter offérri, a falsis téstibus accusári, flagéllis et oppróbriis vexári, sputis cónspui, spinis coronári, cólaphis cædi, arúndine pércuti, fácie velári, véstibus éxui, Cruci clavis affígi et láncea vulnerári : tu, Dómine, per has sanctíssimas pœnas tuas, et sanctam Crucem et mortem tuam, hujus fámuli tui (fámulæ tuæ) intellléctum illúmina, afféctum inflámma, ut caritátis tuæ dulcédine perfúsus (-a) lácrimas compunctiónis júgiter effúndat, totáque virtúte te díligat, et quæ tibi plácita sunt, tota dilectióne perficiat : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Prædictæ tamen preces omitti possunt ad libitum. Deinde dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen mortalitátis nostræ assúmere dignátus es : te humíliter deprecámur; ut hoc induméntum, quod in memóriam tuæ sanctíssimæ Passiónis et mortis institútum fuit, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris; ut hic fámulus tuus, qui (hæc fámula tua, quæ) ipsum gestáverit, ejúsdem Passiónis párticeps efféctus (-a), ætérnam glóriam tuam cónsequi mereátur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Mox Sacerdos sacrum scapulare aspergit aqua benedicta, et illud imponit, dicens :

Induat te Dóminus novum hóminem, ut hac lúgubri pœniténtiæ téssera munítus (-a) júgiter aspícias ad Jesum, quem manus impiórum confixérunt, et dóleas super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. ℟. Amen.

Deinde subjungit :

Et ego ex facultáte mihi concéssa recípio te ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quibus ex Apostólico privilégio

gaudet Congregátio Sanctíssimæ Crucis et Passiónis Dómini nostri Jesu Christi. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

In fine tandem dicitur :

Pássio Dómini nostri Jesu Christi sit semper in córdibus nostris. Amen.

3. — Benedictio et impositio scapularis rubri Passionis et Sacratissimi Cordis D. N. J. C. atque Cordis amantissimi et compatientis B. Mariæ V. Immaculatæ R

PROPRIA CONGREGATIONIS MISSIONIS
(Approbata a S. R. C. die 25 Junii 1847)

Genuflexo eo, qui suscepturus est scapulare, Sacerdos, superpelliceo et stola rubra indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es, temetípsum exinanivísti, formam servi accípiens, et factus obédiens usque ad mortem Crucis : tuæ largitátis cleméntiam humíliter implorámus, ut hoc genus vestiménti, quod in honórem et memóriam dolorosíssimæ Passiónis tuæ, tuíque sacratíssimi Cordis, necnon et Cordis amantíssimi ac compatiéntis immaculátæ Matris tuæ institútum fuit, atque ut illo indúti hæc mystéria devótius récolant, bene ✠ dícere dignéris; ut hic fámulus tuus, qui (hæc fámula tua, quæ) ipsum gestáverit, te quoque, per tua mérita et intercessiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ, indúere mereátur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Mox Sacerdos sacrum scapulare aqua benedicta aspergit, et illud imponit, dicens :

Accipe, caríssime frater (caríssima soror), hunc hábitum benedíctum, ut véterem hóminem exútus (-a) novúmque indútus (-a) ipsum digne pérferas, et ad vitam pervénias sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde subjungit :

Et ego, ex facultáte mihi concéssa, recípio te (vos) ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quæ per Sanctæ Sedis

Apostólicæ privilégium huic sancto scapulári, in grátiam Congregatiónis Missiónis, concéssa sunt. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Denique dicitur trina vice versiculus sequens :

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, quos pretióso Sánguine redemísti.

4. — Benedictio et impositio scapularis cærulei B. Mariæ Virginis Immaculatæ R

PROPRIA CLER. REGUL. THEATINORUM

Qui suscepturus est scapulare, genuflectit; et Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es, tuæ largitátis cleméntiam humíliter implorámus : ut hoc genus vestiménti, quod in honórem et memóriam Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis Immaculátæ, nec non ut illo indúti exórent in hóminum pravórum morum reformatiónem, institútum fuit, bene ✠dícere dignéris; ut hic fámulus tuus, qui eo usus fúerit (vel hæc fámula tua, quæ eo usa fúerit, vel hi fámuli tui, qui eo usi fúerint, vel hæ fámulæ tuæ, quæ eo usæ fúerint), eádem beáta María Vírgine intercedénte, te quoque indúere mereátur (-ántur) : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos nihil dicendo aspergit scapulare (vel scapularia) aqua benedicta : deinde illud (vel illa) imponit, cuilibet dicens :

Accipe, frater (soror), scapuláre Conceptiónis beátæ Maríæ Vírginis Immaculátæ : ut, ea intercedénte, véterem hóminem exútus (-a) et ab omni peccatórum inquinaménto mundátus (-a), ipsum pérferas sine mácula, et ad vitam pervénias sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea subjungit :

Et ego, ex facultáte mihi concéssa, recípio te (vos) ad participatiónem bonórum ómnium spirituálium, quæ in Clericórum

Regulárium Congregatióne ex grátia Dei fiunt, et quæ per Sanctæ Sedis Apostólicæ privilégium concéssa sunt.

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Denique dicat trina vice, flexis genibus, Orationem sequentem vulgari sermone una cum adscripto (vel adscriptis) :

Laudes ac grátiæ sint omni moménto sanctíssimo ac divinísimo Sacraménto.

Et benedícta sit sancta et Immaculáta Concéptio beatíssimæ Vírginis Maríæ, Matris Dei.

Hortetur fideles ut hæc elogia sæpe sæpius repetant ad Indulgentias iis adnexas consequendas. (Decr. Pii VII, die 30 Junii 1818, Breve Leonis XIII, die 10 Sept. 1878, Decr. Pii X, die 10 Apr. 1913).

5. — Benedictio et impositio scapularis nigri Septem Dolorum B. Mariæ Virginis R

PROPRIA ORDINIS SERVORUM B. M. V.

Suscepturus habitum genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo ac stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui morte Unigéniti tui mundum collápsum restauráre dignátus es, ut nos a morte ætérna liberáres, et ad gáudia regni cæléstis perdúceres : réspice, quæsumus, super hanc famíliam servórum tuórum, in nómine beatíssimæ Vírginis Septem Dolóribus sáuciæ congregátam, de cujus grémio hic fámulus tuus (hæc fámula tua) esse cupit (vel hi fámuli tui esse cúpiunt); ut augeátur númerus tibi fidéliter serviéntium, et ómnibus sæculi et carnis perturbatiónibus liberátus (liberáta vel liberáti) et a láqueis diáboli secúrus (secúra vel secúri) intercessióne ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis, beatórum Augustíni et Philíppi ac septem nostrórum beatórum Patrum Ordinis Fundatórum, vera gáudia possídeat (-ant). Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Conversus ad habitum super altare positum, Sacerdos dicit :

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es, obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam : ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres nostri ad innocéntiæ humilitatísque indícium, in memóriam septem Dolórum beátæ Vírginis Maríæ nos ferre sanxérunt, ita bene ✠ dícere dignéris; ut, qui (quæ) illis fúerit indútus (indúta vel fúerint indúti), córpore páriter et ánimo índuat (-ant) te Salvatórem nostrum : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergit habitum aqua benedicta, dicens :

Aspérges me, Dómine, hyssópo et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Deinde benedicit coronam septem Dolorum B. Mariæ Virg., dicens :

Orémus Oratio

OMnípotens et misércors Deus, qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, pro redemptióne nostra de cælis ad terram descéndere, carnem suscípere, et Crucis torméntum subíre voluísti : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut hanc corónam, in memóriam septem Dolórum Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam, bene ✠ dícas, et sanctí ✠ fices, et ei tantam Spíritus ✠ Sancti virtútem infúndas, ut, quicúmque eam recitáverit, ac secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo a beatíssima Vírgine María tibi, bonis opéribus coronátus, præsentári mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergit coronam aqua benedicta.

Mox Sacerdos imponit habitum cuilibet coram se genuflexo, dicens :

Accipe, caríssime Frater (caríssima Soror), hábitum beátæ Maríæ Vírginis, singuláre signum servórum suórum, in memóriam septem Dolórum, quos ipsa in vita et morte Unigéniti Fílii sui sustínuit; ut ita indútus (-a), sub ejus patrocínio, perpétuo vivas. ℟. Amen.

Postea coronam porrigit, dicens :

Accipe corónam beátæ Maríæ Vírginis in memóriam septem Dolórum suórum contéxtam, ut, dum eam ore laudáveris, ejus pœnas toto corde compatiáris. ℟. Amen.

Deinde personam benedicit, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te (vos), et máneat semper. ℟. Amen.

6. — Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ V. de Monte Carmelo ℟

PROPRIA ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

Persona recipienda ad habitum genuflexa, Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus dicat :

Ant. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui : secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ, justítia plena est déxtera tua.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam) :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eam).
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

SUscípiat te Christus in número fidélium suórum, et nos, licet indígni, te suscípimus in oratiónibus nostris. Concédat tibi Deus per Unigénitum suum, mediatórem Dei et hóminum, tempus bene vivéndi, locum bene agéndi, constántiam bene perseverándi, et ad ætérnæ vitæ hereditátem felíciter perveniéndi : et sicut nos hódie fratérna cáritas spirituáliter jungit in terris, ita divína píetas, quæ dilectiónis est auctrix et amátrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in cælis. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum :
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ÆTérne Pater et omnípotens Deus, qui Unigénitum tuum vestem nostræ mortalitátis indúere voluísti : obsecrámus imménsam tuæ largitátis bene ✠ dictiónem in hoc genus efflúere vestiménti, quod sancti Patres ad innocéntiæ et humilitátis indícium a renuntiántibus sæculo gestári sanxérunt; et sic ipsum bene ✠ dícere dignéris, ut, quicúmque eo usus fúerit, indúere mereátur ipsum Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

SUpplíciter te, Dómine, rogámus, ut super hunc hábitum servo tuo (ancíllæ tuæ) imponéndum bene ✠ díctio tua benígna descéndat, ut sit bene ✠ dictus, atque divína virtúte procul pellántur hóstium nostrórum visibílium et invisibílium tela nequíssima. ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedicta.

¶ Si autem habitus solum sit benedicendus, incipit a ℣. Adjutórium nostrum, usque ad Orationem Supplíciter, inclusive.

Imponens ei habitum, dicat :

Accipe, vir devóte (múlier devóta), hunc hábitum benedíctum : precans sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte deféndat, atque ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et hunc fámulum tuum, quem (hanc fámulam tuam, quam) Sodalitáti sanctæ Religiónis Carmelitárum sociámus, perpétua tríbue firmitáte corroborári, ut, perseveránti propósito, in omni sanctitáte tibi váleat famulári.

Prótege, Dómine, fámulum tuum (fámulam tuam) subsídiis pacis, et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntem, a cunctis hóstibus redde secúrum (-am).

Bene ✠ dícat te Cónditor cæli et terræ, Deus omnípotens, qui te elígere dignátus est ad beatíssimæ Vírginis Maríæ de Monte

Carmélo Societátem et Confraternitátem : quam precámur, ut in hora óbitus tui cónterat caput serpéntis, qui tibi est adversárius, et tandem tamquam victor (victrix) palmam, et corónam sempitérnæ hereditátis consequáris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Confratrem aqua benedicta, et subjungat :

Ego auctoritáte, qua fungor, et mihi concéssa, recípio te ad Confraternitátem sacræ Religiónis Carmelitárum, et invéstio, ac partícipem te fácio ómnium bonórum spirituálium ejúsdem Ordinis. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

His expletis, Sacerdos Confratrem paucis sed efficacioribus verbis adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ad onera omnia adimplenda tum generalia pro omnibus Confratribus, tum specialia pro iis, qui gaudere volunt privilegio, vulgo nuncupato « Sabbatino » (circa quæ eumdem sufficienter instruat), atque ad Virginem Deiparam in posterum peculiaribus devotionis obsequiis assidue colendam, eamque veluti singularem ac dulcissimam Matrem filiali et sincero affectu prosequendam.

7. — Formula brevior benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo R

QUÆ ADHIBERI POTEST, PRÆSERTIM IN PRIVATIS RECEPTIONIBUS, VEL OCCASIONE MAGNI CONCURSUS, AD MAJOREM SACERDOTIS RECIPIENTIS COMMODITATEM

(Approbata a S. R. C. die 24 Julii 1888)

Persona recipienda ad habitum genuflexa, Sacerdos superpelliceo et stola albi coloris, aut saltem stola indutus, dicat :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, humáni géneris Salvátor, hunc hábitum, quem propter tuum tuæque Genitrícis Vírginis Maríæ de Monte Carmélo amórem servus tuus (ancílla tua) devóte est delatúrus (-a) déxtera tua sancti ✠ fica, ut eádem Genitríce tua intercedénte, ab hoste malígno defénsus (-a) in tua grátia usque

ad mortem persevéret : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergat habitum aqua benedicta, et postea illum imponat personæ, vel personis (cuilibet separatim) dicens :

Accipe hunc hábitum benedíctum precans sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte deféndat, atque ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

Postea subjungat :

Ego, ex potestáte mihi concéssa, recípio te (vos) ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quæ, cooperánte misericórdia Jesu Christi, a Religiósis de Monte Carmélo peragúntur. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Bene ✠ dícat te (vos) Cónditor cæli et terræ, Deus omnípotens, qui te (vos) cooptáre dignátus est in Confraternitátem beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo : quam exorámus, ut in hora óbitus tui (vestri) cónterat caput serpéntis antíqui, atque palmam et corónam sempitérnæ hereditátis tandem consequáris (consequámini). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur persona aqua benedicta. Si plures simul recipiendi sint, mutetur numerus.

Si habitus solummodo benedicendus sit, tunc benedictio incipit a ℣. Osténde, et concluditur cum Oratione Dómine Jesu Christe.

8. — Formula brevior

benedicendi et imponendi quinque scapularia R

SANCTISSIMÆ TRINITATIS, PASSIONIS D. N. J. C., BEATÆ MARIÆ VIRGINIS SUB RESPECTIVO TITULO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS, SEPTEM DOLORUM ET MONTIS CARMELI

Suscepturi scapularia genuflectunt; et Sacerdos, superpelliceo ac stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, ómnium caput fidélium, et humáni géneris Salvátor, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es : obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam, ut indu-

ménta hæc in obséquium sanctíssimæ Trinitátis institúta, necnon in honórem et memóriam dolorosíssimæ Passiónis tuæ, in honórem beatíssimæ Vírginis Matris tuæ sub título Immaculátæ Conceptiónis, septem Dolórum et Montis Carméli, ita bene ✠-dícere et sancti ✠ ficáre dignéris; ut, qui (quæ) ea assúmpserint, eádem Genitríce tua intercedénte, te quoque salutáre nostrum, córpore et ánima indúere mereántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Mox Sacerdos omnibus scapularia singillatim imponat, ac deinde formulam proferat supra omnes simul :

1. Accípite hábitum Ordinis sanctíssimæ Trinitátis in fídei, spei, et caritátis augméntum, ut induátis novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanetitáte.

2. Accípite scapuláre Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, ut véterem hóminem exúti novúmque indúti, ipsum digne perferátis, et ad vitam perveniátis sempitérnam.

3. Accípite scapuláre devotórum beatíssimæ Maríæ Vírginis sine labe concéptæ, ut ejus intercessióne ab omni inquinaménto mundáti, ad vitam perveniátis ætérnam.

4. Accípite hábitum Servórum beatíssimæ Maríæ Vírginis septem Dolóres ejus devóte recoléntium, ut dolóres ipsos assídue recogitántes, Passiónem Dómini nostri Jesu Christi in corde et córpore vestro impréssam júgiter teneátis.

5. Accípite hábitum Societátis et Confraternitátis beátæ Maríæ Vírginis de Monte Carmélo, precántes eámdem sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum perferátis sine mácula et vos ab omni adversitáte defendat atque ad vitam perdúcat ætérnam.

Ego ex facultáte Apostólica mihi delegáta, recípio vos in participatiónem bonórum spirituálium horum Ordinum seu Congregatiónum, et indulgentiárum quæ per Sanctæ Sedis privilégia prædíctis scapuláribus concéssæ sunt. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et quibus in tuo nómine sacros hábitus imposúimus, ita bene ✠ dícere dignéris, ut tuæ grátiæ cooperántes, vitam cónsequi mereántur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Ámen.

Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personæ sint scapularia imponenda.

9. — Benedictio scapularis pretiosi Sanguinis ℟

Scapulare fieri solet ex lana rubei coloris cum imagine Ssmi Crucifixi, vel Ssmi Cordis D. N. J. C. Sanguinem manantis super Calicem.

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo ac stola rubea indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo.
℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.
℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni :
℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ÆTérne Pater, et omnípotens Deus, qui Unigénitum tuum vestem nostræ mortalitátis indúere, et Sánguinem suum pretiósum pro mundi salúte effúndere voluísti : obsecrámus cleméntiam tuam, ut hoc genus vestiménti quod in signum devotiónis fidélium erga salútis nostræ prétium institútum est, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris; ut, quicúmque eo usus fúerit, indúere mereátur eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

10. — Benedictio et impositio scapularis sacri Cordis Jesu R

(Approbata a S. R. C. die 4 Aprilis 1900)

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu, qui ineffábiles Cordis tui divítias Ecclésiæ sponsæ tuæ singulári dilectiónis benefício aperuísti : hoc scapuláre ejúsdem Cordis tui emblémate decorátum bene ✠ dícere dignéris; ut, quicúmque illud devóte gestáverit, intercedénte beáta et clementíssima Genitríce tua María, virtútibus et donis cæléstibus ditári mereátur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos scapulare aspergat aqua benedicta, illudque imponat, dicens :

Accipe, Frater (Soror), hoc scapuláre sacri Cordis Jesu, quo ornátus (-a) in honórem et memóriam amóris et passiónis ejus, per intercessiónem beátæ Maríæ Vírginis, Matris misericórdiæ, divínæ grátiæ largitátem et ætérnæ glóriæ fructum cónsequi mereáris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si scapulare pluribus imponatur, omnia plurali numero dicantur.

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernaculo idiomate sequentes preces jaculatorias :

Jesu, mitis et húmilis corde, fac cor nostrum sicut Cor tuum.

María, Mater grátiæ, Mater misericórdiæ, tu nos ab hoste prótege, et mortis hora súscipe.

11. — Benedictio et impositio scapularis Immaculati Cordis B. Mariæ Virginis ℟

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola coloris albi indutus, dicit :

Ant. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui : secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : justítia plena est déxtera tua.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvum (salvam, vel salvos) fac servum tuum (ancíllam tuam, vel servos tuos) :
℟. Deus meus, sperántem (-es) in te.
℣. Mitte ei (-s), Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eum (eam, vel eos).
℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea, vel eis).
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei(-s).
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

SUscípiat te (vos) Christus in número fidélium suórum, et nos, licet indígni, te (vos) suscípimus in oratiónibus nostris. Concédat tibi (vobis) Deus, per Unigénitum suum, mediatórem Dei et hóminum, tempus bene vivéndi, locum bene agéndi, constántiam bene perseverándi, et ad ætérnæ vitæ hereditátem felíciter perveniéndi. Et sicut nos hódie fratérna cáritas spirituáliter jungit in terris, ita divína píetas, quæ dilectiónis est auctrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in cælis : Per cúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea benedicit scapulare dicens :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, cujus verbo sanctificántur ómnia, bene✠dictiónem tuam effúnde super hábitum istum (hábitus istos) : et præsta ; ut, qui eo (eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit (usi fúerint), per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitátem et ánimæ tutélam, te auctóre, percípia(n)t. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta scapulare, et singulis petentibus illud imponit, dicens :

Accipe, Frater (Soror), hunc hábitum benedíctum, precans sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, teque ab omni adversitáte deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. ℟. Amen.

12. — Benedictio et impositio scapularis sacrorum Cordium Jesu et Mariæ R

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

CLementíssime Deus, qui ad peccatórum salútem et miserórum perfúgium Cor Fílii tui Jesu Christi caritáte et misericórdia plenum et Cor beátæ Maríæ Vírginis eídem simíllimum esse voluísti; hoc scapuláre in honórem et memóriam eorúmdem sacrórum Córdium gestándum bene ✠ dícere dignéris, ut hic fámulus tuus indútus (hæc fámula tua indúta), méritis et intercessióne ipsíus Deíparæ Vírginis, secúndum Cor Jesu inveníri mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos scapulare aspergat aqua benedicta, illudque imponat, dicens :

Accipe, Frater (Soror), scapuláre sacrórum Córdium Jesu et Maríæ, ut sub ejus protectióne et custódia, utriúsque sacratíssimi Cordis virtútes recoléndo et imitándo, resurrectiónis glóriæ

dignus (-a) efficiáris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si scapulare pluribus imponatur, omnia plurali numero dicantur.

Deinde una vice cum adscripto dicat sive latino sive vernaculo idiomate sequentes preces jaculatorias :

Cor Jesu sacratíssimum, miserére nobis.
Cor Maríæ immaculátum, ora pro nobis.

13. — Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ Virginis de Mercede R

PROPRIA ORD. B. M. V. DE MERCEDE REDEMPT. CAPTIVORUM

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui tégumen nostræ mortalitátis indúere dignátus es : obsecrámus imménsæ largitátis tuæ abundántiam; ut hunc hábitum, quem sancti Patres ad innocéntiæ et sanctitátis indícium ferre sanxérunt, ita bene ✠ dícere dignéris, ut, qui eo usus fúerit, te indúere mereátur : Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde aspergat habitum aqua benedicta, et eo postulantem induat, dicens :

Ego auctoritáte Dómini nostri Jesu Christi, et Apostolórum Petri et Pauli, et mihi commíssa, do tibi hábitum Religiónis beátæ Maríæ de Mercéde, propter devotiónem, quam geris ad sacratíssimam et immaculátam Matrem Dei Maríam, et Ordinem ejus sub nómine fundátum : cum quo in præsénti grátiam Spíritus Sancti adipísci váleas, et in futúro sæculo glóriam ætérnam, quæ præmium est electórum. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Postea dicatur Hymnus Veni, Creátor Spíritus, etc., p. 92.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.
℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam) :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam) bene ✠ dícere dignéris, cui in tuo sancto nómine hábitum sanctæ Religiónis beátæ Maríæ de Mercéde impónimus, quem ex devotióne cupit portáre, dum vitam dúxerit in humánis; ut, te largiénte, et devótus (-a) in Ecclésia persístere, et vitam percípere mereátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

14. — Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ Virginis sub titulo Salus infirmorum R

PROPRIA CLERICORUM REGULARIUM INFIRMIS MINISTRANTIUM

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo ac stola albi coloris indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, quæsumus, induméntum hoc : et præsta; ut, quicúmque illud in honórem Maríæ Deíparæ, Salútis infirmórum, súmpserint, mentis et córporis sanitáte gáudeant, et in hora éxitus sui ad vitam perducántur ætérnam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Deinde benedicuntur parvæ Cruces rubri coloris, scapularibus adnectendæ.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, Cruces istas, ut sint remédium salutáre fidélibus : et præsta per invocatiónem sancti Nóminis tui; ut, quicúmque eas portáverint, córporis sanitátem, et ánimæ tutélam accípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Crucis signum pretióso Fílii tui Sánguine consecrásti, per eámdem sanctíssimam Crucem et mortem ipsíus Fílii tui Jesu Christi, mundum redímere voluísti,

ac per ejúsdem venerábilis Crucis virtútem hóminum genus ab antíqui hostis tyránnide liberásti : te supplíciter exorámus, ut tua pietáte has Cruces bene ✠ dícere dignéris, et cæléstem ejus virtútem et grátiam impertíri; ut, quicúmque eas super se gestáverit, cæléstis grátiæ plenitúdinem recípere, et Christum contra omnes diabólicas versútias defensórem habére mereátur : Qui tecum, et cum Spíritu Sancto vivit et regnat, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Postea benedicitur corona Domini pro agonizantibus.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ.
℟. Et campi tui replebúntur ubertáte.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui in similitúdinem hóminum factus, et in mundo conversátus, tam multa pati pro hóminum salúte et in Cruce mortem subíre voluísti : dignáre, quæsumus, hanc bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre corónam; ut, qui eam pie gestáverit, et devóte recitáverit, multíplici grátiæ et indulgéntiæ tuæ dono ditátus, ætérnam in cælo corónam obtinére mereátur : et fidéles étiam toto orbe terrárum in extrémis laborántes, misericórdia tua adjúti, de agóne ad perpétuam tuæ claritátis glóriam pertíngere váleant. Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Deinde fidelis huic piæ Societati adscribitur, dicendo :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens et misericors Deus, te humíliter deprecámur : ut, qui piæ huic Societáti nomen déderint, beatíssimam Vírginem Maríam infirmórum Salútem exorántes, et córporum medélam obtíneant et ánimæ sanitátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es, eíque moriénti una cum ipsa Immaculáta Vírgine adstitísti : concéde; ut, eo intercedénte, in hora éxitus nostri sanctíssimum tuum et Maríæ nomen invocémus, atque ætérnam íngredi réquiem valeámus : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, qui sanctum Camíllum singulári caritátis prærogatíva decorásti, ac novæ prolis ad infirmórum subsídium effecísti patrem : ejus mérit s et intercessióne concéde; ut, qui ægrotándo labórant, ad ánimæ salútem proficiant sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea scapulare porrigitur, cuilibet dicendo :

Accipe, Frater (Soror), hábitum hunc, singuláre signum piæ Societátis sub título Sanctíssimæ Vírginis de Salúte, ac sanctórum Joseph et Camílli, ut ita indútus (-a), sub eórum patrocínio, perpétuo vivas. ℟. Amen.

Postremo corona porrigitur, cuilibet dicendo :

Accipe corónam Dómini nostri Jesu Christi, in memóriam Passiónis ejus contéxtam : ut, cum eum ore laudáveris, omnes in agóne constitúti patiénter dolóres sustíneant, et ad vitam pervéniant sempitérnam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te (vos), et máneat semper. ℟. Amen.

15. — Benedictio et impositio scapularis[1] B. Mariæ V. de Bono Consilio R

PROPRIA ORD. EREMITARUM S. AUGUSTINI

(Approbata a S. R. C. die 21 Dec. 1893).

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :

℟. Qui fecit cælum et terram.

[1] Scapulare istud conficiatur ex binis de more partibus laneis albi coloris simul conjunctis per duplicem chordulam seu vittam. Altera pars habeat superimpositam impressam, in serica vel simili materie, imaginem B. Mariæ, quæ colitur in Sanctuario Genestani cum verbis inscriptis : MATER BONI CONSILII. Pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, videlicet trinam coronam cum clavibus et verba inscripta latine seu vernacule : « Fili, acquiesce consiliis ejus » (Leo XIII).

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui Magni Consílii Angelus, et Admirábilis Consiliárius homínibus per Incarnatiónem tuam adfuísti: hoc scapuláre beátæ Maríæ, Matris tuæ a Bono Consílio, bene ✠ dícere dignéris, ut hæc insígnia gestántes per grátiam tuam recta consília secúti bonis pérfrui mereántur ætérnis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea aspergit scapulare aqua benedicta, atque illud imponens dicit:

Accipe, Frater (Soror), hæc insígnia beátæ Maríæ Vírginis, Matris Boni Consílii; ut, ea inspiránte, quæ Deo plácita sunt, digne semper perfícias, et cum eléctis suis consociári mereáris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc prosequitur:

℣. Ora pro nobis, Mater Boni Consílii.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

DEus, qui Genitrícem dilécti Fílii tui matrem nobis dedísti, ejúsque speciósam imáginem mira apparitióne clarificáre dignátus es: concéde, quæsumus; ut ejúsdem mónitis júgiter inhæréntes, secúndum Cor tuum vívere, et ad cæléstem pátriam felíciter pervenire valeámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

16. — Benedictio et impositio scapularis Sancti Joseph Sponsi B. Mariæ Virginis Protectoris Ecclesiæ Universalis R

PROPRIA ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCCIN.

(Approbata a S. R. C. die 18 April. 1893).

Suscepturus scapulare genuflectit; et Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini:
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui custódiæ sancti Joseph, Sponsi immaculátæ Genitrícis tuæ Maríæ, commítti voluísti : hoc vestiménti genus ad Ecclésiæ tuæ fidélium tutámen institútum bene ✠dícere dignéris; ut hic fámulus tuus (hæc fámula tua) sub ejúsdem sancti Joseph protectióne pie et tute tibi servíre váleat : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos scapulare aspergat aqua benedicta, illudque imponat dicens :

Accipe, Frater (Soror), scapuláre sancti Joseph Sponsi beátæ Maríæ Vírginis, ut eo protectóre et custóde, contra diáboli nequítias defénsus (-a), ad vitam pervénias sempitérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, flexis genibus, trina vice, una cum adscripto, dicat vernaculo idiomate :

Sancte Joseph, Protéctor noster, ora pro nobis.

ARTICULUS II

BENEDICTIONES ROSARIORUM ET CORONARUM

1. — Benedictio coronæ seu trisagii Ssmæ Trinitatis R

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui per Fílium tuum unigénitum, ac per Prophétas et Apóstolos tuos, sanctíssimæ Trinitátis mystérium reveláre dignátus es, ut sanctórum Angelórum choros imitántes in terris, dignas et devótas tibi laudes referámus : tuam obsecrámus cleméntiam; ut hæc triságia, quæ (hoc triságium, quod) in honórem et laudem ejúsdem sanctíssimæ Trinitátis ab Ecclésia fidéli dicáta sunt (dicátum est), bene ✠dícas et sancti✠fices, eísque (eíque) tantam infúndas Spíritus ✠ Sancti virtútem, ut, quicúmque horum quódlibet portáverit, atque in domo sua reverénter serváverit, seu devóte recitáverit, tua divína virtúte ab ómnibus ánimæ et córporis perículis eruátur; sitque consors et párticeps gratiárum ómnium, privilegiórum et indul-

gentiárum, quæ ab Apostólica Sede concéssa fuérunt; atque in éxitu suo a sanctis Angelis tuis in conspéctu divínæ majestátis præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

Et aspergatur (vel aspergantur) aqua benedicta.

2. — Benedictio coronæ Domini R

PROPRIA ORDINIS CAMALDULENSIUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ.
℟. Et campi tui replebúntur ubertáte.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui in similitúdinem hóminum factus, trigínta et tribus annis es conversátus in mundo, et multa passus pro hóminum salúte, in Cruce demum mori voluísti : dignáre, quæsumus, hanc (has) bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre corónam, quam (corónas, quas) beáto Michaéli Eremítæ Camaldulénsi ad vitam, passiónem et mortem tuam recoléndam institúere jussísti; ut, qui eam (eas) pie gestáverit (gestáverint) et devóte recitáverit (recitáverint), multíplici gratiárum et indulgentiárum consecutióne corónas in cælo ætérnas obtinére mereátur (mereántur). Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur (vel aspergantur) aqua benedicta.

3. — Benedictio coronæ pretiosissimi Sanguinis R

PROPRIA CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS

Constat corona precatoria triginta tribus granis, in septem distinctis partes, quarum quæque quinque habet granulos, septima parte excepta, quæ tantum tres numerat; ut ita honorentur septem Sanguinis Christi præcipuæ effusiones recitatione triginta trium Pater et septem Glória.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo.
℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.
℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni :
℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut has corónas in honórem, et laudem pretiósi Sánguinis ejúsdem Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátas bene ✠ dícas, et sanctí ✠ fíces, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus ✠ Sancti, ut, quicúmque harum quámlibet secum portáverit, aut in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et post éxitum suum, méritis ipsíus pretiosíssimi Sánguinis, ad ætérnam beatitúdinem felíciter pervéniat. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergántur aqua benedicta.

4. — Benedictio coronæ sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virginis R

PROPRIA ORDINIS PRÆDICATORUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut hæc signa Rosárii, in honórem et laudem ejúsdem Genitrícis

Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta, bene ✠ dícas et sanctí- ✠ fices, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus ✠ Sancti, ut, quicúmque horum quódlibet secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis ad te, secúndum hujus sanctæ Societátis institúta, divína contemplándo mystéria devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum, et indulgentiárum, quæ eídem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Formula brevior benedicendi coronam sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virginis R

PROPRIA EJUSDEM ORDINIS

(Approbata a S. R. C. die 23 Nov. 1918)

AD laudem et glóriam Deíparæ Vírginis Maríæ, in memóriam mysteriórum vitæ, mortis et resurrectiónis ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, bene ✠ dicátur et sancti ✠ ficétur hæc sacratíssimi Rosárii coróna : in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

5. — Benedictio coronæ septem Dolorum B. Mariæ Virg. R

PROPRIA ORDINIS SERVORUM B. M. V.

Sacerdos, superpelliceo ac stola alba indutus, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Jesum Christum, pro redemptióne nostra de cælis ad terram descéndere, carnem suscípere, et Crucis torméntum subíre voluísti : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam ; ut hanc corónam, in memóriam septem Dolórum Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam, bene ✠ dícas et sanctí ✠ fices, et ei tantam

Spíritus ✠ Sancti virtútem infúndas, ut, quicúmque eam recitáverit, ac secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo a beatíssima Vírgine María tibi, bonis opéribus coronátus, præsentári mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat coronam aqua benedicta.

Formula brevior benedicendi coronam septem Dolorum B. Mariæ Virginis R

PROPRIA EJUSDEM ORDINIS

(Approbata a S. R. C. die 11 Febr. 1925)

Hæc formula tantummodo privatim adhiberi potest, si quando, ratione circumstantiarum, valde incommodum sit longiorem adhibere.

AD laudem et glóriam Deíparæ Vírginis Maríæ, in memóriam Dolórum quos ipsa in vita et morte ejúsdem Fílii sui Dómini nostri Jesu Christi sustínuit, bene ✠ dicátur et sancti ✠ ficétur hæc coróna : in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

6. — Benedictio coronæ septem Gaudiorum B. M. V. R

Ad benedicendam coronam Franciscanam septem Gaudiorum B. M. V. eique concessas Indulgentias applicandas, sufficit ut Sacerdos facultatem habens, faciat signum Crucis super eam cum intentione dictas Indulgentias applicandi. Si vero ex devotione adhibere voluerit certam formulam, utatur sequenti :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut hanc corónam, in memóriam septem Gaudiórum Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam, bene ✠ dícas et sanctí ✠ fices, et ei tantam Spíritus ✠ Sancti virtútem infúndas; ut quicúmque eam recitáverit, ac secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo a beatíssima

Vírgine María tibi, bonis opéribus coronátus, præsentári mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde corona aspergatur aqua benedicta.

7. — Benedictio coronæ S. Joseph R

PROPRIA ORDINIS CARMELITARUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui propter nímiam caritátem, qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum Dóminum nostrum Jesum Christum pro redemptióne nostra de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ útero, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, ut nos de potestáte inimíci eríperes : obsecrámus cleméntiam tuam, ut hanc corónam in honórem, et laudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui, ac perdilécti ejus Sponsi Joseph, conféctam, et dicátam, bene ✠ dícas, eíque tantam Sancti ✠ Spíritus virtútem infúndas; ut, quicúmque hanc secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, ab omni hoste visíbili et invisíbili, semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo, a beatíssimis illis Sponsis, plenus bonis opéribus tibi præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

8. — Benedictio coronæ S. Birgittæ R

PROPRIA ORDINIS SSMI SALVATORIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui propter nímiam caritátem tuam, qua dilexísti nos, Fílium tuum Dóminum nostrum Jesum Christum pro redemptióne nostra de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis útero, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli : obsecrámus imménsam cleméntiam tuam, ut hanc corónam in honórem et laudem

Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicátam bene ✠ dícas et sanctí ✠ fices, eíque tantam infúndas virtútem Spíritus ✠ Sancti; ut, quicúmque eam portáverit, vel recitáverit, aut domi reverénter tenúerit, ab omni hoste et adversitáte semper et ubíque liberétur, indulgéntias lucrári possit juxta mandátum sanctæ Románæ Ecclésiæ, et in éxitu mortis suæ a beatíssima Vírgine tibi plenus méritis præsentári mereátur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

ARTICULUS III

BENEDICTIONES RERUM DEVOTIONALIUM

1. — Benedictio imaginis Jesu Christi Domini nostri vel B. Mariæ V. vel alius Sancti

Si imagines, publicæ venerationi expositæ, solemniter benedicantur, hæc benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet Sacerdoti committere.

Privatim autem hæc benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest sine ulla Ordinarii licentia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imágines (sive effígies) sculpi, aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur : hanc, quæsumus, imáginem (seu sculptúram) in honórem et memóriam

Unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi
vel beatíssimæ Vírginis Maríæ, matris Dómini nostri Jesu Christi,
vel beáti N. Apóstoli tui, (vel Mártyris, vel Pontíficis, vel Confessóris),

vel beátæ N. Vírginis, (vel Mártyris)
adaptátam bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris : et præsta ; ut quicúmque coram illa
Unigénitum Fílium tuum
vel beatíssimam Vírginem,
vel gloriósum Apóstolum, (vel Mártyrem, vel Pontíficem, vel Confessórem),
vel gloriósam Vírginem, (vel Mártyrem)
supplíciter cólere et honoráre studúerit, illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti, et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per (eúmdem) Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

2. — Benedictio candelarum

IN FESTO S. BLASII EPISCOPI ET MARTYRIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnípotens et mitíssime Deus, qui ómnium mundi rerum diversitátes solo Verbo creásti, et ad hóminum reformatiónem illud idem Verbum, per quod facta sunt ómnia, incarnári voluísti : qui magnus es, et imménsus, terríbilis atque laudábilis, ac fáciens mirabília : pro cujus fídei confessióne gloriósus Martyr et Póntifex Blásius, diversórum tormentórum génera non pavéscens, martýrii palmam felíciter est adéptus : quique eídem, inter céteras grátias, hanc prærogatívam contulísti, ut, quoscúmque gútturis morbos tua virtúte curáret ; majestátem tuam supplíciter exorámus, ut non inspéctu reátus nostri, sed ejus placátus méritis et précibus, hanc ceræ creatúram bene ✠ dícere, ac sancti ✠ ficáre tua venerábili pietáte dignéris, tuam grátiam infundéndo ; ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fúerint, a quocúmque gútturis morbo ipsíus passiónis méritis liberéntur, et in Ecclésia sancta tua sani et hílares tibi gratiárum réferant actiónes, laudéntque Nomen tuum gloriósum, quod est benedíctum in sæcula sæculórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Deinde Sacerdos duos cereos in modum crucis aptatos apponit sub mento gutturi singulorum, qui benedicendi sunt, ipsis ante altare genuflectentibus, dicens :

Per intercessiónem sancti Blásii, Epíscopi et Mártyris, líberet te Deus a malo gútturis, et a quólibet álio malo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Benedictio candelarum

EXTRA DIEM 2. FEBRUARII

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, Fíli Dei vivi, béne ✠ dic candélas istas supplicatiónibus nostris : infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis benedictiónem cæléstem, qui eas ad repelléndas ténebras humáno géneri tribuísti; talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut quibuscúmque locis accénsæ, sive pósitæ fúerint, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, et fúgiant pávidi cum ómnibus minístris suis ab habitatiónibus illis, nec præsúmant ámplius inquietáre, aut molestáre serviéntes tibi omnipoténti Deo : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

3. — Benedictio vexilli processionalis

CUJUSLIBET SOCIETATIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, cujus Ecclésia est véluti castrórum ácies ordináta : béne ✠ dic hoc vexíllum; ut omnes sub eo tibi Dómino Deo exercítuum militántes, per intercessiónem beáti N. (vel beátæ N.) inimícos suos visíbiles et invisíbiles in hoc sæculo superáre, et post victóriam in cælis triumpháre mereántur. Per te, Jesu Christe : Qui vivis et regnas cum Deo Patre et Spíritu Sancto, in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

4. — Benedictio vestis

IN HONOREM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS VEL ALICUJUS SANCTI CANONIZATI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro nostra salúte suscípiens humánam natúram, te vestiménto carnis indúere dignátus es : benedictióne sancta béne ✠ dic istud vestiméntum, quod pro grátiis tibi exsolvéndis cum omni devotióne sanctóque voto, ac veneratióne beatíssimæ Vírginis Maríæ (vel Sancti N. vel Sanctæ N.) fámulus tuus (fámula tua) super se susceptúrus (-a) est : infúnde in eum (eam), quæsumus, tuam sanctam bene ✠ dictiónem; ut, cum primum indúerit hoc religiónis símile vestiméntum, intercedénte beatíssima Vírgine María (vel Sancto N. vel Sancta N.) descéndat super eum (eam) grátia tua, et prótegat eum (eam) ab omni malo mentis et córporis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

5. — Ritus induendi pueros, vel puellas habitu S. P. N. Francisci, vel S. Claræ, ex voto

Primo benedicantur vestimenta super altari in cornu Epistolæ posita, modo sequenti :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui pro salúte nostra suscípiens humánam natúram, te vestiménto carnis indúere dignátus es : benedictióne sancta tua béne ✠ dic ista párvula vestiménta, quæ pro grátiis tibi exsolvéndis cum omni devotióne, sanctóque voto, ac veneratióne beatíssimæ Vírginis Maríæ, et sancti Patris nostri Francísci (vel Sanctæ Claræ), puer iste (puella ista) super se

susceptúrus (susceptúra) est : infúnde in eum (eam), quǽsumus, tuam sanctam bene ✠ dictiónem; ut cum primum indúerit hoc Religiónis símile vestiméntum, intercedénte beáto Patre nostro Francísco (beáta Clara), descéndat super eum (eam) grátia tua, et prótegat illum (illam) ab omni malo mentis et córporis : Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Deinde vestimenta aspergantur aqua benedicta.

Cum vero exuit eum suis vestibus dicat :

Psalmus 139

ERipe me, Dómine, ab hómine malo : a viro iníquo éripe me.
Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me.
Eripe me de operántibus iniquitátem, et de viris sánguinum salva me.
Glória Patri, etc.

Postea induat eum habitu et caputio, (si vero sit puella, loco caputii dat ei scapulare et velum) dicens :

Immíttat in te Dóminus sanctum Religiónis amórem, sanctóque fervóre succendáris, ut árdeas cæléstium bonórum desidério.
Et subjungat Psalmum 112, Laudáte púeri (pag. 261).
Postea cingat eum, dicendo :
Præcíngat te Dóminus cíngulo justítiæ, ut immaculátus (immaculáta) consérves ómnia mandáta sua.

Psalmus 150, Laudáte Dóminum in sanctis ejus (pag. 456).
Dein det ei candelam accensam, dicens :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, lux vera de vero lúmine : quǽsumus cleméntiam tuam; ut per intercessiónem beatíssimi Patris nostri Francísci (beátæ Claræ), mentem párvuli (puéllæ) hujus illúmines, ut cum ad annos discretiónis pervénerit, sancte tibi ánima, corpóreque desérviat : Qui vivis et regnas, etc. ℟. Amen.

Postea benedicat puerum vel puellam, dicendo :

Confírma, Deus, in párvulo isto (puélla ista), quod in eo (ea) operári fecísti, a templo sancto tuo; dedúcat eum (eam) Spíritus tuus bonus in terram rectam. Bene ✠ díctio tua sit super eum (eam) semper. Amen.

Demum reddat eum parentibus, et conversus ad circumstantes dicat :

Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

6. — Benedictio cinguli

IN HONOREM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, cíngulum istud ; et præsta, ut fámulus tuus, qui (fámula tua, quæ) eo véluti sui córporis pœnitentiáli ligámine cingétur, vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi perpétuus exsístat amátor (perpétua exsístat amátrix), tuísque semper obséquiis se alligátum (-am) esse cognóscat. Per eúmdem Dóminum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

7. — Benedictio cinguli

IN HONOREM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS VEL ALICUJUS SANCTI CANONIZATI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, béne ✠ dic, quæsumus, hoc cíngulum, et præsta, ut, qui (quæ) illud gestáverit, beatíssimæ Vírginis Maríæ Matris tuæ (vel Sancti N., vel Sanctæ N.) protectióne munítus (-a) ab ómnibus perículis defendi, atque ánimæ et córporis sanitátem percípere mereátur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

8. — Benedictio cingulorum R

IN HONOREM SANCTI JOSEPH SPONSI B. MARIÆ V.

(Approbata a S. R. C. die 19 Sept. 1859)

Sacerdos qui ab Apostolica Sede privilegium obtinuerit benedicendi cingula in honorem S. Joseph Sponsi B. M. V., superpelliceo et stola alba indutus, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui virginitátis consílium et amórem ingeris atque castitátem præcípis : orámus cleméntiam tuam, ut hæc cíngula castitátis tésseram bene ✠ dícere, et sancti- ✠ ficáre dignéris, ut, quicúmque pro castitáte servánda illis præcíncti fúerint, intercedénte beáto Joseph, sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponso, gratam tibi continéntiam, mandatorúmque tuórum obediéntiam servent, atque véniam peccatórum suórum obtíneant, et sanitátem mentis et córporis percípiant, vitámque consequántur ætérnam : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DA, quæsumus, omnípotens ætérne Deus : ut purissímæ Vírginis Maríæ, ejúsque Sponsi Joseph, integérrimam virginitátem venerántes, eórum intercessiónibus puritátem mentis et córporis consequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui castíssimo viro Joseph purissimam Maríam semper Vírginem, et púerum Jesum commisísti, te súpplices exorámus; ut fidéles tui, qui his cíngulis in honórem et sub protectióne ejúsdem sancti Joseph præcíncti fúerint, te largiénte, et ipso intercedénte, in castitáte semper devóte persístant. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, innocéntiæ restitútor et amátor : quæsumus, ut fidéles tui, qui hæc cíngula adhibúerint, intercedénte beáto Joseph, sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponso, in lumbis suis sint semper præcíncti, et lucérnas ardéntes gestent in mánibus suis; ac símiles

sint homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, ut, cum vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei, et in ætérna gáudia récipi mereántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos, imposito thure in thuribulo, aqua benedicta aspergat cingula, dicens : Aspérges me, Dómine, hyssópo et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor; postea incenset, et tandem dicat :

℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus miséricors, Deus clemens, cui bona cuncta placent, sine quo nihil boni inchoátur, nihílque boni perfícitur : adsint nostris humíllimis précibus tuæ pietátis aures, et fidéles tuos, qui in tuo sancto Nómine cíngulo benedícto in honórem et sub protectióne sancti Joseph præcíncti fúerint, a mundi impediménto, vel sæculári desidério defénde; et concéde eis, ut in hoc sancto propósito devóti persístere, et remissióne percépta ad Electórum tuórum váleant pervenire consórtium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

9. — Benedictio funiculorum et vittarum pretiosi Sanguinis ℟

Vittæ fiunt ex lana rubei coloris, quæ, si exterius a mulieribus ferantur, a sinistro latere pendent. Funiculi pariter ex lana rubea conficiuntur.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Redemísti nos, Dómine, in Sánguine tuo.
℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.
℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni :
℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Redemptórem, ac ejus Sánguine placári voluísti : da nobis tuæ dilectiónis augméntum, et super hos funículos (vel super has vittas) bene ✠ dictiónem tuam infúndere dignáre; ut, quicúmque eis cinctus fúerit, suórum delictórum contritiónem in terris habére mereátur, et ab omni carnis labe, cunctísque perículis mentis et córporis liberátus, ad vitam pervéniat ætérnam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

10. — Benedictio et impositio chordæ in honorem S. Francisci Assisiensis R

PROPRIA ORD. MINORUM CONVENTUALIUM

Sacerdos indutus superpelliceo ac stola alba, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater Francísce.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui, ut servum redímeres, Fílium tuum per manus impiórum ligári voluísti : béne ✠ dic, quæsumus, funem istum, et præsta; ut fámulus tuus, qui (fámula tua, quæ) eo velut ligámine pœnitentiáli sui córporis cingétur, vinculórum ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi memor exsístat, et in Ordine, quem assúmpsit, perénniter persevéret, tuísque cum afféctu semper obséquiis se alligátum (-am) esse cognóscat. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui ómnibus peccatóribus, quæréntibus véniam et misericórdiam, quæsíta et optáta misericórditer tribuísti : orámus imménsam cleméntiam tuam; ut has chordas (hanc chordam) bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris; ut, quicúmque iis (ea) pro peccátis suis cincti fúerint (cinctus

fúerit), et cleméntiam tuam imploráverint (imploráverit), méritis et intercessióne beatíssimi servi tui Francísci, véniam et indulgéntiam suórum peccatórum, fructúmque tuæ sanctæ misericórdiæ consequántur (consequátur). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta; mox Sacerdos cingendo postulantem chorda, dicat :

Accipe chordam super lumbos tuos : ut sint lumbi tui præcíncti in signum castitátis. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

11. — Benedictio cinguli in honorem S. Thomæ Aquinatis ad servandam castitatem R

PROPRIA ORDINIS PRÆDICATORUM

Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, puritátis amátor et custos, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam : ut, sicut ministério Angelórum sanctum Thomam Aquinátem cíngulo castitátis cíngere, et a labe córporis ac ánimæ præserváre fecísti : ita ad honórem et glóriam ejus bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris cíngula ista; ut, quicúmque ipsa circa renes reverénter portáverit ac tenúerit, ab omni immundítia mentis et córporis purificétur, atque in éxitu suo per manus sanctórum Angelórum tibi digne præsentári mereátur : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

12. — Benedictio et impositio sacri numismatis B. Mariæ Virg. Immac. R

vulgo **Médaille miraculeuse**

PROPRIA CONGR. MISSIONIS

(Approbata a S. R. C. die 19 Aprilis 1895)

Sacerdos benedicturus sacrum numisma Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptionis, superpelliceo et stola alba indutus, dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui per multíplices Immaculátæ Maríæ Vírginis apparitiónes in terris mirabília júgiter pro animárum salúte operári dignátus es : super hoc numísmatis signum tuam bene ✠ dictiónem benígnus infúnde; ut pie hoc recoléntes ac devóte gestántes et illíus patrocínium séntiant et tuam misericórdiam consequántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde numisma aspergit aqua benedicta, ac ipsum postea imponens dicat, si uni tantum imponatur :

Accipe sanctum numísma, gesta fidéliter. et digna veneratióne proséquere : ut piíssima et Immaculáta cælórum Dómina te prótegat atque deféndat; et pietátis suæ prodígia rénovans, quæ a Deo supplíciter postuláveris, tibi misericórditer ímpetret, ut vivens ac móriens in matérno ejus ampléxu felíciter requiéscas. Amen.

Si vero pluribus imponatur, dicat :

Accípite sanctum numísma, gestáte fidéliter, et digna veneratióne prosequímini : ut piíssima et Immaculáta cælórum Dómina vos prótegat atque deféndat; et pietátis suæ prodígia rénovans, quæ a Deo supplíciter postulavéritis, vobis misericórditer ímpetret, ut vivéntes ac moriéntes in matérno ejus ampléxu felíciter requiescátis. Amen.

Inde prosequitur :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Regína sine labe originéli concépta :
℟. Ora pro nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam matrem tuam ab orígine Immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

13. — Benedictio numismatum S. Benedicti r

PROPRIA ORDINIS S. BENEDICTI

Sacerdos benedicturus numismata sancti Benedicti, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

EXorcízo vos, numísmata, per Deum ✠ Patrem omnipoténtem, qui fecit cælum et terram, mare et ómnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne phantásma sátanæ, eradicáre et effugáre ab his numismátibus : ut fiant ómnibus, qui eis usúri sunt, salus mentis et córporis : in nómine Pa ✠ tris omnipoténtis, et Jesu ✠ Christi Fílii ejus, Dómini nostri, et Spíritus ✠ Sancti Paráclíti, et in caritáte ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Dóminus virtútem pópulo suo dabit.
℟. Dóminus benedícet pópulum suum in pace.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus omnípotens, bonórum ómnium largítor, súpplices te rogámus, ut per intercessiónem sancti Benedícti his sacris numismátibus, lítteris ac charactéribus a te designátis, tuam bene ✠ dictiónem infúndas : ut omnes, qui ea gestáverint ac bonis opéribus inténti fúerint, sanitátem mentis et córporis, et grátiam sanctificatiónis, atque indulgéntias (nobis) concéssas cónsequi mereántur; omnésque diáboli insídias et fraudes, per

auxílium misericórdiæ tuæ, effúgere váleant, et in conspéctu tuo sancti et immaculáti appáreant. Per Dóminum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui voluísti pro totíus mundi redemptióne de Vírgine nasci, circumcídi, a Judæis reprobári, Judæ ósculo tradi, vínculis alligári, spinis coronári, clavis perforári, inter latrónes crucifígi, láncea vulnerári, et tandem in Cruce mori : per hanc tuam sanctíssimam Passiónem humíliter exóro; ut omnes diabólicas insídias et fraudes expéllas ab eo, qui nomen sanctum tuum, his lítteris ac charactéribus a te designátis, devóte invocáverit, et eum ad salútis portum perdúcere dignéris : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super hæc numísmata, ac ea gestántes, et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat numismata aqua benedicta.

Formula brevior benedicendi numismata S. Benedicti

PROPRIA EJUSDEM ORDINIS

(Approbata a S. R. C. die 13 Dec. 1922) r

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Exorcízo vos, numísmata, etc., ut supra, pag. 511, usque ad Kýrie, eléison exclusive.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus omnípotens, bonórum ómnium largítor, súpplices te rogámus, ut per intercessiónem sancti Benedícti his sacris numismátibus tuam bene ✠ dictiónem infúndas : ut omnes, qui ea gestáverint ac bonis opéribus intenti fúerint, sanitátem mentis et córporis, et grátiam sanctificatiónis, atque indulgéntias (nobis) concéssas cónsequi mereántur; omnésque diáboli insídias et fraudes, per auxílium misericórdiæ tuæ, stúdeant devitáre et in conspéctu tuo sancti et immaculáti váleant apparére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

14. — Benedictio anuli S. Joseph

PROPRIA ORDINIS CARMELITARUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, cujus verbo sanctificántur ómnia, quæ percípimus : effúnde, quæsumus, bene ✠ dictiónem tuam super nos et super hunc ánulum; ut per intercessiónem beátæ Maríæ semper Vírginis, ac ejus Sponsi Joseph, quæcúmque præséntis vitæ necéssitas póstulat, misericórditer cum gratiárum actióne assequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

15. — Ritus benedicendi et imponendi Cruces in signum Piæ Unionis S. Antonii Patavini

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, effúnde tuam sanctam et plenam bene-✠dictiónem super hæc signa sanctæ Crucis tuæ, quæ in honórem beáti Antónii Patavíni Confessóris tui confécta sunt : et præsta, ut quicúmque ea portáverint, ad exémplum ejúsdem beáti Confessóris, et tua grátia adjúti, possint hujus vitæ ærúmnas et dæmonum vexatiónes toleráre, et vitam cónsequi mereántur ætérnam : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Sacerdos aspergat Cruces aqua benedicta. Et dum Crucem unicuique imponit, dicat :

Accipe, Frater (Soror), hanc Crucem, in signum Piæ Uniónis sancti Antónii Patavíni, ut eo intercedénte, véterem hóminem exútus (exúta), imitéris ejúsdem virtútes in terris, et possis regnáre cum eo in cælis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde subjungat :

Et ego, ex facultáte mihi concéssa, recípio te (vos) ad participatiónem ómnium bonórum spirituálium, quæ per Sanctæ Sedis Apostólicæ privilégium huic sanctæ Piæ Unióni concéssa sunt. In nómine Patris ✠ et Fílii ✠ et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

CAPUT IV

BENEDICTIONES PERSONARUM

1. — Ritus benedictionis Apostolicæ statis diebus super populum elargiendæ R

SERVANDUS A REGULARIBUS QUIBUS A S. SEDE HUJUSMODI FACULTAS INDULTA EST VEL INDULGEBITUR

1. Admoneatur populus de indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est designata ecclesia, de hora denique, qua dabitur pontificia benedictio. De quibus, quatenus opus sit. etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis, certior fiat.

2. Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur Apostolicæ litteræ, seu decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio, ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa, pronuntietur. Populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur.

3. Postea Sacerdos, nullis circumstantibus ministris, superpelliceo et stola alba indutus, ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.
℟. Et bénedic hereditáti tuæ.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde stans sequentem recitet Orationem :

Orémus Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli hujus in humilitáte cordis véniam peccatórum poscéntis, tuámque benedictiónem præstolántis et grátiam, cleménter exáudi : déxteram tuam super eum benígnus exténde, ac plenitúdinem divínæ benedictiónis effúnde, qua bonis ómnibus cumulátus, felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Postea ad cornu Epistolæ accedat; et ibi stans, non trina, idest triplici signo crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo crucis sine Crucifixo, benedicat, proferens alta voce hæc verba :

Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

5. Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem Papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam præscriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis, et in ecclesiis Monialium vel Tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat.

2. — Formula benedictionis Papalis cum indulgentia plenaria

IN FINE CONCIONUM

(Approbata a S. R. C. die 11 Maii 1911)

1. Post conciones Missionum, Spiritualium exercitationum, Quadragesimæ ac Adventus a Missionario vel Concionatore Sacerdote Ordinis nostri, benedictio Papalis dari potest, ex privilegio concesso die 22 Augusti 1906, et 18 Januarii 1912. Hæc benedictio datur **cum Crucifixo, unico signo crucis,** juxta formulam quæ infra habetur, n. 4; preces solitæ ne omittantur. — Sin autem in rescripto concessionis aliter edicitur, ritus et conditiones ex isto Brevi cognoscenda sunt.

2. Tertio Ordini sæculari S. Francisci, et per communicationem privilegiorum omnibus Religiosis trium Ordinum Seraphici Patris bis in anno, diebus ad libitum constituendis, dari potest benedictio Papalis cum indulgentia plenaria, pro qua lucrifacienda præscriptæ sunt Confessio, Communio et preces. Hæc benedictio, non singulis seorsim Tertiariis sed adunatæ Congregationi, danda est a Directore, cui commissa intelligitur impertitio hujus benedictionis, vel in ejus absentia ab alio Sacerdote, pro confessionibus approbato, (superpelliceo et stola alba induto), juxta formulam Benedicti XIV (vide supra pag. 514), et quidem **unico signo crucis** manu formatæ, **sine Crucifixo.**

3. Pro Benedictione Papali quæ Tertiariis atque Chordigeris S. P. Francisci, necnon Sodalibus plurium Confraternitatum in articulo mortis constitutis, impertiri potest, retineatur in omnibus formula præscripta in Benedicti XIV. Const. Pia Mater, et in Rituali Romano inserta (quæ formula habetur superius pag. 32).

Hæc benedictio tamen danda non est illis Tertiariis, etc. qui eam, etiamsi alio titulo, jam acceperunt, puta, ut fieri solet, post Sacramentum Extremæ Unctionis (S. C. Ind. 5 Febr. 1841 et 12 Martii 1855.)

4. Si in Brevi edicitur, ut benedictio cum indulgentia plenaria in fine concionum a Sacerdote populo impertiatur cum Crucifixo, juxta ritum formulamque præscriptam, fiat unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula :

BEnedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

3. — Benedictio et consecratio parvulorum in honorem S. Antonii de Padua

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Deus noster miserétur :
℟. Custódiens párvulos Dóminus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ante ómnia sæcula génitus, in témpore tamen Infans esse voluísti et hujus ætátis díligis innocéntiam; qui párvulos tibi oblátos amánter compléxus es, iísque benedixísti et Ipse Infans inter bráchia beáti servi tui Antónii de Pádua peramánter descendísti : infántem istum (infántes istos) præveni in benedictiónibus dulcédinis, et præsta, ne malítia mutet intelléctum ejus (eórum), eíque (eísque) concéde, intercessióne ejúsdem beáti Antónii, sub cujus tutéla et patrocínio hic infans pónitur (hi infántes ponúntur) ut proficiens (proficiéntes) ætáte, sapiéntia et grátia, tibi semper placére váleat (váleant) : Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos parvulum (aut parvulos) aqua benedicta aspergat dicendo :

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te (vos), et máneat semper.
℟. Amen.

4. — Benedictio peregrinorum ad loca sancta prodeuntium

Peregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant, juxta veteris Ecclesiæ institutum, curent accipere patentes seu commendatitias litteras a suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum confessione, audiant Missam, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, ad instar Collectæ pro re gravi imperatæ, et Ssmam Eucharistiam devote suscipiant. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos dicat sequentes preces :

Antiphona. In viam pacis.

Canticum Benedíctus (p. 55), et in fine Glória Patri, etc.

Repetitur Ant. In viam pacis et prosperitátis dírigat vos omnípotens et miséricors Dóminus : et Angelus Ráphaël comitétur vobíscum in via, ut cum pace, salúte, et gáudio revertámini ad própria.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Benedíctus Dóminus die quotídie.
℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.
℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis.
℟. Et sémitas tuas édoce nos.
℣. Utinam dirigántur viæ nostræ :
℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et áspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandávit de te :
℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti : tríbue eis, quǽsumus, iter prósperum, tempúsque tranquíllum; ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pergunt locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum felíciter váleant pervenire.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illǽsum custodísti : quǽsumus, ut hos fámulos tuos custodíre dignéris; esto eis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus : ut te duce, quo tendunt, próspere pervéniant, et demum incólumes ad própria revertántur.

ADésto, quǽsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris : et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegántur auxílio.

PRæsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

EXáudi, Dómine, preces nostras, et iter famulórum tuórum propítius comitáre, atque misericórdiam tuam, sicut ubíque es, ita ubíque largíre : quátenus a cunctis adversitátibus tua opitulatióne defénsi, gratiárum tibi réferant actiónem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Quod si unus sit peregrinaturus, preces dicantur in numero singulari : ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, sit socius peregrinationis, eas dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

5. — Benedictio peregrinorum post reditum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Antiphona. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Psalmus 127

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Glória Patri.

Antiphona. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Benedícti, qui véniunt in nómine Dómini.

℟. Benedícti vos a Dómino, qui fecit cælum et terram.

℣. Réspice, Dómine, in servos tuos, et in ópera tua.

℟. Et dírige eos in viam mandatórum tuórum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

LArgíre, quæsumus, Dómine, fámulis tuis indulgéntiam placátus et pacem : ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant.

OMnípotens sempitérne Deus, nostrórum témporum, vitæque dispósitor, fámulis tuis contínuæ tranquillitátis largíre subsídium : ut, quos incólumes própriis labóribus reddidísti, tua fácias protectióne secúros.

DEus, humílium visitátor, qui nos fratérna dilectióne consoláris : præténde societáti nostræ grátiam tuam; ut per eos, in quibus hábitas, tuum in nobis sentiámus advéntum. Per Dóminum. ℟. Amen.

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

6. — Benedictio adulti ægrotantis

Sacerdos cubiculum ægrotantis ingrediens dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Et continuo ad infirmum accedens subjungat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

INtróëat, Dómine Jesu Christe, domum hanc ad nostræ humilitátis ingréssum pax et misericórdia tua; effúgiat ex hoc loco omnis nequítia dæmonum, adsint Angeli pacis, domúmque hanc déserat omnis malígna discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum : et bénedic nostræ conversatióni : Qui sanctus et pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu Sancto in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

REspice, Dómine, fámulum tuum (fámulam tuam) in infirmitáte córporis laborántem, et ánimam réfove, quam creásti : ut castigatiónibus emendátus (-a), contínuo se séntiat tua miseratióne salvátum (-am). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

MIséricors Dómine, fidélium consolátor, quæsumus imménsam pietátem tuam, ut ad intróitum humilitátis nostræ hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam), super lectum dolóris sui jacéntem, visitáre dignéris, sicut socrum Simónis visitásti : propítius adésto ei, Dómine, quátenus prístina sanitáte recépta, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferat actiónes : Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde, extendens dexteram versus ægrotum, dicat :

DOminus Jesus Christus apud te sit, ut te deféndat : intra te sit, ut te consérvet : ante te sit, ut te ducat : post te sit, ut te custódiat : super te sit, ut te benedícat : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

Demum aspergat infirmum aqua benedicta.

7. — Eadem benedictio pro pluribus infirmis

Sacerdos cubiculum ægrotantium ingrediens dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Et continuo ad infirmos accedens subjungat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

INtróëat, Dómine Jesu Christe, domum hanc ad nostræ humilitátis ingréssum pax et misericórdia tua; effúgiat ex hoc loco omnis nequítia dæmonum, adsint Angeli pacis, domúmque hanc déserat omnis malígna discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum : et bénedic nostræ conversatióni : Qui sanctus et pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu Sancto in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

RESpice, Dómine, fámulos tuos (fámulas tuas) in infirmitáte córporis laboránte, et ánimas réfove, quas creásti : ut castigatiónibus emendáti (-æ), contínuo se séntiant tua miseratióne salvátos (-as). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

MIséricors Dómine, fidélium consolátor, quæsumus imménsam pietátem tuam, ut ad intróitum humilitátis nostræ hos fámulos tuos (has fámulas tuas) super lectum dolóris sui jacéntes, visitáre dignéris, sicut socrum Simónis visitásti : propítius adésto eis, Dómine, quátenus prístina sanitáte recépta, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferant actiónes : Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde, extendens dexteram versus ægrotos, dicat :

DOminus Jesus Christus apud vos sit, ut vos deféndat : intra vos sit, ut vos consérvet : ante vos sit, ut vos ducat : post vos sit, ut vos custódiat : super vos sit, ut vos benedícat : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Demum aspergat infirmos aqua benedicta.

8. — Benedictio mulieris prægnantis

IN PERICULIS PARTUS.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Salvam fac ancíllam tuam :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Esto illi, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Nihil proficiat inimícus in ea.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eam.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem : quæsumus; ut ejúsdem fídei firmitáte hæc fámula tua N. ab ómnibus semper muniátur advérsis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Deus, ómnium Creátor, fortis et terríbilis, justus et misércors, qui solus bonus et pius es; qui de omni malo liberásti Israël, fáciens tibi patres nostros diléctos, et sanctificásti eos manu Spíritus tui; qui gloriósæ Vírginis Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperánte præparásti; qui Joánnem Baptístam Spíritu

Sancto replésti, et in útero matris exsultáre fecísti; áccipe sacrifícium cordis contríti, ac fervens desidérium fámulæ tuæ N. humíliter supplicántis pro conservatióne prolis, quam ei dedísti concípere : custódi partem tuam, et ab omni dolo et injúria duri hostis defénde; ut obstetricánte manu misericórdiæ tuæ fetus ejus ad lucem próspere véniat, ac sanctæ generatióni servétur, tibíque in ómnibus júgiter desérviat, et vitam cónsequi mereátur ætérnam. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

Deinde mulier aspergatur aqua benedicta, et mox dicatur

Psalmus 66.

DEus misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus Géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent Gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et Gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri.

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu.
℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.
℣. Angelis suis Deus mandávit de te :
℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea, et a præsénti fámula tua N. longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui eam et ejus prolem in pace custódiant, et bene ✠díctio tua sit super eam semper. Salva eos, omnípotens Deus, et lucem eis tuam concéde perpétuam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et prolem tuam, et máneat semper. ℟. Amen.

9. — Benedictio infantis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Deus noster miserétur :
℟. Custódiens párvulos Dóminus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ante ómnia sæcula génitus, in témpore tamen Infans esse voluísti, et hujus ætátis díligis innocéntiam; qui párvulos tibi oblátos amánter compléxus es, iísque benedixísti : infántem istum (infántes istos) práeveni in benedictiónibus dulcédinis, et præsta, ne malítia mutet intelléctum ejus (eórum) : eíque (eísque) concéde, ut proficiens (proficiéntes) ætáte, sapiéntia et grátia, tibi semper placére váleat (váleant) : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos infantem (vel infantes) aspergat aqua benedicta, dicens :

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te (vos), et máneat semper. ℟. Amen.

10. — Benedictio mulieris post partum

1. Si qua puerpera post partum, juxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspersorium deferente, ad fores Ecclesiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergat, deinde dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Antiph. Hæc accípiet.

Psalmus 23.

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri.

Et repetitur Antiphona :

Hæc accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

2. Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolæ, ex humero sinistro pendentem, eam introducit in Ecclesiam, dicens :

Ingrédere in templum Dei, adóra Fílium beátæ Maríæ Vírginis, qui tibi fecunditátem tríbuit prolis.

3. Et ipsa, ingressa, genuflectit coram altari et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; tunc Sacerdos dicit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvam fac ancíllam tuam, Dómine :
℟. Deus meus, sperántem in te.
℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eam.

℣. Nihil proficiat inimícus in ea.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum fidélium pariéntium dolóres in gáudium vertísti : réspice propítius super hanc fámulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiárum actióne lætam accedéntem, et præsta ; ut post hanc vitam, ejúsdem beátæ Maríæ méritis et intercessióne, ad ætérnæ beatitúdinis gáudia cum prole sua pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. Deinde illam aspergat iterum aqua benedicta, dicens :

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

5. Prædicta benedictio mulieris post partum fieri debet a Paracho, si expetitus ipse fuerit : potest autem fieri a quocumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiæ.

11. — Benedictio pueri

AD OBTINENDAM SUPER IPSUM MISERICORDIAM DEI.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui dixísti : Sínite párvulos veníre ad me, tálium est enim regnum cælórum ; super hunc púerum tuum virtútem bene✠dictiónis tuæ infúnde, ac ad Ecclésiæ et paréntum illíus fidem ac devotiónem réspice ; ut virtúte ac sapiéntia apud Deum et hómines proficiens, ad optátam pervéniat senectútem, et salútem consequátur ætérnam : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus 112.

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.
Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.
Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.
Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?
Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :
Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.
Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.
Glória Patri.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

12. — Benedictio puerorum

CUM PRÆSERTIM IN ECCLESIA PRÆSENTANTUR

Die et hora constitutis, pueri conveniant in Ecclesiam, quos ibi a parentibus vel magistris associari maxime deceret, ut in silentio et modestia facilius se componant. Quibus per ordinem dispositis, et pueris a puellis, si adsint, separatis, Sacerdos ad ipsos accedat, et brevissimo ac simplici sermone eos alloquatur, prout opportunum sibi visum fuerit.

Deinde stans versus eos dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Antiphona. Laudáte púeri Dóminum : laudáte nomen Dómini.

Psalmus 112 incipitur a secundo versu : Sit nomen Dómini, ut supra pag. 526.

Et repetitur Antiphona : Laudáte púeri Dóminum : laudáte nomen Dómini.

Qui psalmus cum sua antiphona, si paucis tantum, aut minus solemniter conferatur benedictio, omitti poterit.

Finito psalmo et repetita antiphona, Sacerdos dicit :

℣. Sínite párvulos veníre ad me :
℟. Tálium est enim regnum cælórum.
℣. Angeli eórum :
℟. Semper vident fáciem Patris.

℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui párvulos tibi oblátos et ad te veniéntes complexus es, manúsque super illos impónens benedixísti eis, atque dixísti : Sínite párvulos veníre ad me, et nolíte prohibére eos, tálium est enim regnum cælórum, et Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei; réspice, quæsumus, ad puerórum (puellárum, si solæ adsint puellæ) præséntium innocéntiam, et ad eórum (eárum) paréntum devotiónem, et cleménter eos (eas) hódie per ministérium nostrum béne ✠ dic; ut in tua grátia et misericórdia semper proficiant, te sápiant, te díligant, te tímeant, et mandáta tua custódiant, et ad finem optátum felíciter pervéniant : per te, Salvátor mundi, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEfénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam : et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis; et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea manu dextera producens signum crucis super pueros, benedicat eos, dicens :

Benedícat vos Deus, et custódiat corda vestra et intelligéntias vestras, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Deinde aspergat pueros aqua benedicta.

13. — Benedictio puerorum ægrotantium

Pueri infirmi, qui ad hunc usum rationis pervenerunt, ut ipsis præberi possit Sacramentum Extremæ Unctionis, iis adjuventur exhortationibus et precibus, quæ describuntur in hoc Rituali

(pag. 22), ubi agitur de visitatione et cura infirmorum, prout feret temporis opportunitas, et eorumdem ægrotantium status.

Verum pro ceteris junioribus pueris infirmis adhiberi possunt sequentes preces.

Sacerdos infirmi cubiculum ingressus, primum dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Mox infirmum et lectum ejus et cubiculum aspergat, nihil dicens.

Deinde dicat Psalmum Laudáte, púeri, Dóminum : laudáte nomen Dómini (pag. 526), cum Glória Patri in fine.

Postea dicat :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster secreto usque ad
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Deus noster miserétur :
℟. Custódiens párvulos Dóminus.
℣. Sínite párvulos veníre ad me :
℟. Tálium est enim regnum cælórum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cui cuncta adoléscunt, et per quem adúlta firmántur : exténde déxteram tuam super hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam), in ténera ætáte languéntem : quátenus vigóre sanitátis recépto, ad annórum pervéniat plenitúdinem, et tibi fidéle gratúmque obséquium indesinénter præstet ómnibus diébus vitæ suæ. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

PAter misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui creatúræ tuæ multíplici pietáte cónsulens, non solum ánimæ, sed ipsi córpori curatiónis grátiam benígnus infúndis : hunc párvulum infírmum (hanc párvulam infírmam) a lecto ægritúdinis erígere, et Ecclésiæ tuæ sanctæ, suísque paréntibus incólumem

restitúere dignéris; ut cunctis prolongátæ sibi vitæ diébus, grátia et sapiéntia coram te et homínibus proficiens, in justítia et sanctitáte tibi sérviat, et débitas misericórdiæ tuæ réferat gratiárum actiónes. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas : concéde propítius; ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita hujus púeri (puéllæ) muniátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Completa oratione ultima, Sacerdos imponit dexteram manum super caput infirmi, et dicit :

Super ægros manus impónent, et bene habébunt. Jesus, Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus, méritis et intercessióne sanctórum Apostolórum suórum Petri et Pauli, et ómnium Sanctórum, sit tibi clemens et propítius. Amen.

Quod sequitur Evangelium, pro temporis opportunitate et pro ægrotantis pueri parentum desiderio, Sacerdotis arbitrio dici poterit.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.
℟. Glória tibi, Dómine.

Dum Sacerdos dicit Inítium, etc., facit signum crucis de more super se in fronte, ore et pectore; similiter super puerum infirmum, si non possit se signare.

Joann. 1, 1-14

IN princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hóminum; et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri, his, qui credunt in nómine ejus : qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo

nati sunt. (Hic genuflectitur) Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis. ℟. Deo grátias.

Postea benedicens puerum infirmum, subjungat, dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

¶ Si sint plures infirmi in eodem cubiculo vel loco, preces et orationes prædictæ dicuntur super eos in numero plurali.

14. — Exorcismus in satanam et angelos apostaticos

Sequens exorcismus recitari potest ab Episcopis, nec non a Sacerdotibus, qui ab Ordinariis suis ad id auctoritatem habeant.

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad S. Michaëlem Archangelum

Precatio

PRinceps gloriosíssime cæléstis milítiæ, sancte Míchaël Archángele, defénde nos in prælio advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cæléstibus. Veni in auxílium hóminum; quos Deus ad imáginem similitúdinis suæ fecit, et a tyránnide diáboli emit prétio magno. — Te custódem et patrónum sancta venerátur Ecclésia; tibi trádidit Dóminus ánimas redemptórum in supérna felicitáte locándas. Deprecáre Deum pacis, ut cónterat sátanam sub pédibus nostris, ne ultra váleat captívos tenére hómines, et Ecclésiæ nocére. Offer nostras preces in conspéctu Altíssimi, ut cito antícipent nos misericórdiæ Dómini, et apprehéndas draconem, serpéntem antíquum, qui est diábolus et sátanas, et ligátum mittas in abýssum, ut non sedúcat ámplius gentes.

Exorcismus

IN nómine Jesu Christi, Dei et Dómini nostri, intercedénte immaculáta Vírgine Dei Genitríce María, beáto Michaéle Archángelo, beátis Apóstolis Petro et Paulo et ómnibus Sanctis, et sacra ministérii nostri auctoritáte confísi, ad infestatiónes diabólicæ fraudis repelléndas secúri aggrédimur.

Psalmus 67

EXsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

℣. Ecce Crucem Dómini, fúgite, partes advérsæ.
℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David.
℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos :
℟. Quemádmodum sperávimus in te.

EXorcizámus te, omnis immúnde spíritus, omnis satánica potéstas, omnis incúrsio infernális adversárii, omnis légio, omnis congregátio et secta diabólica, in nómine et virtúte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, eradicáre et effugáre a Dei Ecclésia, ab animábus ad imáginem Dei cónditis ac pretióso divíni Agni Sánguine redémptis ✠. Non ultra áudeas, serpens callidíssime, decípere humánum genus, Dei Ecclésiam pérsequi, ac Dei eléctos excútere et cribráre sicut tríticum ✠. Imperat tibi Deus altíssimus ✠, cui in magna tua supérbia te símilem habéri adhuc præsúmis; qui omnes hómines vult salvos fieri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Imperat tibi Deus Pater ✠; ímperat tibi Deus Fílius ✠; ímperat tibi Deus Spíritus Sanctus ✠. Imperat tibi Christus, ætérnum Dei Verbum caro factum ✠, qui pro salúte géneris nostri tua invídia pérditi, humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem; qui Ecclésiam suam ædificávit supra firmam petram et portas ínferi advérsus eam numquam esse prævalitúras edíxit, cum ea ipse permansúrus ómnibus diébus usque ad consummatiónem sæculi. Imperat tibi sacraméntum Crucis ✠, omniúmque christiánæ fídei Mysteriórum virtus ✠. Imperat tibi excélsa Dei Génitrix Virgo María ✠, quæ superbíssimum caput tuum a primo instánti immaculátæ Conceptiónis in sua humilitáte contrívit. Imperat tibi fides sanctórum Apostolórum Petri et Pauli ceterorúmque Apostolórum ✠. Imperat tibi Mártyrum sanguis, ac pia Sanctórum et Sanctárum ómnium intercéssio ✠.

Ergo, draco maledícte et omnis légio diabólica, adjurámus te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui sic diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam : cessa decípere humánas creatúras, eísque ætérnæ perditiónis venénum propináre : désine Ecclésiæ nocére et ejus libertáti láqueos injícere. Vade, sátana, invéntor et magíster omnis fallácíæ, hostis humánæ salútis. Da locum Christo, in quo nihil invenísti de opéribus tuis : da locum Ecclésiæ uni, sanctæ, cathólicæ, et Apostólicæ, quam Christus ipse acquisívit Sánguine suo. Humiliáre sub poténti manu Dei; contremísce et éffuge, invocáto a nobis sancto et terríbili Nómine Jesu, quem ínferi tremunt, cui Virtútes cælórum et Potestátes et Dominatiónes subjéctæ sunt; quem Chérubim et Séraphim indefessis vócibus

laudant, dicéntes : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus qui potestátem habes donáre vitam post mortem, réquiem post labórem : quia non est Deus præter te, nec esse potest nisi tu, Creátor ómnium visibílium et invisibílium, cujus regni non erit finis : humíliter majestáti glóriæ tuæ supplicámus, ut ab omni infernálium spirítuum potestáte, láqueo, deceptióne et nequítia nos poténter liberáre, et incólumes custodíre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ab insídiis diáboli, líbera nos, Dómine.

Ut Ecclésiam tuam secúra tibi fácias libertáte servíre, te rogámus, audi nos.

Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.

Et aspergatur locus aqua benedicta.

CAPUT V

BENEDICTIONES RERUM ET LOCORUM USUI PROFANO DESTINATORUM

1. — Benedictio domorum

in Sabbato Sancto et reliquo Tempore Paschali

1. Parochus, seu alius Sacerdos de Parochi licentia, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquæ benedictæ in Fonte baptismali, atque ante infusionem Olei et Chrismatis acceptæ, Sabbato Sancto visitet domos suæ paræciæ, aspergens eas eadem aqua benedicta.

Ingrediens domum dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

2. Deinde aspergens loca præcipua domus, et habitantes in ea, dicat Antiphonam :

Vidi aquam egrediéntem de templo, a látere dextro, allelúja : et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent : Allelúja, allelúja.

Ps. 117, 1. Confitémini Dómino quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus.

℣. Glória Patri, etc.

Repetitur Antiphona : Vidi aquam, etc.

Deinde dicit :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, allelúja.
℟. Et salutáre tuum da nobis, allelúja.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus : et sicut domos Hebræórum in éxitu de Ægýpto, agni sánguine linítas (quod pascha nostrum, in quo immolátus est Christus, figurábat), ab Angelo percutiénte custodísti; ita míttere dignéris

sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Ritus superius descriptus adhibetur, etiamsi benedictio domorum fiat alia die infra Tempus Paschale pro locorum consuetudine.

Benedictio domorum

extra Tempus Paschale

1. Parochus, seu alius Sacerdos, volens aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium, extra Tempus Paschale aspergere aqua benedicta, ingrediens domum dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

2. Deinde loca præcipua domus aspergendo, dicat Antiphonam :

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Ps. 50. 1. Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

℣. Glória Patri, etc.
Et repetitur Antiphona : Aspérges me, etc.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

2. — Benedictio loci vel domus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, Deus omnípotens, locum istum (vel domum istam) : ut sit in eo (ea) sánitas, cástitas, victória, virtus, humílitas, bónitas, et mansuetúdo, plenitúdo legis, et

gratiárum áctio Deo Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto; et hæc benedíctio máneat super hunc locum (vel super hanc domum) et super habitántes in eo (ea), nunc et in ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Alia benedictio domus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

TE Deum Patrem omnipoténtem supplíciter exorámus pro hac domo, et habitatóribus ejus, ac rebus : ut eam bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre, ac bonis ómnibus ampliáre dignéris : tríbue eis, Dómine, de rore cæli abundántiam, et de pinguédine terræ vitæ substántiam, et desidéria voti eórum ad efféctum tuæ miseratiónis perdúcas. Ad intróitum ergo nostrum bene ✠ dícere, et sancti-✠ficáre dignéris hanc domum, sicut benedícere dignátus es domum Abraham, Isaac, et Jacob : et intra paríetes domus istíus Angeli tuæ lucis inhábitent, eámque et ejus habitatóres custódiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

3. — Benedictio domorum

IN FESTO EPIPHANIÆ

In ingressu : ℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Antiphona. Ab Oriénte venérunt Magi in Béthlehem, adoráre Dóminum : et apértis thesáuris suis pretiósa múnera obtulérunt, aurum Regi magno, thus Deo vero, myrrham sepultúræ ejus. Allelúja.

Canticum B. Mariæ Virginis

Luc. 1, 46-55

MAgníficat * ánima mea Dóminum :
Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.
Glória Patri.

Interea aspergatur et incensetur domus, et in fine repetatur Antiphona : Ab oriénte venérunt, etc.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Omnes de Saba vénient :
℟. Aurum et thus deferéntes.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui hodiérna die Unigénitum tuum Géntibus stella duce revelásti : concéde propitius ; ut, qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Responsorium. Illumináre, illumináre, Jerúsalem, quia venit lux tua : et glória Dómini super te orta est, Jesus Christus ex María Vírgine.

℣. Et ambulábunt Gentes in lúmine tuo : et reges in splendóre ortus tui.
℟. Et glória Dómini super te orta est.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, Deus omnípotens, locum istum (vel domum istam) : ut sit in eo (ea) sánitas, cástitas, victóriæ virtus, humílitas, bónitas, et mansuetúdo, plenitúdo legis, et gratiárum áctio Deo Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto ; et hæc benedíctio máneat super hunc locum (vel hanc domum), et super habitántes in eo (ea). Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. — Benedictio domus scholaris

Sacerdos ingrediens aspergat cubicula aqua benedicta, dicens :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.
℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui Apóstolis tuis præcepísti, ut, in quamcúmque domum intrárent, pacem illi adprecaréntur, sanctí ✠ fica, quæsumus, per ministérium nostrum hanc domum púeris (vel puéllis) educándis destinátam; effúnde super eam tuæ bene ✠ dictiónis et pacis abundántiam, fiat eis salus, sicut dómui Zachæi, te intránte, facta est; manda Angelis tuis, ut eam custódiant, et ab ea omnem inimíci repéllant potestátem; reple docéntes in ea spíritu sciéntiæ, sapiéntiæ et timóris tui; discéntes cælésti grátia fove, ut, quæ salutáriter edocéntur, intelléctu cápiant, corde retíneant, ópere exsequántur; atque omnes habitatóres ejus virtútum ómnium opéribus tibi pláceant, ut in ætérnam domum in cælis aliquándo récipi mereántur : Per te, Jesu Christe, Salvátor mundi, qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Alia benedictio domus scholaris

1. Die Dominicali vel festiva, a Parocho et Patrono constituta et rite promulgata, Officians et qui adsunt Sacerdotes et Ministri, in domo parœciali, vel, si in loco, ubi schola benedicenda sit, domus parœcialis non adsit, in aliqua alia decenti domo, paramentis coloris albi induti, omnibus bene paratis, hora statuta, præcedente scholari juventute cum vexillo suo, choro et Subdiacono cum Cruce, et sequente Patrono vel ejus commissario, cum reliquis fidelibus ad hanc solemnitatem invitatis, bono ordine in solemni processione, sub pulsu campanarum et cantu Litaniarum ad omnes Sanctos vel piorum Hymnorum, ex domo parœciali in Ecclesiam se conferunt, ubi Officians ad aram majorem in infimo gradu genuflexus, tono consueto intonat sequentem Hymnum, quem chorus prosequitur. Quod si nulla Ecclesia sit in loco, sequentia dicantur in domo, e qua egrediuntur.



V Eni Cre- á-tor Spí-ri-tus, etc., p. 92.

Hoc finito, cantetur :

℣. Kýrie, eléison. ℟. Christe eléison.

℣. Kýrie, eléison, ut p. 443.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : † purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, * ut hanc nostram benedictiónem digne perfícere, et tuis fidélibus perínde optátam salútem procuráre valeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : † ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, * et per te cœpta finiátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus * per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Sínite párvulos veníre ad me :
℟. Tálium est enim regnum cælórum.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, te supplíciter deprecámur, ut respícere dignéris super infántulos tuos : † infúnde in corda eórum grátiam Spíritus Sancti ; * ut per eúmdem illumináti et edócti sciant, quid accéptum sit coram te omni témpore, et proficiant sapiéntia, ætáte et grátia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Diaconus : ℣. Procedámus in pace :
℟. In nómine Christi. Amen.

2. Nunc Officians in processione solemni, sub cantu scholaris juventutis et pulsu campanarum, vadat ad scholam benedicendam. Quo cum pervenerit, stans ante januam exteriorem, cantet solus :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Tunc intonet Antiphonam : Aspérges me. Et chorus prosequatur ut habetur p. 444 :

Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.
Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.
Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde repetitur Antiphona : Aspérges me.

Interim dum hæc cantantur, Officians aspergat parietes exteriores, saltem in anteriori parte, aqua benedicta.

His finitis, cantet :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnípotens et misércors Deus, qui sacerdótibus tuis tantam præ céteris grátiam contulísti, ut, quidquid in tuo nómine digne, perfectéque ab iis ágitur, a te fieri credátur : † quæsumus imménsam cleméntiam tuam; ut, quidquid modo visitatúri sumus, vísites, et, quidquid benedictúri sumus, bene✠dícas, * sitque ad nostræ humilitátis intróitum, Sanctórum tuórum méritis, fuga inimíci, Angeli pacis ingréssus.

DOmine sancte, Pater omnípotens, per intercessiónem sanctórum Ignátii et Aloísii † béne✠dic domum istam, béne✠dic intróitum nostrum, béne✠dic ingréssum pedum nostrórum : * sicut dignátus es domum Patriarchárum Abraham, Isaac et Jacob benedícere. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Nunc sequatur ingressus. Officians intrando amplius scholæ cubiculum, cantet :

℣. Pax huic dómui.

Chorus respondeat :

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Progrediens cum Clero et choro ad mensam linteo albo tectam, in quo inter duos cereos accensos Crucifixi imago est posita, cantet :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : † et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, * qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque defendat omnes habitántes, docéntes et discéntes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui discípulis tuis dixísti : In quamcúmque domum intravéritis, salutáte eam, dicéntes : Pax huic dómui ; † véniat, quæsumus, pax illa super hanc domum, instituéndæ juventúti destinátam, et super omnes habitántes, docéntes et discéntes in ea ; * et eos, Dómine, ab omni infirmitáte erípere, et liberáre dignéris : † reple docéntes in ea spíritu sciéntiæ, sapiéntiæ, et timóris tui, * reple discéntes in ea grátia tua, ut, quæ salutáriter et utíliter edocéntur, intelléctu cápiant, corde retíneant, ópere exsequántur, et in ómnibus nomen tuum honorificétur. Ad introítum ergo nostrum bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris hanc scholam, † et intra paríetes domus istíus Angeli tuæ lucis hábitent, * eámque et in ea habitántes, docéntes et discéntes custódiant : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

4. Postea Officians intonet Antiphonam : Aspérges me, et chorus prosequatur, ut supra, p. 444. Interim fiat aspersio cubiculi aqua benedicta. Reversus ad mensam, Officians imponat thus in thuribulum, et benedicat illud, dicens :

Per intercessiónem sancti Michaélis Archángeli, stantis a dextris altáris incénsi, et ómnium sanctórum Angelórum, incénsum istud dignéris, Dómine, bene ✠ dícere, et in odórem suavitátis accípere. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Hoc dicto, sumat Officians thuribulum, et incenset cubiculum, choro cantante :

Ant. Incénsum cum Ps. 140, uti habetur p. 447.

5. Incensatione peracta, Officians stans coram imagine Crucifixi, cantet :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : † Angeli tui sancti hábitent in ea, qui omnes hic habitántes, docéntes et discéntes in pace custódiant, * et benedíctio tua super illos sit semper.

BEne✠dic, Dómine, domum istam, et sit ibi sánitas, sánctitas, virtus et glória, humílitas, bónitas, mansuetúdo, lénitas, docílitas, et plenitúdo legis, obediéntia et gratiárum áctio Deo Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. † Et hæc benedíctio sit super hanc domum et locum istum; * atque super omnes habitántes, docéntes et discéntes in eo descéndat septifórmis grátia Spíritus Sancti. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Officians nunc affigat sanctam Crucem in loco apto cubiculi, dicendo :

Signum salútis impóne, Dómine, super hanc domum : et non permíttas introíre in eam ángelum percutiéntem. In nómine Patris, et Fílii ✠, et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Versus Crucem :

Orémus — Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in omni loco dominatiónis tuæ totus assístis, solus operáris : † adésto supplicatiónibus nostris, ut hujus domus sis protéctor, et nulla hic nequítia contráriæ potestátis obsístat; * sed in virtúte sanctæ Crucis et operatióne Spíritus Sancti fiat tibi hic purum servítium, et devóta libértas exsístat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

ADésto nobis, Dómine, Deus noster : † et eos, qui in sanctæ Crucis præsídio confídunt, * perpétuis defénde auxíliis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

6. Tandem benedicat Officians cubiculo et omnibus præsentibus manu dextera, formans signum crucis, et dicens :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super hanc domum, super omnes habitántes, docéntes et discéntes in ea, super nos omnes, et máneat semper. ℟. Amen.

His finitis, sub cantu juventutis et pulsu campanarum processionaliter fiat reditus in Ecclesiam statuto ordine, ubi celebratur Missa conveniens Officio diei.

5. — Benedictio primarii lapidis ædificii

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus, a quo omne bonum sumit inítium, et semper ad potióra progrédiens pércipit increméntum : concéde, quæsumus, supplicántibus nobis; ut, quod ad laudem nóminis tui inchoáre aggrédimur, ætérno tuæ patérnæ sapiéntiæ múnere perducátur ad términum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

6. — Benedictio officinæ librariæ et machinæ typographicæ

(Approbata a S. R. C. die 12 Maii 1909)

Sacerdos stans ad valvas, dicat :

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ingrediens dicat :

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde, dicens Antiphonam Aspérges me, Dómine, etc., varias officinæ partes aqua benedicta aspergat, usquedum perveniat ad aulam principalem ejusdem, ubi sistat et dicat :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui dixísti discípulis tuis : In quamcúmque domum intravéritis, salutáte eam, dicéntes : Pax huic dómui : véniat, quæsumus, pax illa super hanc domum et offici-

nam ad libros impriméndos (evulgándos) præparátam, et super omnes degéntes in ea; et cunctos, Dómine, in ea laboránte ab omni calamitáte ánimæ et córporis erípere et liberáre dignéris; reple scriptóres, rectóres et operários spíritu sciéntiæ, consílii et fortitúdinis, et adímple eos spíritu timóris tui, ut mandáta Eccléśiæ fidéliter custodiéntes, tibi digne et próximo suo salutáriter váleant inservíre. Béne ✠ dic ergo, bone Jesu, qui es via, véritas et vita, hunc locum, et præsta, ut omnes illum inhabitántes, intercedénte gloriósa et immaculáta Vírgine matre tua María, ad immarcescíbilem glóriæ corónam felíciter pervéniant : Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde benedicat instrumenta et machinas, dicens :

Orémus — Oratio

DOmine Deus, únice fons scientiárum, qui hóminum ingénium ita illumináre dignátus es, ut nova artificiósa instruménta invenírent ad páginas typis scribéndas; béne ✠ dic, quæsumus, has máchinas (hanc máchinam), ut per libros ad utilitátem nostram prodeúntes nihil áliud te opitulánte discámus, præter sciéntiam tuam, quæ vere ducit ad vitam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta. Finita aspersione, Sacerdos dicat :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes in hac domo habitántes. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si benedicenda sit tantum officina libraria, omittitur secunda oratio cum aspersione pro instrumentis et machinis. Quando autem benedicenda sint solummodo instrumenta vel machinæ, præmissis versiculis : Adjutórium nostrum, etc., et Dóminus vobíscum, etc., adhibeatur tantum secunda oratio cum aspersione.

7. — Benedictio bibliothecæ

(Approbata a S. R. C. die 23 Juli 1924)

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, scientiárum Dóminus, bene ✠ dictiónem tuam super hanc bibliothécam benígnus infúnde; ut ipsa ab incéndiis aliísque perículis tuta consístat, et in dies congruénter augeátur, et omnes qui vel offícii vel studiórum ratióne huc convéniunt, in divinárum humanarúmque rerum sciéntia tuíque páriter dilectióne proficiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

8. — Benedictio archivi

(Approbata a S. R. C. die 23 Julii 1924)

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, veritátis et justítiæ amátor, super hoc archívum, rerum gestárum documéntis juriúmque instruméntis a témporum hominúmque injúria servándis constrúctum, bene ✠ dictiónem tuam benígnus infúnde; ut ab incéndiis aliísque perículis tutum consístat, et omnes qui huc studiórum ratióne convéniunt, veritáti et justítiæ hauriéndæ fidéliter incúmbant, in tuíque dilectióne proficiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

9. — Benedictio thalami

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, thálamum hunc : ut omnes habitántes in eo, in tua pace consístant, et in tua voluntáte permáneant, et senéscant, et multiplicéntur in longitúdinem diérum, et ad regna cælórum pervéniant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

10. — Benedictio super fruges et vineas

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

ORámus pietátem tuam, omnípotens Deus, ut has primítias creatúræ tuæ, quas áëris et plúviæ temperaménto nutríre dignátus es, bene✠dictiónis tuæ imbre perfúndas, et fructus terræ tuæ usque ad maturitátem perdúcas. Tríbue quoque pópulo tuo de tuis munéribus tibi semper grátias ágere; ut a fertilitáte terræ esuriéntium ánimas bonis ómnibus affluéntibus répleas, et egénus et pauper laudent nomen glóriæ tuæ. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

11. — Benedictiones esculentorum præsertim in Pascha

BENEDICTIO AGNI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui per fámulum tuum Móysen, in liberatióne pópuli tui de Ægýpto, agnum occídi jussísti in similitúdinem Dómini nostri Jesu Christi, et utrósque postes domórum de sánguine ejúsdem agni perúngi præcepísti tu : bene✠dícere, et sancti-✠ficáre dignéris hanc creatúram carnis, quam nos fámuli tui ad laudem tuam súmere desiderámus, per Resurrectiónem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO OVORUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

SUbvéniat, quæsumus, Dómine, tuæ bene✠dictiónis grátia huic ovórum creatúræ : ut cibus salúbris fiat fidélibus tuis, in tuárum gratiárum actióne suméntibus, ob Resurrectiónem Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, panis Angelórum, panis vivus ætérnæ vitæ, bene✠dícere dignáre panem istum, sicut benedixísti quinque panes in desérto : ut omnes ex eo gustántes, inde córporis et ánimæ percípiant sanitátem : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO PANIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene✠dícere dignéris hunc panem tua sancta spirituáli benedictióne : ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; atque contra omnes morbos, et univérsas inimicórum insídias tutámen. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, panem vivum, qui de cælo descéndit, et dat vitam et salútem mundo : et tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne✠dic, Dómine, hos novos fructus N., et præsta : ut, qui ex eis in tuo sancto nómine vescéntur, córporis et ánimæ salúte potiántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO AD QUODCUMQUE COMESTIBILE

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne✠dic, Dómine, creatúram istam N., ut sit remédium salutáre géneri humáno : et præsta per invocatiónem sancti Nóminis tui ; ut quicúmque ex ea súmpserint, córporis sanitátem, et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

BENEDICTIO OLEI

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Exorcismus

EXorcízo te, creatúra ólei, per Deum ✠ Patrem omnipoténtem, qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne phantásma sátanæ eradicáre, et effúgare ab hac creatúra ólei, ut fiat ómnibus, qui eo usúri sunt, salus mentis et córporis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et Spíritus ✠ Sancti Paráclíti, et in caritáte ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, cui astat exércitus Angelórum cum tremóre, quorum servítium spirituále cognóscitur, dignáre respícere, bene✠dícere, et sancti✠ficáre hanc creatúram

ólei, quam ex olivárum succo eduxísti, et ex eo infírmos inúngi mandásti. quátenus sanitáte percépta, tibi Deo vivo et vero grátias ágerent : præsta, quæsumus; ut hi, qui hoc óleo, quod in tuo nómine bene✠dícimus, usi fúerint, ab omni languóre, omníque infirmitáte, atque cunctis insídiis inimíci liberéntur, et cunctæ adversitátes separéntur a plásmate tuo, quod pretióso Sánguine Fílii tui redemísti, ut numquam lædátur a morsu antíqui serpéntis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

12. — Benedictio herbarum

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ V.

Absoluta aspersione, si Festum venerit in Dominica, alioquin immediate ante Missam, Sacerdos stans ante altare, conversus ad populum tenentem herbas vel fructus, dicit voce intelligibili :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

Psalmus 64

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur Gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Glória Patri.

℣. Dóminus dabit benignitátem.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Rigans montes de superióribus suis :
℟. De fructu óperum tuórum satiábitur terra.
℣. Prodúcens fœnum juméntis :
℟. Et herbam servitúti hóminum.
℣. Ut edúcas panem de terra.
℟. Et vinum lætíficet cor hóminis.
℣. Ut exhílaret fáciem in óleo.
℟. Et panis cor hóminis confírmet.
℣. Misit verbum suum, et sanávit eos.
℟. Et erípuit eos de ómnibus interitiónibus eórum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui cælum, terram, mare, visibília et invisibília verbo tuo ex níhilo creásti, quique herbas, arborésque ad usus hóminum animaliúmque terram gígnere, et unumquódque juxta seméntem in semetípso fructum habére præcepísti; atque non solum ut herbæ animántibus ad victum, sed ægris étiam corpóribus prodéssent ad medicaméntum, tua ineffábili pietáte concessísti : te súpplici mente et ore deprecámur, ut has divérsi géneris herbas et fructus tua cleméntia bene ✠dícas, et supra naturálem a te índitam virtútem, eis benedictiónis tuæ novæ grátiam infúndas; ut ad usum homínibus et juméntis in nómine tuo applicátæ, ómnium morbórum et adversitátum efficiántur præsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEus, qui per Móysen fámulum tuum mandásti fíliis Israël, ut manípulos novórum frúctuum benedicéndos deférrent ad sacerdótes, tolleréntque fructus árboris pulchérrimæ, et lætaréntur coram te Dómino Deo suo : adésto propítius invocatiónibus nostris,

et infúnde tuæ bene ✠dictiónis abundántiam super nos, et super manípulos novárum frugum, novárum herbárum, et frúctuum collectiónem, quæ cum gratiárum actióne tibi repræsentámus, et in nómine tuo in hac solemnitáte bene ✠dícimus; et concéde, ut homínibus, pecóribus, pecúdibus et juméntis contra morbos, pestes, úlcera, malefícia, incantatiónes, venefícia serpéntum, et aliórum venenosórum animálium et bestiárum morsus, nec non quæcúmque venéna, remédium præstent; atque contra diabólicas illusiónes, et machinatiónes, et fraudes tutámen ferant, in quocúmque loco pósitum vel portátum aut hábitum áliquid ex eis fúerit : quátenus cum manípulis bonórum óperum, méritis beátæ Maríæ Vírginis, cujus Assumptiónis festum cólimus, quo ipsa assúmpta est, súscipi mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

DEus, qui virgam Jesse, Genitrícem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, hodiérna die ad cælórum fastígia ídeo evexísti, ut per ejus suffrágia et patrocínia fructum ventris illíus, eúmdem Fílium tuum, mortalitáti nostræ communicáres : te súpplices exorámus; ut ejúsdem Fílii tui virtúte, ejúsque Genitrícis glorióso patrocínio istórum terræ frúctuum præsídiis per temporálem ad ætérnam salútem disponámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super has creatúras, et máneat semper. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta, et thurificentur.

13. — Benedictio vini

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

In Festo sancti Joannis Ap. et Evang., expleta omnino Missa majore, hoc est post ultimum Evangelium, Sacerdos, retentis omnibus paramentis, excepto manipulo, vinum a populo oblatum, in memoriam et honorem S. Joannis, qui venenum innocue sumpsit, benedicit hoc modo :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

BEne✠dícere et conse✠cráre dignéris, Dómine Deus, déxtera tua hunc cálicem vini, et cujúslibet potus : et præsta ; ut per mérita sancti Joánnis Apóstoli et Evangelístæ, omnes in te credéntes et de cálice isto bibéntes benedicántur, et protegántur Et sicut beátus Joánnes de cálice bibens venénum, illæsus omníno permánsit, ita omnes, hac die in honórem beáti Joánnis de cálice isto bibéntes, méritis ipsíus ab omni ægritúdine venéni, et nóxiis quibúsvis absolvántur, et córpore ac ánima se offeréntes, ab omni culpa liberéntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Béne✠dic, Dómine, hanc creatúram potus : ut sit remédium salutáre ómnibus suméntibus : et præsta per invocatiónem sancti Nóminis tui; ut, quicúmque ex eo gustáverint, tam ánimæ quam córporis sanitátem te donánte percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super hanc creatúram vini, et cujúslibet potus, et máneat semper. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

¶ Quod si benedíctio illa fiat privatim extra Missam, Sacerdos, superpelliceo et stola indutus, eam confíciat modo superius tradito.

Alia benedictio vini

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ

In fine Missæ post Evangelium, dicitur Ps. 22. Dominus regit me, p. 154.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.
℣. Et si mortíferum quid bíberint :
℟. Non eis nocébit.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℟. Dóminus vobíscum.
℣. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : qui Fílium tuum tibi coætérnum et consubstantiálem de cælis descéndere, et de sacratíssima Vírgine María in hoc témpore plenitúdinis incarnári temporáliter voluísti, ut ovem pérditam et errántem quæréret, et in húmeris própriis ad ovíle reportáret; nec non ut eum, qui in latrónes íncidit, a vúlnerum suórum dolóre, infúndens ipsi vinum et óleum, curáret; béne✠dic et sanctí✠fica hoc vinum : quod de vite in potum hóminum produxísti, et præsta : ut, quisquis in hac sacra solemnitáte de eo súmpserit vel bíberit, salútem ánimæ et córporis consequátur : et si in peregrinatióne fúerit, ab eódem, tua grátia mediánte, confortétur; ut via ejus in omni prosperitáte dirigátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui te vitem veram, et sanctos Apóstolos tuos pálmites appellári, et de ómnibus te diligéntibus víneam eléctam plantáre voluísti; béne✠dic hoc vinum, et virtútem ei tuæ benedictiónis infúnde : ut, quicúmque ex eo súmpserit vel bíberit, intercedénte dilécto discípulo tuo Joánne Apóstolo et Evangelísta, síngulis morbis et venénis pestíferis effugátis, sanitátem inde córporis et ánimæ consequátur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

DEus, qui humáno géneri panem in cibum, et vinum in potum procreásti, ut panis corpus confórtet, et vinum cor hóminis lætíficet; quique beáto Joánni prædilécto discípulo tuo tantam grátiam contulísti, ut non solum haustum venéni illæsus eváderet, sed étiam in tua virtúte venéno prostrátos a morte resuscitáret : præsta ómnibus hoc vinum bibéntibus, ut spirituálem lætítiam et vitam cónsequi mereántur ætérnam. Per Dóminum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

14. — Benedictio seminum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

TE rogámus, Dómine, ac pétimus : ut hos fructus séminum bene ✠dícere, plácido lenis auræ afflátu fovére, rore cælésti fecundáre, et incólumes propter usum animárum et córporum ad pleníssimam maturitátem perdúcere dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

15. — Benedictio seminum et segetum

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, sempitérne Deus : pétimus ac rogámus, ut hos fructus ségetum ac séminum tuis serénis óculis, hilaríque vultu aspícere dignéris : et sicut testátus es Móysi fámulo tuo in terra Ægýpti, dicens : Dic fíliis Israël, cum ingréssi fúerint terram promissiónis, quam eis dabo, ut primítias frúctuum suórum ófferant sacerdótibus, et erunt benedícti ; sic et nos rogámus te, Dómine, ut per auxílium misericórdiæ tuæ emíttas super hunc fructum ségetum déxteræ tuæ bene ✠dictiónem, quem ad exhibéndum proférre dignéris, ut non súbruat grando, nec áëris inundátio extérminet, sed semper incólumis permáneat, propter usum animárum et córporum, et ad bene abundántem et pleníssimam maturitátem perdúcere dignéris : Qui in Trinitáte perfécta vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, cæléstis verbi seminátor et cultor, qui nostri cordis áream spiritálibus rastris exérces : adésto propítius précibus nostris, et super agros, quibus si fúerint sémina ínsita, tuam largam benedictiónem infúnde, ac ab eis omnem vim procellárum grátia tuæ defensiónis averte ; ut omnis hic fructus et tua bene ✠dictióne repleátur, et ad hórrea sine impedimento pervéniat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta, et, si fieri potest, thurificentur.

16. — Benedictio cerevisiæ

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠dic, Dómine, creatúram istam cerevísiæ, quam ex ádipe fruménti producere dignátus es : ut sit remédium salutáre humáno géneri : et præsta per invocatiónem Nóminis tui sancti, ut, quicúmque ex ea bíberint, sanitátem córporis, et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

17. — Benedictio uvarum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠dic, Dómine, hos fructus novos víneæ, quos tu rore cæli, et abundántia pluviárum, et témporum serenitáte atque tranquillitáte, ad maturitátem perdúcere dignátus es, et dedísti eos ad usus nostros gratiárum actióne percípere in nómine Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

18. — Benedictio horrei seu segetum demessarum

℣. Adjutórium nostrum in nómini Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui de rore cæli abundántiam, et de pinguédine terræ substántiam homínibus conférre non désinis : piíssimæ majestáti tuæ pro colléctis frúctibus grátias ágimus, tuam cleméntiam exorántes; ut has ségetes, quas de

benignitáte tua suscépimus, bene✠dícere, conservâre, et ab omni noxa defêndere dignéris : simúlque concéde; ut, quorum in bonis replésti desidérium, de tua custódia glorióntur, misericórdias tuas sine fine colláudent, et sic tránseant per bona temporália, ut non amíttant ætérna. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

19. — Benedictio casei vel butyri

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DIgnáre, Dómine Deus omnípotens, bene✠dícere, et sancti-✠ficáre hanc creatúram cásei (vel butyri), quam ex ádipe animálium producere dignátus es : ut, quicúmque ex pópulis tuis fidélibus de eo coméderint, omni benedictióne cæléśti, et grátia tua saturáti, repleántur in bonis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

20. — Benedictio laridi

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

BEne✠dic, Dómine, creatúram istam láridi, ut sit remédium salutáre géneri humáno : et præsta per invocatiónem tui sancti Nóminis; ut, quicúmque ex eo súmpserint, córporis sanitátem et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

21. — Benedictio volucrum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, univérsæ cónditor natúræ, qui inter céteras diversárum creaturárum spécies, pro humáni géneris usu étiam volatílium genus ex aqua prodúcere dignátus es; de quibus Noë ex arca egrédiens holocáustum tibi plácitum óbtulit; et qui pópulo tuo ex Ægýpto edúcto per Móysen servum tuum, munda ab immúndis ségregans, ut de iis éderent, præcéptum dedísti : te súpplices rogámus, ut has mundárum ávium carnes bene✠dícere, et sancti✠ficáre dignéris : ut, quicúmque ex iis coméderint, benedictiónis tuæ abundántia repleántur, et ad ætérnæ vitæ páscua pervenire mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

22. — Benedictio apum.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui creásti cælum et terram, et ómnia animália super ea et in eis exsisténtia, ut eis uteréntur hómines; quique jussísti per minístros sacrosánctæ Ecclésiæ céreos ex opéribus apum edúctos in templo, dum sacrum perágitur ministérium, in quo conficitur et súmitur sacrosánctum Corpus et Sanguis Jesu Christi Fílii tui, accéndi : descéndat tua sancta bene✠dictio super has apes et hæc alveária; ut multíplicent, fructífícent et conservéntur ab ómnibus malis, ita ut fructus ex eis proveniéntes ad laudem tuam, Fílii et Spíritus Sancti, beatissimæque Vírginis Maríæ dispenséntur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

23. — Benedictio pecorum et armentorum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus, Rex cæli et terræ, Verbum Patris, per quod ómnia facta sustentatióni nostræ trádita sunt, réspice, quæsumus, humilitátem nostram : et sicut nostris labóribus et

necessitátibus subventiónem tribuísti, ita tua benignissima miseratióne ac cælésti benedictióne, hæc pécora et arménta (hoc pecus et arméntum) bene ✠ dícere, tuéri, et custodíre, ac fámulis tuis cum temporáli provéntu grátiam perpétuam largíri dignéris; ut cum gratiárum actióne Nomen sanctum tuum laudétur et glorificétur : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

24. — Benedictio equorum aliorumve animalium

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, refúgium nostrum, et virtus : adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui gloriósum beátum Antónium, váriis tentatiónibus probátum, inter mundi hujus túrbines illæsum abíre fecísti : concéde fámulis tuis; ut et præcláro ipsíus proficiámus exémplo, et a præséntis vitæ perículis ejus méritis et intercessióne liberémur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Orémus — Oratio

BEne ✠ dictiónem tuam, Dómine, hæc animália accípiant : qua córpore salvéntur, et ab omni malo per intercessiónem beáti Antónii liberéntur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

25. — Benedictio animalium

GRAVI INFIRMITATE LABORANTIUM

Sacerdos, superpelliceo et stola violacea indutus, dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Hómines et juménta salvábis, Dómine :
℟. Quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.
℣. Aperis tu manum tuam.
℟. Et imples omne ánimal benedictióne.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui labóribus hóminum étiam de mutis animálibus solátia subrogásti : súpplices te rogámus; ut, sine quibus non álitur humána condítio, nostris fácias úsibus non perire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

MIsericórdiam tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut hæc animália, quæ gravi infirmitáte vexántur, in nómine tuo, atque tuæ bene ✠ dictiónis virtúte sanéntur. Exstinguátur in eis omnis diabólica potéstas; et ne ultérius ægrótent, tu eis, Dómine, sis defénsio vitæ et remédium sanitátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

Orémus — Oratio

AVérte, quæsumus, Dómine, a fidélibus tuis cuncta propítius flagélla : et morbórum in animália sæviéntium depélle perniciem; ut, quos mérito plectis dévios, fóveas tua miseratióne corréctos. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Alia benedictio animalium

GRAVI INFIRMITATE LABORANTIUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

MIsericórdiam tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut hæc animália, quæ gravi infirmitáte vexántur, in nómine tuo, atque tuæ bene ✠ dictiónis virtúte sanéntur. Exstinguátur in eis

omnis diabólica potéstas; et ne ultérius ægrótent, tu eis, Dómine, sis defénsio vitæ, et remédium sanitátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

26. — Benedictio salis vel avenæ

PRO ANIMALIBUS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Deus, ómnium cónditor et conservátor, cujus in manu est ánima omnis vivéntis, et spíritus univérsæ carnis : exáudi, quæsumus, tuórum fidélium preces, et hanc creatúram salis (vel avénæ) tua bene ✠dictióne, tuæque invisíbilis operatiónis virtúte perfúnde; ut animália quæ necessitátibus humánis tribúere dignátus es, cum ex eo (ea) gustáverint, ab omni morbo illæsa reddántur, et a malígni spíritus incúrsu, te protegénte, custodiántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

27. — Benedictio stabuli

EQUORUM, BOUM ALIORUMVE ARMENTORUM

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui Fílium tuum unigénitum, Redemptórem nostrum, in stábulo nasci, et inter duo animália in præsépio reclinári voluísti : béne ✠dic, quæsumus, hoc stábulum, et defénde illud ab omni nequítia vel versútia diabólicæ fraudis; ut juméntis, pecóribus, ceterísque animántibus efficiátur locus sanus, et ab omni impugnatióne secúrus. Et quóniam cognóvit bos possessórem suum, et ásinus præsépe dómini sui : misericórditer tríbue fámulis tuis, quos ad imáginem tuam creásti, paulo minus ab Angelis minuísti, et sub quorum pédibus

subjecísti oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi; ne comparéntur juméntis insipiéntibus, et ne fiant sicut equus et mulus, quibus non est intelléctus; sed te solum Deum auctórem bonórum ómnium agnóscant, et in servítio tuo fidéles persevérent, quátenus de percéptis munéribus tibi grátias exhibéntes, benefícia potióra percípere mereántur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, si tunc in stabulo congregata sint animalia, addere potest Sacerdos sequentes Orationes : Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósum, etc., et Benedictiónem tuam, etc., uti supra in Benedictione equorum aliorumve animalium, pag. 558.

Postea aspergat aqua benedicta stabulum et animalia.

28. — Benedictio deprecatoria

CONTRA MURES, LOCUSTAS, BRUCHOS, VERMES ET ALIA ANIMALIA NOCIVA R

Sacerdos delegatus, indutus superpelliceo et stola coloris violacei, veniat ad agros, a locustis, bruchis vel aliis animalibus noxiis vexatos, et dicat :

Antiphona. [1] Exsúrge, Dómine, ádjuva nos : et líbera nos propter nomen tuum.

Ps. 43. Deus, áuribus nostris audívimus : * patres nostri annuntiavérunt nobis.

℣. Glória Patri. Sicut erat.

Repetitur Antiphona : Exsúrge, etc.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi : ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, et hanc múrium (vel locustárum, vel bruchórum, vel vérmium, sive aliorum animalium)

[1] Ant. cum cantu, ut supra p. 429.

persecutiónem pátimur, pro tui nóminis glória ab ea misericórditer liberémur; † ut tua poténtia procul expúlsi (-æ) nulli nóceant, et campos, agrósque nostros in tranquillitáte et quiéte dimíttant, * quátenus ex eis surgéntia, et orta tuæ majestáti desérviant, et nostræ necessitáti subvéniant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, ómnium bonórum remunerátor, et peccatórum máximus miserátor, in cujus nómine ómnia genuflectúntur, cæléstia, terréstria, et infernália : † tua poténtia nobis peccatóribus concéde; ut, quod de tua misericórdia confísi ágimus, per tuam grátiam efficácem ejus consequámur efféctum; quátenus hos (has) pestíferos (-as) mures (vel locústas, vel bruchos, vel vermes, vel alia animalia) per nos servos tuos maledicéndo maledícas, segregándo ségreges, exterminándo extérmines; * ut per tuam cleméntiam ab hac peste liberáti, gratiárum actiónes majestáti tuæ líbere referámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

EXorcízo vos pestíferos (-as) mures (vel locústas, vel bruchos, vel vermes, vel alia animalia), per Deum ✠ Patrem omnipoténtem, per Jesum ✠ Christum Fílium ejus únicum, per Spíritum ✠ Sanctum ab utróque procedéntem, ut conféstim recedátis a campis et agris nostris, nec ámplius in eis habitétis, sed ad ea loca transeátis, in quibus némini nócere possítis : † pro parte omnipoténtis Dei, et totíus cúriæ cæléstis, et Ecclésiæ sanctæ Dei vos maledícens, ut, quocúmque iéritis, sitis maledícti (-æ), deficiéntes de die in diem in vos ipsos (ipsas), et decrescéntes; * quátenus relíquiæ de vobis nullo in loco inveniántur, nisi necessáriæ ad salútem et usum humánum : Quod præstáre dignétur, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postremo loca infecta aspergantur aqua benedicta.

29. — Benedictio contra inundationes aquarum

(Approbata a S. R. C. die 1 Dec. 1886)

Sacerdos indutus superpelliceo et stola, populo concomitante, portet ad rivum vel flumen benedicendum Reliquiam Sanctæ Crucis, ibique in quatuor partibus legat devote initia quatuor Evangeliorum, et post singula Evangelia subjungat sequentes Versiculos et Orationem :

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster.
℟. Et propter glóriam nóminis tui líbera nos.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.
℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.
℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatóris : majestátem tuam suppliciter deprecámur; ut fámulos tuos de tua misericórdia confidéntes, ab aquárum perículis, cælésti prótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves : ut tibi júgiter famuléntur, nullísque tentatiónibus a te separéntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super has aquas, eásque coérceat. ℟. Amen.

30. — Benedictio navis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et béne✠dic navem istam déxtera tua sancta, et omnes, qui in ea vehéntur, sicut dignátus es benedícere arcam Noë ambulántem in dilúvio : pórrige eis, Dómine, déxteram tuam, sicut porrexísti beáto Petro ambulánti supra mare; et mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui líberet, et custódiat eam semper a perículis univérsis, cum ómnibus, quæ in ea erunt : et fámulos tuos, repúlsis adversitátibus, portu semper optábili, cursúque tranquíllo tueáris, transactísque, ac recte perféctis negótiis ómnibus, iteráto témpore ad própria cum omni gáudio revocáre dignéris : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

31. — Benedictio solemnis navis piscatoriæ

(Approbata a S. R. C. die 10 Aprilis 1912)

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Ant. Dómine, Dóminus noster.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Glória Patri. Sicut erat.

Ant. Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

PRopitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et bene✠dic navem istam déxtera tua sancta, et omnes, qui in ea vehéntur, sicut dignátus es benedícere arcam Noë ambulántem in dilúvio : pórrige eis, Dómine, déxteram tuam, sicut porrexísti beáto Petro ambulánti supra mare; et mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui líberet, et custódiat eam semper a perículis univérsis, cum ómnibus, quæ in ea erunt : et fámulos tuos, repúlsis adversitátibus, portu semper optábili, cursúque tranquíllo tueáris, transactísque, ac recte perféctis negótiis ómnibus, iteráto témpore ad própria cum omni gáudio revocáre dignéris : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

(Cap. 21, 1-24)

℟. Glória tibi, Dómine.

IN illo témpore : Manifestávit se íterum Jesus discípulis ad mare Tiberíadis. Manifestávit autem sic : Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Dídymus, et Nathánaël, qui erat a Cana Galilææ, et fílii Zebedæi, et álii ex discípulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscári. Dicunt ei : Venímus et nos tecum. Et exiérunt, et ascendérunt in navim : et illa nocte nihil prendidérunt. Mane autem facto stetit Jesus in líttore : non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus : Púeri numquid pulmentárium habétis? Respondérunt ei : Non. Dicit eis : Míttite in déxteram navígii rete : et inveniétis. Misérunt ergo : et jam non valébant illud tráhere præ multitúdine píscium. Dixit ergo discípulus ille, quem diligébat Jesus, Petro : Dóminus est. Simon Petrus cum audísset quia Dóminus est, túnica succínxit se (erat enim nudus), et misit se in mare. Alii autem discípuli navígio venérunt : (non enim longe erant a terra, sed quasi cúbitis ducéntis) trahéntes rete píscium. Ut ergo descendérunt in terram, vidérunt prunas pósitas, et piscem superpósitum, et panem. Dicit eis Jesus : Afférte de píscibus, quos prendidístis nunc. Ascéndit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis píscibus centum quinquagínta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Jesus : Veníte, prandéte. Et nemo audébat discumbéntium interrogáre eum : Tu quis es? sciéntes, quia Dóminus est. Et venit Jesus, et áccipit panem, et dat eis, et piscem simíliter. Hoc jam tértio manifestátus est Jesus discípulis suis cum resurrexísset a mórtuis. Cum ergo prandíssent, dicit Simóni Petro Jesus : Simon Joánnis, díligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei íterum : Simon Joánnis, díligis me? Ait illi : Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tértio : Simon Joánnis, amas me? Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio, Amas me? et dixit ei : Dómine, tu ómnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. Amen, amen, dico tibi : cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas ubi volébas : cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et álius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum. Et cum hoc dixísset, dicit ei : Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem diligébat Jesus,

sequéntem, qui et recúbuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Dómine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidísset Petrus, dixit Jesu : Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesus : Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? tu me séquere. Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discípulus ille non móritur. Et non dixit ei Jesus : Non móritur; sed : Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc : et scimus, quia verum est testimónium ejus.

℟. Laus tibi, Christe.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui dívidens aquas ab árida, omnem ánimam in his vivéntem creásti, hominémque voluísti píscibus maris dominári : qui super marínos vórtices ámbulans ventis et flúctibus imperásti : Apostolorúmque rétia verbo tuo mirabíliter replésti : præsta, quæsumus, ut in navículis suis fámuli tui ab ómnibus perículis, te comitánte, liberáti, píscium multitúdinem copiósam conclúdant, ac tandem ad ætérnæ felicitátis portum, méritis onústi, pervéniant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

OBsecrámus te, Dómine, Salvátor noster, ut famulórum tuórum labóres benedícere dígnéris, quemádmodum Apóstolis tuis benedixísti, dicens : míttite in déxteram navígii rete, et inveniétis : ut de abundántia tuæ benedictiónis læti, te Redemptórem nostrum semper exaltémus benedíctum in sæcula. ℟. Amen.

RESpice, Dómine, ad intercessiónem beatíssimæ Vírginis Maríæ, sancti Petri, ceterorúmque Apostolórum et sancti N. (Titularis navis benedicendæ), ut labóres mánuum nostrárum ne despícias; sed tua sanctíssima bene ✠dictióne, a nobis cuncta peccáta repéllas, perícula submóveas, et ómnia nobis bona profutúra concédas. Per Dóminum. ℟. Amen.

Sacerdos navem aspergat aqua benedicta, dicens :

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super omnes, qui in ea erunt, et máneat semper. ℟. Amen.

32. — Benedictio metalli pro campana

DUM ÆRE CONFLATUR

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui creatúris étiam inanimátis hunc honórem tríbuis, ut ad cultum tuum destinéntur : tuam, quǽsumus, bene✠dictiónem effúnde super hoc metállum; et præsta, ut, cum jam in rívulos ignítos prófluet, tua dirigénte déxtera et protegénte grátia, apte et conveniénter disponátur ad efformándum tintinnábulum, quo (efformánda tintinnábula, quibus) fidéles ad laudem et glóriam Nóminis tui in ecclésia congregéntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Postquam autem feliciter completum fuerit opus, Sacerdos dicat :

Psalmus 116

LAudáte Dóminum, omnes Gentes : * laudáte eum, omnes pópuli.
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.
Glória Patri. Sicut erat.

Postea adjungat Orationem sequentem :

Orémus Oratio

ACtiónes nostras, quǽsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

33. — Benedictio fornacis calcariæ

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens ætérne Deus, a quo ómnia creáta procédunt, et qui mirábili dispositióne bonitátis tuæ eis tríbuis ad usum hóminum inservíre; qui olim altáre tuum de lapídibus constrúctum calce levigáre jussísti, ut per Deuteronómium in eo scriptum tuórum servarétur memória mandatórum : te súpplices exorámus, béne✠dic hanc fornácem, et ab ea longe repúlsa omni versútia diabólicæ fraudis, fructuósam reddas illam et aptam; ut per ignem

vim virtútis suæ exercéntem aptatóres hujus óperis de tua benignitáte calcem recípiant congruéntem; quibus étiam tríbue, ut in eis simul crescat tuæ grátiæ salutáris augméntum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

34. — Benedictio vehiculi seu currus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

PRopitiáre, Dómine Deus, supplicatiónibus nostris, et béne ✠dic currum istum déxtera tua sancta : adjúnge ad ipsum sanctos Angelos tuos, ut omnes, qui in eo vehéntur, líberent et custódiant semper a perículis univérsis : et quemádmodum viro Æthíopi super currum suum sedénti et sacra elóquia legénti, per Levítam tuum Philíppum fidem et grátiam contulísti; ita fámulis tuis viam salútis osténde, qui tua grátia adjúti bonísque opéribus júgiter inténti, post omnes viæ et vitæ hujus varietátes, ætérna gáudia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

35. — Benedictio viæ ferreæ et curruum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui ómnia eleménta ad tuam glóriam, utilitatémque hóminum condidísti : dignáre, quæsumus, hanc viam férream, ejúsque instrumenta bene ✠dícere, et benígna semper tua providéntia tuéri; ut, dum fámuli tui velóciter próperant in via, in lege tua ambulántes, et viam mandatórum tuórum curréntes, ad cæléstem pátriam felíciter perveníre váleant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

PRopitiáre, Dómine Deus, supplicatiónibus nostris, et béne ✠dic currus istos déxtera tua sancta : adjúnge ad ipsos sanctos Angelos tuos, ut omnes, qui in eis vehéntur, líberent et custódiant

semper a perículis univérsis : et quemádmodum viro Æthíopi super currum suum sedénti et sacra elóquia legénti, per Levítam tuum Philíppum fidem et grátiam contulísti; ita fámulis tuis viam salútis osténde, qui tua grátia adjúti bonísque opéribus júgiter inténti, post omnes viæ et vitæ hujus varietátes, ætérna gáudia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur via et currus aqua benedicta.

36. — Benedictio telegraphi R

Clerus, vel a proximiori ecclesia, vel ab aliquo alio loco ad hoc parato, procedit usque ad stationem telegraphi, canendo vel recitando :

Canticum Zachariæ. Benedíctus Dóminus, p. 235.

Ibi Sacerdos delegatus intonat :

Antiph. Benedíctus es, Dómine, * qui ponis nubem ascénsum tuum : qui ámbulas super pennas ventórum, qui facis Angelos tuos spíritus, et minístros tuos ignem uréntem.

Postea dicitur

Psalmus 103.

BEnedic, ánima mea, Dómino : * Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abýssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis.

Qui réspicit terram, et facit eam trémere : * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Glória Patri. Sicut erat.

Antiph. Benedíctus es, Dómine, qui ponis nubem ascénsum tuum : qui ámbulas super pennas ventórum, qui facis Angelos tuos spíritus, et minístros tuos ignem urémtem.

Deinde dicit :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

CONcéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio

DEus, qui ámbulas super pennas ventórum, et facis mirabília solus : concéde, ut, cum per vim huic metállo índitam fulmíneo ictu celérius huc abséntia, et hinc álio præséntia transmíttis; ita nos invéntis novis edócti, tua grátia opitulánte, prómptius et facílius ad te veníre valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergat telegraphum aqua benedicta.

37. — Benedictio machinæ ad excitandam lucem electricam R

Clerus, a proximiori ecclesia vel ab aliquo alio loco ad hoc parato, procedit usque ad stationem machinæ benedicendæ, canendo vel recitando :

Canticum Zachariæ. Benedíctus Dóminus, p. 235.

Ibi Sacerdos delegatus intonat :

Ant. Lux orta est * justo : rectis corde lætítia.

Psalmus 96.

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.
Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.
Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.
Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.
Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.
Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.
Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.
Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :
Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.
Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.
Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.
Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.
Glória Patri. Sicut erat.

Ant. Lux orta est justo : rectis corde lætítia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui es cónditor ómnium lúminum, bénedic hanc máchinam ad lumen excitándum nóviter cónditam : et præsta; ut ad te, qui es Lux indefíciens, post hujus sæculi calíginem pervenire valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat machinam aqua benedicta.

38. Benedictio machinæ itineri aereo destinatæ

(Approbata a S. R. C. die 24 Martii 1920)

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Bénedic, ánima mea, Dómino.
℟. Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.
℣. Qui ponis nubem ascénsum tuum.
℟. Qui ámbulas super pennas ventórum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui ómnia propter temetípsum operátus es, et cuncta mundi hujus eleménta in usum humáni géneris destinásti : béne ✠ dic, quæsumus, hanc máchinam (has máchinas) itíneri aéreo deputátam (-as) ; ut ad laudem et glóriam Nóminis tui látius propagándam, et ad res humánas prómptius expediéndas, damno quovis et perículo remóto, desérviat (-ant), et in ómnium fidélium, eámdem máchinam (eásdem máchinas) adhibéntium, ánimis cæléstia fóveat (-ant) desidéria. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEus, qui beátæ Maríæ Vírginis domum per Incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti : effúnde, quæsumus, bene ✠ dictiónem tuam super hanc máchinam (has máchinas) ; ut, qui per eam (eas) itíneri aéreo sub tutéla ejúsdem beátæ Vírginis se commíserint, eo quo tendunt próspere pervéniant, et incólumes ad própria revertántur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

DEus, in te sperántium salus, fámulis tuis iter aéreum perageéntibus ac tuam opem invocántibus, Angelum bonum de cælis cómitem benígnus adjúnge : ut ab eo custodiántur in ómnibus viis, et ad propósitam sibi metam felíciter deducántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

39. — Benedictio machinæ ad exstinguendum incendium

(Approbata a S. R. C. die 10 Aprilis 1912)

Clerus a proximiori ecclesia, vel ab alio aliquo præparato loco, procedit ad locum, ubi est machina benedicenda, canendo vel recitando :

Ant. Mansuefáctus est * ignis, et vim suæ virtútis oblítus est : ut fílii tui, quos dilexísti, Dómine, servéntur illæsi.

Ps. 65. Jubiláte Deo, p. 144.

Ant. Mansuefáctus est ignis, et vim suæ virtútis oblítus est : ut fílii tui, quos dilexísti, Dómine, servéntur illæsi.

Repetita Antiphona, Celebrans, respondentibus circumstantibus, dicit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Nihil proficiat inimícus in eis.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére eis.

℣. Benedícite, ignis et æstus, Dómino.
℟. Laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

℣. Benedícite, fílii hóminum, Dómino.
℟. Laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

℣. Qui líberat nos de médio ardéntis flammæ.
℟. Et de médio ignis éruit nos.

℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus.
℟. Quóniam in sæculum misericórdia ejus.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

DEus, qui tribus púeris in fornáce Babylónis per Angelum tuum mitigásti flammas ígnium : omnes, quæsumus, per déxteram tuam in córdibus nostris faces exstíngue vitiórum; ut a temporálibus eruámur incéndiis, et ab ígnibus liberémur ætérnis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus

Oratio

DEus, cujus in mánibus nos sumus, et sermónes nostri, et omnis sapiéntia, et óperum sciéntia et disciplína : fámulis tuis opitulátor adsíste; ut, quóties instántibus incéndii periclitémur angústiis, tóties suppeténtibus ingénii foveámur auxíliis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, justus hóminum gubernátor et clemens, cui tamquam Factóri suo sic omnis prómptior creatúra desérvit, ut éadem ad torméntum ímpiis exardéscat, et ad benefícium piis lenis evádat : aurem tuam, quæsumus, précibus nostris benígnus inténde, et hanc máchinam compriméndis ígnibus destinátam tua munífícus bene ✠ dictióne perfúnde : ut, quóties hujus éfficax instruméntum máchinæ viva fide piísque cum votis fúerit advérsus éxcitas incéndii vires adhíbitum, aqua sæviéntes flammas ex eo jactáta restínguat, et igni vim totam suæ virtútis erípiat, ne incéndium fidélibus in te sperántibus moléstiam áfferat, neve illis eorúmque bonis detriméntum íngerat : quátenus univérsi, ab omni formídine páriter et perículo sóspites, a suis vítiis toto corde resipíscant, ac beneficiórum tuórum mémores, sincéra mente cognóscant, tália sibi flagélla e sua quidem iniquitáte prodíre, et in tua miseratióne cessáre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

40. — Benedictio ignis.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus, Pater omnípotens, Lumen indefíciens, qui es cónditor ómnium lúminum : novum hunc ignem sanctí-✠ fica, et præsta; ut ad te, qui es Lumen indefíciens, puris méntibus, post hujus sæculi calíginem, pervenire valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

41. — Benedictio pontis.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et pontem istum, et omnes qui per eum transíbunt, bene✠dícere dignáre; ut inter próspera hujus mundi et advérsa tuo semper protegántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, vísitet, et deféndat pontem istum, et omnes qui per eum transíbunt. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

42. — Benedictio fontis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

SUpplices deprecámur, Dómine, cleméntiam pietátis tuæ : ut aquam fontis hujus cælésti benedictióne sanctí✠fices, et ad commúnem vitæ usum concédas esse salúbrem; et ita omnem diabólicæ tentatiónis incúrsum inde fugáre dignéris, ut, quicúmque ex eo háuserint vel bíberint, vel in quibuscúmque necessáriis úsibus hausta aqua usi fúerint, totíus virtútis ac sanitátis dulcédine perfruántur, tibíque Sanctificatóri et Salvatóri ómnium Dómino grátias ágere mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

43. — Benedictio putei

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus omnípotens, qui in hujus pútei altitúdinem per crepídinem fistulárum cópiam aquárum manáre jussísti : præsta; ut te juvánte atque bene✠dicénte per nostræ officium

functiónis, repúlsis hinc phantasmáticis collusiónibus, ac diabólicis insídiis, purificátus atque emundátus semper hic púteus persevéret. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

44. — Benedictio linteaminum pro infirmis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Jesu Christe, qui per tactum fímbriæ vestimentórum tuórum mulíerem fluxu sánguinis laborántem, aliósque passim infírmos sanáre dignátus es, et per sudária, et semicínctia Apóstoli tui Pauli languóres et spíritus nequam ab infírmis eádem virtúte fugásti : præsta, quæsumus; ut qui his vestiméntis, velis et linteamínibus, quæ in tuo nómine bene✠dícimus, indúti vel opérti fúerint, sanitátem mentis et córporis percípere mereántur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

45. — Benedictio cujuscumque medicinæ

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui mirabíliter hóminem creásti, et mirabílius reformásti, qui váriis infirmitátibus, quibus detinétur humána mortálitas, multíplici remédio succúrrere dignátus es : propítius esto invocatiónibus nostris, et sanctam tuam de cælis bene✠dictiónem super hanc medicínam infúnde, ut ille, qui eam súmpserit (illi, qui eam súmpserint), sanitátem mentis et córporis percípere mereátur (-ántur). Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

46. — Benedictio ad omnia

Hæc benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, quarum specialis benedictio in hoc Rituali non habetur.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, cujus verbo sanctificántur ómnia, bene✠dictiónem tuam effúnde super creatúram istam (creatúras istas) : et præsta, ut, quisquis ea (eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitátem et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur (vel aspergantur) aqua benedicta.

APPENDIX

CAPUT I

DE BAPTISMO

ARTICULUS I

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

Ad fores ecclesiæ

1. Sacerdos interrogat infantem (si plures sint baptizandi, singulariter singulos) :

N. Quid petis ab Ecclésia Dei? Patrinus respondet : Fidem.

Sacerdos : Fides, quid tibi præstat?

Patrinus respondet : Vitam ætérnam.

2. Sacerdos (etiam singulariter singulis) :

Si ígitur vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum.

3. Deinde ter exsufflat leniter in faciem infantis, et dicit semel (singulariter singulis) :

Exi ab eo (ea), immúnde spíritus, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

4. Postea pollice facit signum Crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens (singulariter singulis) :

Accipe signum Crucis tam in fron✠te, quam in cor✠de, sume fidem cæléstium præceptórum : et talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: et hunc Eléctum tuum N. (hanc Eléctam tuam N.) Crucis Domínicæ impressióne signátum (-am) perpétua virtúte custódi: ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

5. Deinde imponit manum super caput infantis, et postea manum extensam tenens dicit:

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) ad rudiménta fídei vocáre dignátus es: omnem cæcitátem cordis ab eo (ea) expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus (-a): áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútus (-a), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus (-a) tibi in Ecclésia tua desérviat et proficiat de die in diem. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: et hos Eléctos tuos N. et N. (has Eléctas tuas N. et N.) Crucis Domínicæ impressióne signátos (-as) perpétua virtúte custódi: ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servántes, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

5. Deinde imponit manum super caput singulorum infantium, et postea manum extensam tenens dicit:

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) ad rudiménta fídei vocáre dignátus es: omnem cæcitátem cordis ab eis expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerant colligáti (-æ): áperi eis, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbúti (-æ), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreant, et ad suávem odórem præceptórum tuórum læti (-æ) tibi in Ecclésia tua desérviant et proficiant de die in diem. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

6. Deinde Sacerdos benedicit sal, quod semel benedictum alias ad eumdem usum deservire potest.

Benedictio salis

EXorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificándo sancti✠fices, et benedicéndo bene✠dícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi : Qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

7. Deinde immittit modicum salis benedicti in os infantis, dicens (singulariter singulis) :

N. Accipe sal sapiéntiæ : propitiátio sit tibi in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Sacerdos : Pax tecum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.) respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cælésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérviens. Perduc eum (eam), Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.) respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántes, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleántur cælésti, quátenus sint semper spíritu ferventes, spe gaudéntes, tuo semper nómini serviéntes. Perduc eos (eas), Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo (hac fámula) Dei N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo (hac fámula) Dei N., quia istum (istam) sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab his fámulis (famulábus) Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis (famulábus) Dei N. et N., quia istos (istas) sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

8. Hic pollice in fronte signat infantem, dicens (singulariter singulis) :

Et hoc signum sanctæ Cru✠cis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

9. Mox imponit manum super caput infantis (singulorum infantium), et postea manum extensam tenens dicit :

Pro uno vel una

Orémus Oratio

ÆTérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), ut dignéris eum (eam) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eum (eam), et sanctífica : da ei sciéntiam veram, ut, dignus (-a) grátia Baptísmi tui efféctus (-a), téneat firmam

Pro pluribus

Orémus Oratio

ÆTérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.), ut dignéris eos (eas) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eos (eas), et sanctífica : da eis sciéntiam veram, ut, digni (-æ) grátia Baptísmi tui efféctí (-æ), téneant

spem, consílium rectum, doctrínam sanctam. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

10. Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ pendentem a suo humero sinistro super primum infantem, et introducit eum (quem sequuntur ceteri) in ecclesiam, dicens (in plurali pro pluribus) :

Pro uno vel una

N., ingrédere in templum Dei, ut hábeas partem cum Christo in vitam ætérnam.
℟. Amen.

Pro pluribus

N. et N., ingredímini in templum Dei, ut habeátis partem cum Christo in vitam ætérnam.
℟. Amen.

In ecclesia

11. Cum fuerint ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem, cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit :

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos a malo. Amen.

12. Ac deinde, antequam accedat ad baptisterium, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, dicit (in plurali pro pluribus) :

Pro uno vel una

Exorcismus

EXorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, et in virtúte Spíritus ✠Sancti, ut discé-

Pro pluribus

Exorcismus

EXorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, et in virtúte Spíritus ✠Sancti, ut discé-

das ab hoc plásmate Dei N., quod Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spíritus Sanctus hábitet in eo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

das ab his plasmátibus Dei N. et N., quæ Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fiant templum Dei vivi, et Spíritus Sanctus hábitet in eis. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

13. Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares infantis : tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicit (singulariter singulis) :

Ephpheta, quod est, Adaperíre.

Deinde tangit nares dicens :

In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diábole; appropinquábit enim judícium Dei.

14. Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens (singulariter singulis) :

N. Abrenúntias sátanæ?

Respondet patrinus : Abrenúntio.

Sacerdos : Et ómnibus opéribus ejus?

Patrinus : Abrenúntio.

Sacerdos : Et ómnibus pompis ejus?

Patrinus : Abrenúntio.

15. Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens semel (singulariter singulis) :

Ego te línio ✠ óleo salútis in Christo Jesu Dómino nostro, ut hábeas vitam ætérnam. ℟. Amen.

16. Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili.

17. Stans ibidem extra cancellos, deponit stolam violaceam, et sumit stolam albi coloris. Tunc ingreditur baptisterium, in quod intrat etiam patrinus cum infante.

Sacerdos ad fontem interrogat, expresso nomine, baptizandum (singulos baptizandos), patrino respondente :

N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum? ℟. Credo.

Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam? ℟. Credo.

18. Subinde, expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit (singulariter singulis) :

N. Vis baptizári?

Respondet patrinus : Volo.

19. Tunc patrino, vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et eam ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum, distincte et attente, dicit (singulariter singulis) :

N. Ego te baptízo in nómine Pa ✠ tris, fundit primo, et Fí ✠ lii, fundit secundo, et Spíritus ✠ Sancti, fundit tertio.

20. Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et advertens ne lædatur, caute immergit, et trina immersione baptizat, et semel tantum dicit :

N. Ego te baptízo in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

21. Mox patrinus, vel matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

22. Si vero dubitetur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma :

N. Si non es baptizátus (-a), ego te baptízo in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

23. Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens (singulariter singulis) :

DEus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum (hic inungit), ipse te líniat ✠ Chrísmate salútis in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Sacerdos : Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

24. Tum bombacio, vel re simili, abstergit pollicem, et locum inunctum, et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albæ, dicens (singulariter singulis) :

Accipe vestem cándidam, quam pérferas immaculátam ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam.
℟. Amen.

25. Postea dat ei, vel patrino, candelam accensam, dicens (singulariter singulis) :

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum : serva Dei mandáta, ut, cum Dóminus vénerit ad núptias, possis occúrrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cælésti, et vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

26. Postremo dicit (in plurali pro pluribus) :

N. Vade (Ite) in pace, et Dóminus sit tecum (vobíscum).
℟. Amen.

27. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono Baptismum solemnem ministrante, qui tamen sale et aqua utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis.

ARTICULUS II

ORDO BAPTISMI ADULTORUM

1. In primis Sacerdos, paratis his, quæ de observandis in administratione Sacramenti Baptismi parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus altaris, et, genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare; et ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat, et, si temporis ratio ferat, dicit :

℣. Deus, in adjutórium meum inténde.
℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.
℣. Glória Patri.
℟. Sicut erat.

2. Postea incipit, prosequentibus Clericis :

Ant. Effúndam super vos * aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, dicit Dóminus.

Psalmus 8.

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.
Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra?

Glória Patri. Sicut erat.

Psalmus 28.

AFférte Dómino, fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum : et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Glória Patri. Sicut erat.

Psalmus 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me, inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Glória Patri. Sicut erat.

Et repetitur Antiphona : Effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, dicit Dominus.

3. Deinde dicitur :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens, sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem : quæsumus; ut, ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis.

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus : et quod humilitátis nostræ geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur effectu.

4. Si plures sint baptizandi, sequens Oratio dicatur in numero plurali (et in genere masculino, nisi omnes sint feminæ).

Pro uno vel una

Oratio

DA, quæsumus, Dómine, Elécto (-æ) nostro (-æ), ut sanctis edóctus (-a) mystériis, et renovétur fonte Baptísmatis, et inter Ecclésiæ tuæ membra numerétur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro pluribus

Oratio

DA, quæsumus, Dómine, Eléctis nostris, ut sanctis edócti (-æ) mystériis, et renoventur fonte Baptísmatis, et inter Ecclésiæ tuæ membra numeréntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ad fores ecclesiæ

5. Deinde Sacerdos procedit ad fores ecclesiæ, et stat in limine : catechizandus vero extra limen. Et si sint plures, mares et feminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad sinistram statuantur.

Tum Sacerdos interrogat Catechumenum (singulariter singulos, si plures, usque ad Orationem Te déprecor exclusive, pag. 591) :

Quo nómine vocáris?

Catechumenus respondet : N.

Sacerdos : N., quid petis ab Ecclésia Dei?

℟. Fidem.

Sacerdos : Fides, quid tibi præstat?

℟. Vitam ætérnam.

Sacerdos : Si vis habére vitam ætérnam, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus mandátis tota Lex pendet, et Prophétæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneréris, neque confundéndo persónas, neque substántiam separándo. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, ália Spíritus Sancti : sed horum trium una est substántia, et nónnisi una Divínitas.

6. Et rursus interrogat :

N. Abrenúntias sátanæ?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus opéribus ejus?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus pompis ejus?

℟. Abrenúntio.

7. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens :

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ?

℟. Credo.

Interrogat : Credis in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum?

℟. Credo.

Interrogat : Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam?

℟. Credo.

8. Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, et dicit semel :

Exi ab eo (ea), spíritus immúnde, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

9. Hic in modum crucis halat in faciem ipsius, et dicit :

N., áccipe Spíritum bonum per istam insufflatiónem, et Dei bene✠dictiónem. Pax tibi.

℟. Et cum spíritu tuo.

10. Deinde pollice facit crucem in ejus fronte, et in pectore, dicens :

N., áccipe signum Crucis tam in fron✠te, quam in cor✠de : sume fidem cæléstium præceptórum. Talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis : ingressúsque (ingréssaque) ecclésiam Dei, evasísse te láqueos mortis, lætus (-a) agnósce.

Et si Catechumenus venerit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatris, Sacerdos dicat :

Horrésce idóla, réspue simulácra.

Si ex Hebræis, dicat :

Horrésce Judáicam perfídiam, réspue Hebráicam superstitiónem.

Si ex Mahumetanis, dicat :

Horrésce Mahuméticam perfídiam, réspue pravam sectam infidelitátis.

Si ex Hæreticis, et in ejus Baptismo debita forma servata non sit, dicat :

Horrésce hæréticam pravitátem, réspue nefárias sectas impiórum N., exprimens proprio nomine sectam de qua venit.

Inde prosequitur :

Cole Deum Patrem omnipoténtem, et Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

TE déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut huic fámulo tuo N., qui (fámulæ tuæ N., quæ) in hujus sæculi nocte vagátur incértus (-a) ac dúbius (-a), viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári : quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spíritu Sancto recognóscat, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futúro sæculo percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

TE déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut his fámulis tuis N. et N., qui (his famulábus tuis N. et N., quæ) in hujus sæculi nocte vagántur incérti (-æ) ac dúbii (-æ), viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári : quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spíritu Sancto recognóscant, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futúro sæculo percípere mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

11. Deinde pollice signat Electum (singulos Electos) signo Crucis in fronte dicens (singulariter singulis) :

Signo tibi fron✠tem, ut suscípias Crucem Dómini.

In auribus : Signo tibi au✠res, ut áudias divína præcépta.

In oculis : Signo tibi ócu✠los, ut vídeas claritátem Dei.

In naribus : Signo tibi na✠res, ut odórem suavitátis Christi séntias.

In ore : Signo tibi os ✠, ut loquáris verba vitæ.

In pectore : Signo tibi pe✠ctus, ut credas in Deum.

In scapulis : Signo tibi scá✠pulas, ut suscípias jugum servitútis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit :

Signo te totum in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hunc Eléctum tuum N. (hanc Eléctam tuam N.) Crucis Do-

Pro pluribus

Orémus Oratio

PReces nostras quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hos Eléctos tuos N. et N. (has Eléctas tuas N. et N.) Crucis

mínicæ impressióne signátum (-am), perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dominicæ impressióne signátos (-as), perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servántes, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus

Oratio

DEus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto sóbolem novæ prolis adscríbe : ut fílii promissiónis, quod non potuérunt ássequi per natúram, gáudeant suscepísse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

12. Tunc imponit manum super caput Electi (singulorum Electorum), et postea manum extensam tenens dicit :

Pro uno vel una

Orémus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) ad rudiménta fídei vocáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eo (ea) expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus (-a) : áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut signo sapiéntiæ tuæ imbútus (-a), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suávem ódórem præceptórum tuórum lætus (-a) tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus (-a) efficiátur accédere ad grátiam Baptísmi tui, percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) ad rudiménta fídei vocáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eis expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerant colligáti (-æ) : áperi eis, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut signo sapiéntiæ tuæ imbúti (-æ), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreant, et ad suávem odórem præceptórum tuórum læti (-æ) tibi in Ecclésia tua desérviant, et proficiant de die in diem, ut idónei (-æ) efficiántur accédere ad grátiam Baptísmi tui, percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

13. Deinde Sacerdos benedicit sal.

Benedictio salis

EXorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificándo sanctí ✠ fices, et benedicéndo bene ✠ dícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi : Qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pro gentilibus et idololatris

14. Quod si Catechumenus fuerit gentilis, seu ex idololatris venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, quæ tamen pro venientibus ex Hebræis vel aliis, ut supra, non dicitur.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehéndi potest : te súpplices invocámus super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) liberásti de erróre gentílium, et conversatióne turpíssima : dignáre exaudíre eum, qui (eam, quæ) tibi cervíces suas humíliat ad lavácri fontem, ut, renátus (-a) ex aqua et Spíritu Sancto, exspoliátus (-a) véterem hóminem, índuat novum, qui secúndum te creátus est; accípiat vestem incorrúptam et immaculátam, tibíque Deo nostro servíre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehéndi potest : te súpplices invocámus super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) liberásti de erróre gentílium, et conversatióne turpíssima : dignáre exaudíre eos, qui (eas, quæ) tibi cervíces suas humíliant ad lavácri fontem, ut, renáti (-æ) ex aqua et Spíritu Sancto, exspoliáti (-æ) véterem hóminem, índuant novum, qui secúndum te creátus est; accípiant vestem incorrúptam et immaculátam, tibíque Deo nostro servíre mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

15. Tunc pollice et indice accipit de ipso sale, et immittit in os Catechumeni, dicens (singulariter singulis) :

N. Accipe sal sapiéntiæ : propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Sacerdos : Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.) respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cælésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nómini sérviens. Perduc eum (eam), Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.) respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántes, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleántur cælésti, quátenus sint semper spíritu fervéntes, spe gaudéntes, tuo semper Nómini serviéntes. Perduc eos (eas), Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si inter Electos adsint feminæ, recedant ipsæ in partem, quoadusque dictus fuerit pro masculis uterque Exorcismus, ut infra sub n. 21, pag. 598.

Pro uno masculo

16. Deinde Sacerdos dicit super masculum stantem :

Ora, Elécte, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Pro pluribus masculis

16. Deinde Sacerdos dicit super masculos stantes :

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et ille surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

17. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægypti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hunc fámulum tuum N. et perdúcat eum ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam

Et illi surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis : Signáte eos.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

17. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægypti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine, ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hos fámulos tuos N. et N. et perdúcat eos ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis Dei N. et N., quia istos sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam

sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat eum), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

18. Sacerdos iterum dicit Electo :

Ora, Elécte, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et ille surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

19. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus, immortále præsídium ómnium postulántium, liberátio súpplicum, pax rogán-

sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulos), quod nos fronti eórum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

18. Sacerdos iterum dicit Electis :

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illi surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis : Signáte eos.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

19. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus, immortále præsídium ómnium postulántium, liberátio súpplicum, pax rogán-

tium, vita credéntium, resurréctio mortuórum : te ínvoco super hunc fámulum tuum N., qui, Baptísmi tui donum petens, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderat : áccipe eum, Dómine, et quia dignátus es dícere : Pétite, et accipiétis ; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : peténti prædium pórrige, et jánuam pande pulsánti, ut, ætérnam cæléstis lavácri benedictiónem consecútus, promíssa tui múneris regna percípiat : Qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Exorcismus

AUdi, maledícte sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi Fílii ejus, cum tua victus invídia, tremens, geménsque discéde : nihil tibi sit commúne cum servo Dei N., jam cæléstia cogitánte, renuntiatúro tibi et sæculo tuo, et beátæ immortalitáti victúro. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui, ex summa cæli arce descéndens, proturbátis fráudibus tuis, divíno fonte purgátum pectus, sanctificátum Deo templum et habitáculum perfíciat : ut, ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberátus, servus Dei grátias perénni Deo réferat semper, et benedícat nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

tium, vita credéntium, resurréctio mortuórum : te ínvoco super hos fámulos tuos N. et N., qui, Baptísmi tui donum peténtes, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderant : áccipe eos, Dómine, et quia dignátus es dícere : Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : peténtibus prædium pórrige, et jánuam pande pulsántibus, ut, ætérnam cæléstis lavácri benedictiónem consecúti, promíssa tui múneris regna percípiant : Qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Exorcismus

AUdi, maledícte sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi Fílii ejus, cum tua victus invídia, tremens, geménsque discéde : nihil tibi sit commúne cum servis Dei N. et N., jam cæléstia cogitántibus, renuntiatúris tibi et sæculo tuo, et beátæ immortalitáti victúris. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui, ex summa cæli arce descéndens, proturbátis fráudibus tuis, divíno fonte purgáta péctora, sanctificáta Deo templa et habitácula perfíciat : ut, ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberáti, servi Dei grátias perénni Deo réferant semper, et benedícant nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

20. Sacerdos tertio dicit Electo :

Ora, Elécte, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et ille surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

21. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcizo te, immúnde spíritus, in nómine Pa ✠tris, et Fí ✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo Dei N.: Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero,

20. Sacerdos tertio dicit Electis :

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illi surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis : Signáte eos.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

21. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa ✠tris, et Fí ✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab his fámulis Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero,

da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptismatis vocáre dignátus est: et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat eum), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis Dei N. et N., quia istos sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptismatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat singulos), quod nos fronti eórum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Si inter Electos adsint feminæ, retrahunt se masculi in partem, et accedunt feminæ.

Pro una femina

22. Sacerdos dicit super Electam stantem :

Ora, Elécta, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et illa surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ : Signa eam.

Deinde Electæ : Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens :

In nómine Patris et Fílii, et Spíritus Sancti.

Pro pluribus feminis

22. Sacerdos dicit super Electas stantes :

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illæ surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis : Signáte eas.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

23. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, et dicit :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus ómnium bene vivéntium, Deus, cui omnis lingua confitétur, et omne genu fléctitur, cæléstium, terréstrium, et infernórum : te ínvoco, Dómine, super hanc fámulam tuam N., ut eam custodíre, et perdúcere dignéris ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

23. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, et dicit :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus ómnium bene vivéntium, Deus, cui omnis lingua confitétur, et omne genu fléctitur, cæléstium, terréstrium, et infernórum : te ínvoco, Dómine, super has fámulas tuas N. et N., ut eas custodíre, et perdúcere dignéris ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

24. Sacerdos iterum dicit Electæ :

Ora, Elécta, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et illa surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ : Signa eam.

Deinde Electæ : Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

25. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hanc fámulam tuam N. et perdúcat eam ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

24. Sacerdos iterum dicit Electis :

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illæ surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis : Signáte eas.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

25. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et has fámulas tuas N. et N. et perdúcat eas ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru-✠cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

26. Sacerdos tertio dicit Electæ :

Ora, Elécta, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et illa surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ : Signa eam.

Deinde Electæ : Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

26. Sacerdos tertio dicit Electis :

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster, usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illæ surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis : Signáte eas.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

27. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, per Pa ✠ trem, et Fí ✠ lium, et Spíritum ✠ Sanctum, ut éxeas, et recédas ab hac fámula Dei N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, et quatriduánum Lázarum de monuménto suscitávit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

27. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, per Pa ✠ trem, et Fí ✠ lium, et Spíritum ✠ Sanctum, ut éxeas, et recédas ab his famulábus Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, et quatriduánum Lázarum de monuménto suscitávit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pro omnibus

Postmodum accedunt iterum masculi, qui se retraxerant, et ipsi ad dexteram, feminæ vero ad sinistram Sacerdotis, ut in principio, disponuntur.

28. Tum Sacerdos imponit manum super Electum, vel, si sint plures, super singulos tam masculos quam feminas, et postea manum extensam tenens dicit (in plurali pro pluribus tam masculis, quam feminis) :

Pro uno vel una

Orémus Oratio

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), ut dignéris eum (eam) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eum (eam), et sanctífica : da ei sciéntiam veram, ut dignus (-a) efficiátur accédere ad grátiam Baptísmi tui, téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus (-a) sit ad percipiéndam grátiam tuam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.), ut dignéris eos (eas) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eos (eas), et sanctífica : da eis sciéntiam veram, ut digni (-æ) efficiántur accédere ad grátiam Baptísmi tui, téneant firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut apti (-æ) sint ad percipiéndam grátiam tuam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

29. His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, ex humero sinistro pendentem, introducit eum in ecclesiam; et si Electi sint plures, primus sinistra manu trahit secundum, et secundus tertium, etc.

Dum autem Sacerdos illum vel illos introducit, dicit (in plurali pro pluribus) :

N., ingrédere in sanctam eccléstam Dei, ut accípias benedictiónem cæléstem a Dómino Jesu Christo, et hábeas partem cum illo et Sanctis ejus.

℟. Amen.

N. et N., ingredímini in sanctam eccléstam Dei, ut accipiátis benedictiónem cæléstem a Dómino Jesu Christo, et habeátis partem cum illo et Sanctis ejus. ℟. Amen.

In ecclesia

30. Et ingressus Electus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat (si plures, omnes simul).

31. Deinde surgit (si plures, omnes simul), et Sacerdos imponit manum super caput ejus (singulorum, si plures), et Electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam.

32. Ita etiam si plures sint, omnes simul recitant :

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos a malo. Amen.

33. Tunc Sacerdos, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, rursus imponit manum super caput Electi (singulorum Electorum), et postea manum extensam tenens dicit :

Pro uno vel una

Exorcismus

NEC te latet, sátana, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem judícii, diem supplícii sempitérni; diem, qui ventúrus est velut clíbanus ardens, in quo tibi, atque univérsis ángelis tuis præparátus sempitérnus erit intéritus. Proínde, damnáte, atque damnánde, da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, da honórem Spirítui Sancto Paráclito, in cujus nómine atque virtúte præcípio tibi, quicúmque es, spíritus immúnde, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo Dei N., quem (hac fámula Dei N., quam)

Pro pluribus

Exorcismus

NEC te latet, sátana, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem judícii, diem supplícii sempitérni; diem, qui ventúrus est velut clíbanus ardens, in quo tibi, atque univérsis ángelis tuis præparátus sempitérnus erit intéritus. Proínde, damnáte, atque damnánde, da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, da honórem Spirítui Sancto Paráclito, in cujus nómine atque virtúte præcípio tibi, quicúmque es, spíritus immúnde, ut éxeas, et recédas ab his fámulis Dei N. et N., quos (his famulábus Dei N.

hódie idem Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam et benedictiónem, fontémque Baptísmatis dono vocáre dignátus est : ut fiat ejus templum per aquam regeneratiónis in remissiónem ómnium peccatórum. In nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

et N., quas) hódie idem Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam et benedictiónem, fontémque Baptísmatis dono vocáre dignátus est : ut fiant ejus templum per aquam regeneratiónis in remissiónem ómnium peccatórum. In nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

34. Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares Electi (singulorum Electorum); tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicit :

Ephphéta, quod est, Adaperíre.

Deinde tangendo nares, dicit :

In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diábole; appropinquábit enim judícium Dei.

35. Deinde interrogat Electum (singulos, si plures) :

Quis vocáris?

Et ipse respondet : N.

Interrogat : N. Abrenúntias sátanæ?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus opéribus ejus?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus pompis ejus?

℟. Abrenúntio.

36. Tunc Sacerdos intingit pollicem dexteræ manus in Oleo sancto Catechumenorum, et inungit Electum (singulos Electos) primum in pectore, deinde inter scapulas in modum crucis, dicens (singulariter singulis) :

Ego te línio ✠ óleo salútis in Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam.

℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

37. Mox bombacio, vel re simili, tergit pollicem, et loca inuncta, et subjungit, dicens (singulis, si plures) :

Exi, immúnde spíritus, et da honórem Deo vivo et vero. Fuge, immúnde spíritus, et da locum Jesu Christo Fílio ejus. Recéde, immúnde spíritus, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

Stans ibidem extra cancellos, Sacerdos deponit pluviale ac stolam coloris violacei, et sumit stolam ac pluviale albi coloris.

Tunc ducitur Electus ad baptisterium : ubi si ob aliquam causam non habeatur, sive præparata non fuerit aqua baptismalis, fiat benedictio fontis, ut pag. 469.

Et cum fuerit prope fontem, Sacerdos interrogat Electum (singulos, si plures) :

Quis vocáris?

Respondet : N.

38. Interrogat (singulos, si plures) : N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ?

℟. Credo.

Interrogat (singulos, si plures) : Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum?

℟. Credo.

Interrogat (singulos, si plures) : Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam?

℟. Credo.

Iterum interrogat (singulos, si plures) : N. Quid petis?

Respondet : Baptísmum.

Interrogat (singulos, si plures) : Vis baptizári?

Respondet : Volo.

39. Tunc patrino, vel matrina, vel utroque (si ambo admittantur), admota manu, tenente seu tangente Electum, vel Electam, aperto capite, et laxatis a collo vestibus, inclinatum, Sacerdos vasculo vel urceolo haurit aquam baptismalem de fonte, et cum ea sub trina supra caput in modum crucis infusione baptizat Electum, seu Electam, in nomine Ssmæ Trinitatis, sic dicens :

N. Ego te baptízo in nómine Pa✠tris, fundit primo : et Fí✠lii, fundit secundo; et Spíritus ✠ Sancti, fundit tertio.

40. Si aqua, quæ ex capite baptizati defluit, non dilabatur in sacrarium baptisterii, recipiatur in subjecta aliqua pelvi, et in illud postmodum projiciatur.

Cum plures sunt Electi, singillatim singuli interrogantur et baptizantur, ut supra. Si sint mares et feminæ, primum mares, deinde feminæ.

Verum si probabiliter dubitetur, an Electus fuerit alias baptizatus, dicat Sacerdos :

N. Si non es baptizátus (-a), ego te baptízo in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠ Sancti.

41. Deinde Sacerdos intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate, et perungit verticem Electi (singulorum Electorum) in modum crucis, dicens :

DEus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum (hic inungit), ipse te líniat ✠ Chrísmate salútis in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum spíritu tuo.

42. Tunc bombacio, vel re simili, pollicem tergit, et imponit capiti Electi chrismale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens (singulis, si plures) :

Accipe vestem cándidam, quam pérferas immaculátam ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam.
℟. Amen.

43. Et Electus deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit.

Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu dextera, dicens (singulis, si plures) :

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum : serva Dei mandáta, ut, cum Dóminus vénerit ad núptias, possis occúrrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cælésti et vivas in sæcula sæculórum.
℟. Amen.

44. Ipse vero Neophytus eumdem cereum accensum manu tenet usque ad finem, præterquam dum confirmatur.

45. In ecclesiis autem, ubi Baptismus fit per immersionem, sive totius corporis, sive capitis tantum, Sacerdos accipit Electum per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus immergendo, et toties elevando, baptizat sub trina immersione, sanctam Trinitatem semel tantum sic invocando : N. Ego te baptízo in nómine Pa✠tris, immergit primo, et Fí✠lii, immergit iterum, et Spíritus ✠ Sancti, immergit tertio; patrino, vel matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

46. Et cum Electus surrexerit de fonte, patrinus vel matrina cum linteo in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis : et Sacerdos, intincto pollice dextero in sacro Chrismate, illum in vertice in modum crucis perungit, dicens : Deus omnípotens, etc., ut supra.

47. Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum, seu chrismale, et dat ei vestem candidam, dicens : Accipe vestem cándidam, etc., ut supra n. 42.

48. Et statim prædicto linteo abstergitur, et in loco semoto vestitur novis et albis vestibus, et exteriore candida, quam accepit.

49. Postea dat ei Sacerdos candelam accensam in dextera manu, dicens : Accipe lámpadem, etc., ut supra, n. 43.

Eodem modo, si plures sint, fit pro singulis.

50. Postea Sacerdos dicit (in plurali pro pluribus) : N., vade (ite) in pace, et Dóminus sit tecum (vobíscum). ℟. Amen.

51. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diácono Baptismum solemnem ministrante, qui tamen sale et aqua utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis.

52. Si adsit Episcopus, qui id legitime præstare possit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur.

Deinde si hora sit congruens, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, et Sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt.

53. Si vero ob baptizandorum multitudinem, ut quandoque contingit, in singulorum Baptismo præscripti ritus ad Baptismi essentiam non pertinentes adhiberi non possint, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel urgente necessitate omittantur.

ARTICULUS III

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER INFANTEM BAPTIZATUM

1. Cum, urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus, sacris precibus ac cæremoniis prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit vel cessaverit periculum, et ad ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur.

2. Sacerdos itaque, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus, accedat : Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat, superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

3. Ita paratus accedat ad limen ecclesiæ, extra quam exspectant, qui infantem (vel infantes) detulerunt. Tum illum proprio nomine ei(s)dem imposito appellat, et dicit (si plures sint, singulariter singulis) :

4. N., quid petis ab Ecclésia Dei?

Patrinus respondet : Fidem.

Sacerdos : Fides, quid tibi præstat?

Patrinus respondet : Vitam ætérnam.

5. Sacerdos (etiam singulariter singulis) : Si ígitur vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teipsum.

6. Deinde ter exsufflat leniter in faciem infantis, et dicit semel (singulariter singulis) :

Exi ab eo (ea), immúnde spíritus, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

7. Postea pollice facit signum Crucis in fronte, et in pectore infantis dicens (singulariter singulis) :

Accipe signum Crucis tam in fron✠te, quam in cor✠de, sume fidem cæléstium præceptórum, et talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hunc Eléctum tuum N. (hanc Eléctam tuam N.) Crucis Domínicæ impressióne signátum(-am) perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Deinde imponit manum super caput infantis, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) dudum ad rudiménta fídei vo-

Pro pluribus

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hos Eléctos tuos N. et N. (has Eléctas tuas N. et N.) Crucis Domínicæ impressióne signátos(-as) perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servántes, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

8. Deinde imponit manum super caput singulorum infantium, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) dudum ad rudiménta fídei

cáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eo (ea) expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus (-a) : áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútus (-a), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus (-a) tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus (-a) sit frui grátia Baptísmi tui, quem suscépit, salis percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

vocáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eis expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerant colligáti (-æ) : áperi eis, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbúti (-æ), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreant, et ad suávem odórem præceptórum tuórum læti (-æ) tibi in Ecclésia tua desérviant, et proficiant de die in diem, ut idónei (-æ) sint frui grátia Baptísmi tui, quem suscepérunt, salis percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

9. Deinde Sacerdos benedicit sal, quod semel benedictum, alias ad eumdem usum deservire potest.

Benedictio salis

EXorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificándo sancti ✠ fices, et benedicéndo bene ✠ dícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

10. Deinde immittit modicum salis benedicti in os infantis, dicens (singulariter singulis) :

N., áccipe sal sapiéntiæ : propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Sacerdos : Pax tecum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Pro uno vel una

Orémus

Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus,

Pro pluribus

Orémus

Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus,

ut hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.) respícere dignéris propítius, et hoc pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cælésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nómini sérviens : et quem (quam) ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxísti, quæsumus, Dómine, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna prǽmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo (hac fámula) Dei N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo (hac fámula) Dei N., quia istum (istam) sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

ut hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.) respícere dignéris propítius, et hoc pábulum salis gustántes, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleántur cælésti, quátenus sint semper spíritu fervéntes, spe gaudéntes, tuo semper Nómini servientes : et quos (quas) ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxísti, quæsumus, Dómine, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna prǽmia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab his fámulis (famulábus) Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis (famulábus) Dei N. et N., quia istos (istas) sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

11. Hic pollice in fronte signat infantem, dicens (singulariter singulis) :

Et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

12. Mox imponit manum super caput infantis (singulorum infantium), et postea manum extensam tenens dicit :

Pro uno vel una

Orémus Oratio

ÆTérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), ut dignéris eum (eam) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eum (eam), et sanctífica : da ei sciéntiam veram, ut dignus (-a) sit frui grátia Baptísmi tui, quem suscépit : téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus (-a) sit ad retinéndam grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

13. Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ pendentem a suo humero sinistro super infantem, et introducit eum in ecclesiam, dicens :

N., ingrédere in templum Dei, ut hábeas partem cum Christo in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

ÆTérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.), ut dignéris eos (eas) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eos (eas), et sanctífica : da eis sciéntiam veram, ut digni (-æ) sint frui grátia Baptísmi tui, quem suscepérunt : téneant firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut apti (-æ) sint ad retinéndam grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

13. Postea Sacerdos imponit extremam partem stolæ pendentem a suo humero sinistro super primum infantem, et introducit eum (quem sequuntur ceteri) in ecclesiam, dicens :

N. et N., ingredímini in templum Dei, ut habeátis partem cum Christo in vitam æternam.

℟. Amen.

In ecclesia

14. Cum fuerint ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem, cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit :

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sépultus : descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus

est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimitte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos a malo. Amen.

15. Ac deinde, antequam accedat ad baptisterium, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, dicit (in plurali pro pluribus) :

Pro uno vel una

Exorcismus

EXorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti, ut discédas ab hoc plásmate Dei N., quod Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fíeret templum Dei vivi, et Spíritus Sanctus hábitet in eo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pro pluribus

Exorcismus

EXorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti, ut discédas ab his plasmátibus Dei N. et N., quæ Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fíerent templum Dei vivi, et Spíritus Sanctus hábitet in eis. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

16. Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares infantis : tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicit (singulariter singulis) :

Ephphéta, quod est, Adaperíre.

Deinde tangit nares, dicens :

In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diábole; appropinquábit enim judícium Dei.

17. Postea interrogat baptizatum nominatim, dicens (singulariter singulis) :

N., abrenúntias sátanæ?

Respondet patrinus : Abrenúntio.

Sacerdos : Et ómnibus opéribus ejus?

Patrinus : Abrenúntio.

Sacerdos : Et ómnibus pompis ejus?

Patrinus : Abrenúntio.

18. Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens semel (singulariter singulis) :

Ego te línio ✠ óleo salútis in Christo Jesu Dómino nostro, ut hábeas vitam ætérnam.

℟. Amen.

19. Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili.

20. Stans ibidem extra cancellos, deponit stolam violaceam, et sumit stolam albi coloris. Tunc ingreditur baptisterium, in quod intrat etiam patrinus cum infante.

Sacerdos ad fontem interrogat, expresso nomine, baptizatum (singulos baptizatos), patrino respondente :

N., credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ? ℟. Credo.

Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum? ℟. Credo.

Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam? ℟. Credo.

21. Sacerdos intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem (quem patrinus vel matrina, vel uterque simul tenet) in summitate capitis in modum crucis, dicens (singulariter singulis) :

DEus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum (hic inungit), ipse te líniat ✠ Chrísmate salútis in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Sacerdos : Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

22. Tum bombacio, vel re simili, abstergit pollicem, et locum inunctum, et imponit capiti infantis linteolum candidum loco vestis albæ, dicens (singulariter singulis) :

Accipe vestem cándidam, quam pérferas immaculátam ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam.

℟. Amen.

23. Postea dat ei, vel patrino, candelam accensam, dicens (singulariter singulis) :

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum : serva Dei mandáta, ut, cum Dóminus vénerit ad núptias, possis occúrrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cælésti, et vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

24. Postremo dicit (in plurali pro pluribus) :

N., vade (ite) in pace, et Dóminus sit tecum (vobíscum).
℟. Amen.

25. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono Baptismi cæremonias supplente, qui tamen sale utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedicto.

26. Si vero sint plures infantes, masculi seu feminæ, in catechismo masculi statuantur ad dexteram, feminæ vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, crucis impressio seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide seu Symbolo, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque candelæ accensæ traditio singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent.

Sed pro majori commoditate adnotatum est propriis locis in rubricis parenthesi notatis; ita ut, quando dicitur in tali rubrica « singulariter singulis », intelligatur, quod illa verba, vel actiones, usque ad aliam rubricam dici, vel fieri debent singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis, mutato solum genere, ut dictum est supra. Quando vero in simili rubrica dicitur « in plurali pro pluribus », intelligatur, quod illa verba usque ad aliam rubricam dici debent semel, sed pro pluribus in plurali, mutato solum genere, si omnes sint feminæ.

ARTICULUS IV

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER ADULTUM BAPTIZATUM

1. In primis Sacerdos, indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus altaris, et genibus flexis, pias mente ad Deum preces effundit, ut sacram actionem digne valeat explere; et ad implorandum divinum auxilium surgens se signat, et si temporis ratio ferat, dicit ℣. Deus, in adjutórium, etc., cum Antiphona, Psalmis, Versiculis et Orationibus, ut supra in Baptismo adultorum notatur, pag. 586 et seq.

2. Deinde Sacerdos procedit ad fores ecclesiæ, et stat in limine, catechizandus vero extra limen. Et si sint plures, mares et feminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ vero ad sinistram statuantur. Tum Sacerdos interrogat Electum (singulariter singulos, si plures, usque ad Orationem Te déprecor exclusive, pag. 618).

Quo nómine vocáris?

Electus respondet : N.

Sacerdos : N., quid petis ab Ecclésia Dei? ℟. Fidem.

Sacerdos : Fides, quid tibi præstat? ℟. Vitam ætérnam.

Sacerdos : Si vis habére vitam ætérnam, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus mandátis tota Lex pendet, et Prophétæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneréris, neque confundéndo persónas, neque substántiam separándo. Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, ália Spíritus Sancti; sed horum trium una est substántia, et nonnísi una Divínitas.

3. Et rursus interrogat : N., abrenúntias sátanæ?

Respondet Electus : Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus opéribus ejus?

Respondet : Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus pompis ejus?

Respondet : Abrenúntio.

4. Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens :

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ? ℟. Credo.

Interrogat : Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum? ℟. Credo.

Interrogat : Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam? ℟. Credo.

5. Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, et dicit semel :

Exi ab eo (ea), spíritus immúnde, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

6. Hic in modum crucis halat in faciem ipsius, et dicit :

N., áccipe Spíritum bonum per istam insufflatiónem, et Dei bene ✠dictiónem.

Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

7. Deinde pollice facit crucem in ejus fronte, et in pectore, dicens :

N., accipe signum Crucis tam in fron ✠te, quam in cor ✠de : sume fidem cæléstium præceptórum. Talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis : ingressúsque (ingréssaque) ecclésiam Dei, evasísse te láqueos mortis, lætus (-a) agnósce.

Et si Electus venerit de gentilitatis errore, sive de ethnicis et idololatris, Sacerdos dicat :

Horrésce idóla, réspue simulácra.

Si ex Hebræis, dicat :

Horrésce Judáicam perfídiam, réspue Hebráicam superstitiónem.

Si ex Mahumetanis, dicat :

Horrésce Mahuméticam perfídiam, réspue pravam sectam infidelitátis.

Si ex Hæreticis, et in ejus Baptismo debita forma servata non sit, dicat :

Horrésce hæréticam pravitátem, réspue nefárias sectas impiórum N., exprimens proprio nomine sectam, de qua venit.

Inde prosequitur :

Cole Deum Patrem omnipoténtem, et Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

TE déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut huic fámulo tuo N., qui (fámulæ tuæ N., quæ) in hujus sæculi nocte vagátur incértus (-a) ac dúbius (-a), viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári : quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spíritu Sancto recognóscat, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futúro sæculo percípere mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

TE déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : ut his fámulis tuis N. et N., qui (his famulábus tuis N. et N., quæ) in hujus sæculi nocte vagántur incérti (-æ) ac dúbii (-æ), viam veritátis et agnitiónis tuæ júbeas demonstrári : quátenus, reserátis óculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Fílio, et Fílium in Patre cum Spíritu Sancto recognóscant, atque hujus confessiónis fructum, et hic, et in futúro sæculo percípere mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

8. Deinde pollice signat Electum (singulos Electos) signo Crucis in fronte dicens (singulariter singulis) :

Signo tibi fron ✠tem, ut suscípias Crucem Dómini.

In auribus :

Signo tibi au ✠res, ut áudias divína præcépta.

In oculis :

Signo tibi ócu ✠los, ut vídeas claritátem Dei.

In naribus :

Signo tibi na ✠res, ut odórem suavitátis Christi séntias.

In ore :

Signo tibi os ✠, ut loquáris verba vitæ.

In pectore :

Signo tibi pe ✠ctus, ut credas in Deum.

In scapulis :

Signo tibi scá ✠pulas, ut suscípias jugum servitútis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit :

Signo te totum in nómine Pa ✠tris, et Fí ✠lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hunc Eléctum tuum N. (hanc Eléctam tuam N.) Crucis Domínicæ impressióne signátum (-am), perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto

Pro pluribus

Orémus Oratio

PReces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hos Eléctos tuos N. et N. (has Eléctas tuas N. et N.) Crucis Domínicæ impressióne signátos (-as), perpétua virtúte custódi : ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servántes, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam pervenire mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

DEus, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor, propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto

sóbolem novæ prolis adscríbe : ut fílii promissiónis, quod non potuérunt ássequi per natúram, gáudeant se recepísse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

9. Tunc imponit manum super caput Electi, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignéris super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) dudum ad rudiménta fídei vocáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eo (ea) expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus (-a) : áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútus (-a), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus (-a) tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus (-a) sit frui grátia Baptísmi tui, quem suscépit, salis percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

sóbolem novæ prolis adscríbe : ut fílii promissiónis, quod non potuérunt ássequi per natúram, gáudeant se recepísse per grátiam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

9. Tunc imponit manum super caput singulorum Electorum, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignéris super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) dudum ad rudiménta fídei vocáre dignátus es : omnem cæcitátem cordis ab eis expélle : disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerant colligáti (-æ) : áperi eis, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbúti (-æ), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreant, et ad suávem odórem præceptórum tuórum læti (-æ) tibi in Ecclésia tua desérviant, et proficiant de die in diem, ut idónei (-æ) sint frui grátia Baptísmi tui, quem suscepérunt, salis percépta medicína. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

10. Deinde Sacerdos benedicit sal.

Benedictio salis

EXorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis

efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificándo sancti ✠ fices, et benedicéndo bene ✠ dícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Pro gentilibus et idololatris

11. Quod si Electus fuerit gentilis, seu ex idololatris venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem Orationem, quæ tamen pro venientibus ex Hebræis vel aliis, ut supra, non dicitur.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, et qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehéndi potest : te súpplices invocámus super hunc fámulum tuum N., quem (hanc fámulam tuam N., quam) liberásti de erróre gentílium et conversatióne turpíssima : dignáre exaudíre eum, qui (eam, quæ) tibi cervíces suas humíliat ad lavácri fontem, ut, renátus (-a) ex aqua et Spíritu Sancto, exspoliátus (-a) véterem hóminem, índuat novum, qui secúndum te creátus est; accípiat vestem incorrúptam, et immaculátam, tibíque Deo nostro servíre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

DOmine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui es, et qui eras, et qui pérmanes usque in finem, cujus orígo nescítur, nec finis comprehéndi potest : te súpplices invocámus super hos fámulos tuos N. et N., quos (has fámulas tuas N. et N., quas) liberásti de erróre gentílium et conversatióne turpíssima : dignáre exaudíre eos, qui (eas, quæ) tibi cervíces suas humíliant ad lavácri fontem, ut, renáti (-æ) ex aqua et Spíritu Sancto, exspoliáti (-æ) véterem hóminem, índuant novum, qui secúndum te creátus est; accípiant vestem incorrúptam, et immaculátam, tibíque Deo nostro servíre mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

12. Tunc pollice et indice accipit de ipso sale benedicto, et immittit in os Electi, dicens (singulariter singulis) :

N., áccipe sal sapiéntiæ : propitiátio sit tibi in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Sacerdos : Pax tibi.

℟. Et cum spíritu tuo.

Pro uno vel una

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.) respícere dignéris propítius, et hoc pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cæléstí, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper Nómini sérviens: et quem (quam) ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxísti, quæsumus, Dómine, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna prǽmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus

Orémus Oratio

DEus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.) respícere dignéris propítius, et hoc pábulum salis gustántes, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleántur cæléstí, quátenus sint semper spíritu fervéntes, spe gaudéntes, tuo semper Nómini serviéntes: et quos (quas) ad novæ regeneratiónis lavácrum perduxísti, quæsumus, Dómine, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna prǽmia cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

13. Si inter Electos adsint feminæ, recedant ipsæ in partem, quoadusque dictus fuerit pro masculis uterque Exorcismus, ut infra sub n. 19, pag. 626.

Pro uno masculo

14. Deinde Sacerdos dicit super masculum stantem:

Ora, Elécte, flecte génua, et dic: Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit: Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit: Leva, comple oratiónem tuam et dic: Amen.

Et ille surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit patrino: Signa eum.

Deinde Electo: Accéde.

Pro pluribus masculis

14. Deinde Sacerdos dicit super masculos stantes:

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite: Pater noster.

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt: Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit: Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite: Amen.

Et illi surgentes respondent: Amen.

Sacerdos dicit patrinis: Signáte eos.

Deinde Electis: Accédite.

Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

15. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hunc fámulum tuum N., et perdúcat eum ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei N., quia istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat eum), quod nos fronti ejus damus, tu, male-

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

15. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hos fámulos tuos N. et N., et perdúcat eos ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis Dei N. et N., quia istos sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulos), quod nos fronti eórum damus, tu, male-

dícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

16. Sacerdos iterum dicit Electo :

Ora, Elécte, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam et dic : Amen.

Et ille surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et patrinus pollice signat eum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

17. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus, immortále præsídium ómnium postuléntium, liberátio súpplicum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum : te ínvoco super hunc fámulum tuum N., qui,

dícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

16. Sacerdos iterum dicit Electis :

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite : Pater noster. .

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram et dícite : Amen.

Et illi surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis : Signáte eos.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

17. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus, immortále præsídium ómnium postuléntium, liberátio súpplicum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum : te ínvoco super hos fámulos tuos N. et N., qui,

Baptísmi tui donum petens, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderat : áccipe eum, Dómine, et quia dignátus es dícere : Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : peténti præmium pórrige, et jánuam pande pulsánti, ut, ætérnam cæléstis lavácri benedictiónem consecútus, promíssa tui múneris regna percípiat : Qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Exorcismus

AUdi, maledícte sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi Fílii ejus, cum tua victus invídia, tremens, geménsque discéde : nihil tibi sit commúne cum servo Dei N., jam cæléstia cogitánte, renuntiatúro tibi et sæculo tuo, et beátæ immortalitáti victúro. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui, ex summa cæli arce descéndens, proturbátis fráudibus tuis, divíno fonte purgátum pectus, sanctificátum Deo templum et habitáculum perfécit : ut, ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberátus, servus Dei grátias perénni Deo réferat semper, et benedícat Nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

18. Sacerdos tertio dicit Electo :

Ora, Elécte, flecte génua, et dic : Pater noster.

Baptísmi tui donum peténtes, ætérnam cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne desíderant : áccipe eos, Dómine, et quia dignátus es dícere : Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : peténtibus præmium pórrige, et jánuam pande pulsántibus, ut, ætérnam cæléstis lavácri benedictiónem consecúti, promíssa tui múneris regna percípiant : Qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Exorcismus

AUdi, maledícte sátana, adjurátus per nomen ætérni Dei, et Salvatóris nostri Jesu Christi Fílii ejus, cum tua victus invídia, tremens, geménsque discéde : nihil tibi sit commúne cum servis Dei N. et N, jam cæléstia cogitántibus, renuntiatúris tibi et sæculo tuo, et beátæ immortalitáti victúris. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui, ex summa cæli arce descéndens, proturbátis fráudibus tuis, divíno fonte purgáta péctora, sanctificáta Deo templa et habitácula perfécit : ut, ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberáti, servi Dei grátias perénni Deo réferant semper, et benedícant Nomen sanctum ejus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

18. Sacerdos tertio dicit Electis :

Oráte, Elécti, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electus, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam, et dic : Amen.

Et ille surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino : Signa eum.

Deinde Electo : Accéde.

Et patrinus pollice signat Electum in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

19. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus✠Sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo Dei N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei N., quia

Et Electi, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram, et dícite : Amen.

Et illi surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis : Signáte eos.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini pollice signant Electos suos in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

19. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singulorum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulos, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus✠Sancti, ut éxeas, et recédas ab his fámulis Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his fámulis Dei N. et N.,

istum sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est: et hoc signum sanctæ Cru-✠cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

quia istos sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est: et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulos), quod nos fronti eórum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Si inter Electos adsint feminæ, retrahunt se masculi in partem, et accedunt feminæ.

Pro una femina

20. Sacerdos dicit super Electam stantem:

Ora, Elécta, flecte génua, et dic: Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit: Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit: Leva, comple oratiónem tuam, et dic: Amen.

Et illa surgens respondet: Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ: Signa eam.

Deinde Electæ: Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

21. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, et dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Pro pluribus feminis

20. Sacerdos dicit super Electas stantes:

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite: Pater noster.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt: Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit: Leváte, compléte oratiónem vestram, et dícite: Amen.

Et illæ surgentes respondent: Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis: Signáte eas.

Deinde Electis: Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

21. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, et dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus ómnium bene vivéntium, Deus, cui omnis lingua confitétur, et omne genu fléctitur, cæléstium, terréstrium, et infernórum : te ínvoco, Dómine, super hanc fámulam tuam N., ut eam custodíre, et perdúcere dignéris ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Filio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus, et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

22. Sacerdos iterum dicit Electæ :

Ora, Elécta, flecte génua, et dic : Pater noster.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelórum, Deus Archangelórum, Deus Patriarchárum, Deus Prophetárum, Deus Apostolórum, Deus Mártyrum, Deus Confessórum, Deus Vírginum, Deus ómnium bene vivéntium, Deus, cui omnis lingua confitétur, et omne genu fléctitur, cæléstium, terréstrium, et infernórum : te ínvoco, Dómine, super has fámulas tuas N. et N., ut eas custodíre, et perdúcere dignéris ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus, et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

22. Sacerdos iterum dicit Electis :

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam, et dic : Amen.

Et illa surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ : Signa eam.

Deinde Electæ : Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

23. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et hanc fámulam tuam N. et perdúcat eam ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram, et dícite : Amen.

Et illæ surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis : Signáte eas.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

23. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Orémus Oratio

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Móysi fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et fílios Israël de terra Ægýpti eduxísti, députans eis Angelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte : te quæsumus, Dómine; ut míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui simíliter custódiat et has fámulas tuas N. et N. et perdúcat eas ad grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est: et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

24. Sacerdos tertio dicit Electæ :

Ora, Elécta, flecte génua, et dic : Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leva, comple oratiónem tuam, et dic : Amen.

Et illa surgens respondet : Amen.

Sacerdos dicit patrino vel matrinæ : Signa eam.

Deinde Electæ : Accéde.

Et patrinus vel matrina pollice signat eam in fronte, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

24. Sacerdos tertio dicit Electis :

Oráte, Eléctæ, fléctite génua, et dícite : Pater noster.

Et Electæ, genu flexo, orant, et dicunt : Pater noster usque ad Sed líbera nos a malo, inclusive.

Sacerdos subjungit : Leváte, compléte oratiónem vestram, et dícite : Amen.

Et illæ surgentes respondent : Amen.

Sacerdos dicit patrinis vel matrinis : Signáte eas.

Deinde Electis : Accédite.

Et patrini vel matrinæ pollice signant Electas suas in fronte, dicentes :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

25. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte ejus, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super eam, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, per Pa✠trem, et Fí✠lium, et Spíritum ✠ Sanctum, ut éxeas, et recédas ab hac fámula Dei N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, et quatriduánum Lázarum de monuménto suscitávit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab hac fámula Dei N., quia istam sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat eam), quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

25. Tum Sacerdos quoque facit crucem in fronte singularum, dicens :

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Deinde imponit manum super singulas, et postea manum extensam tenens dicit :

Exorcismus

EXorcízo te, immúnde spíritus, per Pa✠trem, et Fí✠lium, et Spíritum✠ Sanctum, ut éxeas, et recédas ab his famulábus Dei N. et N. : Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, et quatriduánum Lázarum de monuménto suscitávit.

Exorcismus

ERgo, maledícte diábole, recognósce sententiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, et Spirítui Sancto, et recéde ab his famulábus Dei N. et N., quia istas sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est : et hoc signum sanctæ Cru✠cis (signat singulas), quod nos fronti eárum damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pro omnibus

Postmodum accedunt iterum masculi, qui se retraxerant, et ipsi ad dexteram, feminæ vero ad sinistram Sacerdotis, ut in principio, disponuntur.

26. Tum Sacerdos imponit manum super Electum, vel, si sint plures, super singulos, tam masculos, quam feminas, et postea manum extensam tenens dicit (in plurali pro pluribus, tam masculis quam feminis) :

Pro uno vel una

Orémus Oratio

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), ut dignéris eum (eam) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eum (eam), et sanctífica : da ei sciéntiam veram, ut dignus (-a) sit frui grátia Baptísmi tui, quem suscépit; téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus (-a) sit ad retinéndam grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro omnibus

Orémus Oratio

ÆTérnam ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hos fámulos tuos N. et N. (has fámulas tuas N. et N.), ut dignéris eos (eas) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ : munda eos (eas), et sanctífica : da eis sciéntiam veram, ut digni (-æ) sint frui grátia Baptísmi tui, quem suscepérunt; téneant firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut apti (-æ) sint ad retinéndam grátiam Baptísmi tui. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

27. His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, ex humero sinistro pendentem, introducit eum in ecclesiam; et si Electi sint plures, primus sinistra manu trahit secundum, et secundus tertium, etc.

Dum autem Sacerdos illum vel illos introducit, dicit :

Pro uno vel una

N., ingrédere in sanctam ecclésiam Dei, ut accípias benedictiónem cæléstem a Dómino Jesu Christo, et hábeas partem cum illo et Sanctis ejus.

℟. Amen.

Pro pluribus

N. et N., ingredímini in sanctam ecclésiam Dei, ut accipiátis benedictiónem cæléstem a Dómino Jesu Christo, et habeátis partem cum illo et Sanctis ejus.

℟. Amen.

In ecclesia

28. Et ingressus Electus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat (si plures, omnes simul).

29. Deinde surgit (si plures, omnes simul), et Sacerdos imponit manum super caput ejus (singulorum, si plures), et Electus cum eo recitat Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam.

30. Ita etiam si plures sint, omnes simul recitant :

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos a malo. Amen.

31. Tunc Sacerdos, versis renibus ostio cancellorum baptisterii, rursus imponit manum super caput Electi (singulorum Electorum), et postea manum extensam tenens dicit :

Pro uno vel una

Exorcismus

NEC te latet, sátana, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem judícii, diem supplícii sempitérni; diem, qui ventúrus est velut clíbanus ardens, in quo tibi, atque univérsis ángelis tuis præparátus sempitérnus erit intéritus. Proínde, damnáte, atque damnánde, da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, da honórem Spirítui Sancto Paráclito, in cujus nómine, atque virtúte præcípio tibi, quicúmque es, spíritus immúnde, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo Dei N., quem (hac fámula Dei N., quam) hó-

Pro pluribus

Exorcismus

NEC te latet, sátana, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem judícii, diem supplícii sempitérni; diem, qui ventúrus est velut clíbanus ardens, in quo tibi, atque univérsis ángelis tuis præparátus sempitérnus erit intéritus. Proínde, damnáte, atque damnánde, da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christo Fílio ejus, da honórem Spirítui Sancto Paráclito, in cujus nómine, atque virtúte præcípio tibi, quicúmque es, spíritus immúnde, ut éxeas, et recédas ab his fámulis Dei N. et N., quos (famulábus Dei N. et N., quas)

die idem Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam et benedictiónem, fontémque Baptísmatis dono vocáre dignátus est, ut fíeret ejus templum per aquam regeneratiónis in remissiónem ómnium peccatórum. In nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

hódie idem Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam et benedictiónem, fontémque Baptísmatis dono vocáre dignátus est, ut fíerent ejus templa per aquam regeneratiónis in remissiónem ómnium peccatórum. In nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

32. Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares Electi (singulorum Electorum); tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicit :

Ephpheta, quod est, Adaperíre.

Deinde, tangendo nares, dicit :

In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diábole; appropinquábit enim judícium Dei.

33. Deinde interrogat Electum (singulos, si plures) :

Quis vocáris?

Et ipse respondet : N.

Interrogat : N., abrenúntias sátanæ?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus opéribus ejus?

℟. Abrenúntio.

Interrogat : Et ómnibus pompis ejus?

℟. Abrenúntio.

34. Tunc Sacerdos intingit pollicem dexteræ manus in Oleo sancto Catechumenorum, et inungit Electum (singulos Electos) primum in pectore, deinde inter scapulas in modum crucis, dicens (singulariter singulis) :

Ego te línio ✠ Oleo salútis in Christo Jesu Dómino nostro, in vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum spíritu tuo.

35. Mox bombacio, vel re simili, tergit pollicem et loca inuncta, et subjungit. dicens (singulis, si plures) :

Exi, immúnde spíritus, et da honórem Deo vivo et vero. Fuge, immúnde spíritus, et da locum Jesu Christo Fílio ejus. Recéde, immúnde spíritus, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

36. Stans ibidem extra cancellos, Sacerdos deponit pluviale ac stolam coloris violacei, et sumit stolam ac pluviale albi coloris.

37. Tunc ducitur Electus ad baptisterium, ubi Sacerdos interrogat Electum (singulos, si plures) :

Quis vocáris?

Respondet : N.

38. Interrogat (singulos, si plures) :

N., credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ?

℟. Credo.

Interrogat (singulos, si plures) :

Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum?

℟. Credo.

Interrogat (singulos, si plures) :

Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam?

℟. Credo.

39. Deinde Sacerdos intingit pollicem dexterum in sacro Chrismate, et perungit verticem Electi (singulorum Electorum) in modum crucis, dicens :

DEus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum (hic inungit), ipse te líniat ✠ Chrísmate salútis in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum spíritu tuo.

40. Tunc bombacio, vel re simili, pollicem tergit, et imponit capiti Electi chrismale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens (singulis, si plures) :

Accipe vestem cándidam, quam pérferas immaculátam ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam.

℟. Amen.

41. Et Electus deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Sacerdote accepit.

Postea dat ei Sacerdos cereum, seu candelam accensam in manu dextera, dicens (singulis, si plures) :

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum : serva Dei mandáta, ut, cum Dóminus vénerit ad

núptias, possis occúrrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cæléstí et vivas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

42. Ipse vero Neophytus eumdem cereum accensum manu tenet usque in finem, præterquam dum confirmatur.

43. Postea Sacerdos dicit (in plurali pro pluribus) :

N., vade (ite) in pace, et Dóminus sit tecum (vobíscum).
℟. Amen.

44. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono Baptismi cæremonias supplente, qui tamen sale utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedicto.

45. Si adsit Episcopus, qui id legitime præstare possit, ab eo Neophyti, si sint confirmandi, præmissa, si opus sit, sacramentali confessione, Sacramento Confirmationis initiantur.

Deinde si hora sit congruens, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, et Sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt.

CAPUT II

DE CONFIRMATIONE

INSTRUCTIO PRO SIMPLICI SACERDOTE SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS EX SEDIS APOSTOLICÆ DELEGATIONE ADMINISTRANTE.

SAcramentum Confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione Chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis præscripta.

2. Hoc Sacramentum, quod characterem imprimit, iterari nequit.

Si vero prudens dubium exsistat, num revera vel num valide collatum fuerit, sub conditione iterum conferatur.

3. Chrisma, quod huic Sacramento administrando inservit, debet esse ab Episcopo benedictum feria quinta in Cœna Domini proxime superiore; neque adhibeatur vetus, nisi necessitas urgeat.

Mox, deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, etiam iterato, minore tamen copia.

4. Chrisma, in Sacramento Confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi Sacramentum a Presbytero, ex jure vel ex Apostolico indulto, ministretur.

Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa Ministri manu capiti confirmandi rite imposita.

5. Ordinarius Confirmationis Minister est solus Episcopus.

Extraordinarius Minister est Presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis Apostolicæ indulto ea facultas concessa sit.

Hac facultate ipso jure gaudent, præter S. R. E. Cardinales, Abbas vel Prælatus nullius, Vicarius et Præfectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.

Presbyter latini ritus cui, vi indulti, hæc facultas competat, Confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit.

Nefas est Presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent Confirmationem una cum Baptismo infantibus sui ritus conferendi, eamdem ministrare infantibus latini ritus.

6. Presbytero licet, si Apostolico locali privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint.

7. Presbyter, privilegio Apostolico donatus, obligatione tenetur Sacramentum hoc illis, quorum in favorem est concessa facultas, rite et rationabiliter petentibus conferendi.

8. Aquis Baptismi non ablutus valide confirmari nequit; præterea, ut quis licite et fructuose confirmetur, debet esse in statu gratiæ constitutus et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus.

9. Quamquam hoc Sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo Parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant.

10. Licet Sacramenti Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter ætatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel Ministro id expedire, ob justas et graves causas, videatur.

11. Confirmandi, si plures sint, adsint primæ manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant.

12. Hoc Sacramentum quovis tempore conferri potest; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes.

13. Licet proprius Confirmationis administrandæ locus ecclesia sit, ex causa tamen quam Minister justam ac rationabilem judicaverit, potest hoc Sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri.

14. Ex vetustissimo Ecclesiæ more, ut in Baptismo, ita etiam in Confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit.

15. Patrinus unum tantum confirmandum aut duos præsentet, nisi aliud justa de causa Ministro videatur.
Unus quoque pro singulis confirmandis sit patrinus.

16. Ut quis sit patrinus, oportet :

1° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° Nulli hæreticæ aut schismaticæ sectæ sit adscriptus, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

3° Non sit pater, mater, conjux confirmandi;

4° A confirmando ejusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a Ministro vel a Parocho sit designatus;

5° Confirmandum in ipso Confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat.

17. Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet :

1° Sit alius a patrino Baptismi, nisi rationabilis causa, judicio Ministri, aliud suadeat, aut statim post Baptismum legitime Confirmatio conferatur;

2° Sit ejusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud Ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur;

3° Decimum quartum suæ ætatis annum attigerit, nisi aliud justa de causa Ministro videatur;

4° Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia juris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;

5° Fidei rudimenta noverit;

6° In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis;

7° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia.

18. Ex valida Confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi.

19. Nomina Ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum Confirmationis Parochus inscribat in peculiari libro, præter adnotationem in libro baptizatorum.

20. Si proprius confirmati Parochus præsens non fuerit, de collata Confirmatione Minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eumdem certiorem faciat.

21. Ad collatam Confirmationem probandam, modo nemini fiat præjudicium, satis est unus testis omni exceptione major, vel ipsius confirmati jusjurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili ætate.

22. Cum tempus advenerit, quo Sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra tributa, administrare Confirmationem intendit, superpelliceo et stola, vel etiam pluviali albi coloris indutus, stans ante altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris), circumstantes

admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius Minister est; se vero collaturum esse illam jure per S. Sedem delegato.

Mox, si hujusmodi delegatio per indultum facta fuerit, delegationis Decretum lingua vernacula legatur alta et intelligibili voce; deinde Sacerdos moneat astantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem dabit. Item, quod infantes, si quos in prima ætate justa de causa confirmandos existimaverit, per patrinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui; vel patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, sive infantis sive adulti.

23. Hac altera monitione completa, pariter stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit:

℣. Spíritus Sanctus supervéniat in vos, et virtus Altíssimi custódiat vos a peccátis. ℟. Amen.

Deinde signans se a fronte ad pectus signo Crucis, dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini:
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hos fámulos tuos ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedísti eis remissiónem ómnium peccatórum: emítte in eos septifórmem Spíritum tuum Sanctum Paráclitum de cælis. ℟. Amen.

Spíritum sapiéntiæ, et intelléctus. ℟. Amen.
Spíritum consílii, et fortitudinis. ℟. Amen.
Spíritum sciéntiæ, et pietátis. ℟. Amen.

Adímple eos Spíritu timóris tui, et consígna eos signo Cru ✠cis Christi, in vitam propitiátus ætérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

24. Postea Sacerdos confirmat illos per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, confirmat eum dicens :

N., signo te signo Cru ✠ cis (quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum Crucis in fronte illius, deinde prosequitur :) et confírmo te Chrísmate salútis. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

Et leviter eum in maxilla cædit, dicens :

Pax tecum.

Ligantur mox vittis lineis recenter confirmatorum frontes. Quod sicubi hujusmodi vittæ non adhibeantur, Sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio, postea comburendo, diligenter abstergat.

25. Omnibus confirmatis, Sacerdos tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim; deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Interim dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur ab iis sequens Antiphona ; alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicitur :

Ant. 8. c

Onfírma hoc De- us, * quod o-pe-rá-tus es in no-



bis, a templo sancto tu- o, quod est in Je-rú-sa-lem.

℣. Gló-ri- a Patri, et Fí- li- o, et Spi- rí- tu- i Sancto :



℣. Sic-ut e-rat in princí-pi- o, et nunc, et semper, et in

sæcu-la sæcu-ló-rum. Amen.

Et repetitur Antiphona : Confírma hoc, Deus, etc.

Qua repetita, Sacerdos stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus dicit :

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Junctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit :

Orémus Oratio

DEus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum, et per eos eorúmque successóres céteris fidélibus tradéndum esse voluísti : † réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta; ut eórum corda, quorum frontes sacro Chrísmate delinívimus, et signo sanctæ Crucis signávimus, * idem Spíritus Sanctus in eis supervéniens, templum glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat : Qui cum Patre et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde dicit : Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum. Et vertens se ad confirmatos, ac faciens super eos signum Crucis, dicit :

Bene ✠ dícat vos Dóminus ex Sion, ut videátis bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ vestræ, et habeátis vitam ætérnam.
℟. Amen.

26. Absoluta hoc modo Confirmatione, Sacerdos sedens patrinos et matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, ut fugiant mala, et faciant bona; et doceant eos Credo in Deum, et Pater noster, et Ave María, quoniam ad hoc sunt obligati.

27. Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et præsertim tunc, cum in privatis domibus, vel extra ecclesiam seu oratorium, pueris ægrotantibus conferendum est, vel etiam adultis, qui ad ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt. In iis casibus Sacerdos ne omittat uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit. Cavere etiam debet, ne coram hæreticis, aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

CAPUT III

DE MATRIMONIO

ARTICULUS I

RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM

1. Parochus Matrimonio adfuturus, publicationibus factis, si nullum obstet legitimum impedimentum in ecclesia, superpelliceo et stola alba indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram duobus saltem testibus, virum et mulierem ante altare genuflexos, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone :

Et primo quidem sponsum interroget : N., vis accípere N. hic præséntem in tuam legítimam uxórem juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ?

Respondeat sponsus : Volo.

2. Mox Sacerdos sponsam interroget : N., vis accípere N. hic præséntem in tuum legítimum marítum juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ?

Respondeat sponsa : Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus verbis, si loqui possint, aut secus æquipollentibus signis, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo autem contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, et dicat : Ego conjúngo vos in matrimónium. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen. Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque loci ritum.

Postea eos aspergat aqua benedicta.

Mox benedicat anulum, dicens :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini :
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠ dic, Dómine, ánulum hunc, quem nos in tuo nómine bene ✠ dícimus : ut, quæ eum gestáverit, fidelitátem íntegram suo sponso tenens, in pace et voluntáte tua permáneat, atque in mútua caritáte semper vivat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

3. Deinde Sacerdos aspergat anulum aqua benedicta ; et sponsus acceptum anulum de manu Sacerdotis imponat in digito anulari sinistræ manus sponsæ, Sacerdote dicente :

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Mox Sacerdos subjungat :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos :
℟. Deus meus, sperántes in te.
℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis :
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

RESpice, quæsumus, Dómine, super hos fámulos tuos : et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste ; ut qui te auctóre jungúntur, te auxiliánte servéntur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

4. His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur.

5. Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictoque pro singulis a Parocho Ego conjúngo vos in matrimónium, etc., benedictiones anulorum et reliquæ benedictiones plurali numero semel fiunt.

6. Ceterum, sicubi aliæ laudabiles consuetudines et ceremoniæ in celebrando Matrimonii Sacramento adhibentur, eas convenit retineri.

7. Celebrato Matrimonio, Parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati Matrimonii, atque alia juxta formulam præscriptam; idque licet alius Sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus Matrimonio adstiterit.

Præterea Parochus in libro quoque Baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua parœcia Matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, Matrimonii Parochus notitiam initi contractus ad Parochum Baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut Matrimonium in Baptizatorum librum referatur.

ARTICULUS II

BENEDICTIO NUPTIALIS EXTRA MISSAM DANDA EX APOSTOLICO INDULTO QUANDO MISSA NON DICITUR

(Approbata a S. R. C. d. 11 Martii 1914).

Expleto ritu celebrandi Matrimonii Sacramentum (uti supra, p. 644), post Orationem Réspice, etc., si permittatur benedictio nuptialis, sed non dicatur Missa, Sacerdos qui speciale indultum a Sancta Sede obtinuerit, ad neo-conjugatos conversus, dicit Psalmum sequentem :

Psalmus 127.

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

BEne ✠dic, Dómine, et réspice de cælis super hanc conjunctiónem : et sicut misísti sanctum Angelum tuum Raphaélem pacíficum ad Tobíam et Saram, fíliam Raguélis; ita dignéris, Dómine, míttere benedictiónem tuam super hos cónjuges, ut in tua benedictióne permáneant, in tua voluntáte persístant, et in tuo amóre vivant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde elevatis manibus et extensis super capita eorum, ministro librum tenente, dicit :

DOminus Deus omnípotens benedícat vos, impleátque benedictiónem in vobis, et videátis fílios filiórum vestrórum usque in tértiam et quartam generatiónem et progéniem, et ad optátam perveniátis senectútem. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

ARTICULUS III

PRECES RECITANDÆ EXTRA MISSAM SUPER CONJUGES EX APOSTOLICÆ SEDIS INDULTO QUANDO BENEDICTIO NUPTIALIS NON PERMITTITUR

(Approbatæ a S. R. C. d. 11 Martii 1914).

Si sponsa sit vidua jam in primis nuptiis benedicta, vel etiam si prima vice nubat, sed tempore clauso, expleto ritu celebrandi Matrimonii Sacramentum (uti supra, p. 644), post Orationem Réspice, etc., Sacerdos, qui speciale indultum a S. Sede obtinuerit, ad neo-conjugatos conversus, dicit Psalmum 127. Beáti omnes, p. 646. Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

PRæténde, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis déxteram cæléstis auxílii, ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant, assequántur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

CAPUT IV

DE CONSECRATIONE ALTARIUM EXSECRATORUM

ARTICULUS I

RITUS SEU FORMULA BREVIOR CONSECRATIONIS ALTARIS IMMOBILIS

quod amisit consecrationem ob separationem, etsi momentaneam, tabulæ seu mensæ a stipite : uti in casu de quo agit Codex juris canonici in can. 1200, § 1.

Instaurato altari immobili, et mensa, integrum Reliquiarum sepulcrum habente, cum stipite conjuncta, Pontifex, indutus rochetto et stola alba, vel Presbyter ab Ordinario delegatus, indutus superpelliceo et stola alba, accedit versus altare, et pollice dexteræ manus Chrismate intincto inungat, ad modum crucis, conjunctiones mensæ cum stipite in quatuor angulis, quasi illas conjungens, ad singulas cruces dicens :

In nómine Pa✠tris, et Fí✠lii, et Spíritus ✠Sancti.

Dein recitet sequentes Orationes :

Orémus — Oratio

MAjestátem tuam, Dómine, humíliter implorámus, ut altáre hoc sacræ unctiónis libámine ad suscipiénda pópuli tui múnera inúnctum poténter bene✠dícere et sancti✠ficáre digné-ris; ut quod nunc a nobis indígnis, sub tui Nóminis invocatióne, in honórem beatíssimæ Vírginis Maríæ, et ómnium Sanctórum, atque in memóriam sancti tui N. sacrosáncti Chrísmatis unctióne delibútum est, pláceat tibi, atque altáre máneat perpétuum; ut quidquid deínceps super illud oblátum sacratúmve fúerit, dignum tibi fiat holocáustum; atque ómnium hic offeréntium sacrifícia a te pio Dómino benígne suscipiántur, et per ea víncula peccató-rum nostrórum absolvántur, máculæ deleántur, véniæ impetrén-tur, et grátiæ acquirántur : quátenus una cum Sanctis, et Eléctis tuis vitam percípere mereámur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus — Oratio

SUpplices te deprecámur, omnípotens ætérne Deus, per uni-génitum Fílium tuum Dóminum nostrum Jesum Christum, ut altáre hoc sanctis úsibus præparátum, cælésti bene✠dictióne

sanctífices; et, sicut Melchísedech sacerdótis præcípui oblatiónem dignatióne mirábili suscepísti, ita impósita huic novo altári múnera, semper accépta ferre dignéris; ut pópulus, qui in hanc Ecclésiæ domum sanctam convéniet, per hæc libámina cælésti sanctificatióne salvátus, animárum quoque suárum salútem perpétuam consequátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Subinde scripto declaret ac testetur præfatum altare a se, ordinaria vel delegata auctoritate, rite consecratum, uti tale habendum esse et sub eodem titulo quo ipsum ante exsecrationem gaudebat.

ARTICULUS II

RITUS SEU FORMULA BREVIOR CONSECRATIONIS ALTARIS

quod amisit consecrationem : uti in casu de quo agit Codex jur. can. in canone 1200, § 2, nn. 1 et 2.

Pontifex, indutus rochetto et stola alba, vel Presbyter ab Ordinario delegatus, indutus superpelliceo et stola alba, accedit versus altare, et loco congruenti stans, benedicit aquam cum sale, cinere et vino, incipiens absolute exorcismum salis.

EXorcízo te, creatúra salis, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, qui Apóstolis suis ait : Vos estis sal terræ, et per Apóstolum dicit : Sermo vester semper in grátia sale sit condítus; ut sancti ✠ficéris ad consecratiónem hujus altáris, ad expelléndas omnes dæmonum tentatiónes; et ómnibus, qui ex te súmpserint, sis ánimæ et córporis tutaméntum, sánitas, protéctio et confirmátio salútis. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde dicit :

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Deus, Pater omnípotens, qui hanc grátiam cælitus sali tribúere dignátus es, ut ex illo possint univérsa condíri, quæ homínibus ad escam procreásti, béne ✠dic hanc creatúram salis, ad effugándum inimícum; et ei salúbrem medicínam immítte, ut proficiat suméntibus ad ánimæ et córporis sanitátem. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tum procedit absolute ad exorcismum aquæ :

EXorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei Pa ✠ tris, et Fí- ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut repéllas diábolum a término justórum, ne sit in umbráculis hujus ecclésiæ et altáris. Et tu, Dómine, Jesu Christe, infúnde Spíritum Sanctum in hanc ecclésiam tuam et altáre; ut proficiat ad sanitátem córporum animarúmque adorántium te, et magnificétur Nomen tuum in géntibus : et increduli corde convertántur ad te, et non hábeant álium Deum, præter te, Dóminum solum, qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde dicit :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DOmine Deus, Pater omnípotens, statútor ómnium elementórum, qui per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum eleméntum hoc aquæ in salútem humáni géneris esse voluísti, te súpplices deprecámur, ut, exaudítis oratiónibus nostris, eam tuæ pietátis aspéctu sancti ✠ fices; atque ita ómnium spirítuum immundórum ab ea recédat incúrsio, ut ubicúmque fúerit in nómine tuo aspérsa, grátia tuæ benedictiónis advéniat, et mala ómnia, te propitiánte, procul recédant. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tum dicit super cineres :

Benedictio cinerum

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, parce pœniténtibus, propitiáre supplicántibus, et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui bene ✠ dícat et sancti ✠ ficet hos cíneres, ut sint remédium salúbre ómnibus, Nomen sanctum tuum humíliter implorántibus, ac semetípsos pro consciéntia delictórum suórum accusántibus, ante conspéctum divínæ cleméntiæ tuæ facínora sua

deplorántibus, vel serenissimam pietátem tuam supplíciter obnixéque flagitántibus; et præsta, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, ut quicúmque eos super se aspérserint, pro redemptióne peccatórum suórum, córporis sanitátem et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum accipit sal, et miscet cineri in modum crucis, dicens :

COmmíxtio salis et cíneris páriter fiat. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde, accipiens pugillum de mixtura salis et cinerum, mittit in aquam in modum crucis, dicens :

COmmíxtio salis, cíneris et aquæ páriter fiat. In nómine Pa- ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde dicit super vinum :

Benedictio vini

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DOmine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecísti, quique es vitis vera, multíplica super nos misericórdiam tuam; et bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris hanc creatúram vini, ut ubicúmque fusum fúerit, vel aspérsum, divínæ id benedictiónis tuæ opuléntia repleátur, et sanctificétur : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde mittit in modum crucis vinum in aquam ipsam, dicens :

COmmíxtio vini, salis, cíneris et aquæ páriter fiat. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, creátor et conservátor humáni géneris, et dator grátiæ spirituális, ac largítor ætérnæ salútis, emítte Spíritum Sanctum tuum super hoc vinum cum aqua, sale et cínere mixtum; ut armátum cæléstis defensióne virtútis, ad consecratiónem hujus altáris tui proficiat. Per Dómi-

num nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea cum præmissa aqua benedicta facit maltam, seu cæmentum, quod benedicit, dicens :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

SUmme Deus, qui summa et média ímaque custódis, qui omnem creatúram intrínsecus ambiéndo conclúdis, sancti ✠ fica et béne ✠ dic has creatúras calcis et sábuli. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Cæmentum benedictum reservatur, et residuum aquæ benedictæ funditur in sacrarium.

Deinde consecrator, accedens ad altare, signat pollice dexteræ manus ex Chrismate confessionem, id est sepulcrum altaris, a quo ablatæ sunt Reliquiæ, in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens, dum unamquamque crucem facit :

COnse ✠ crétur, et sancti ✠ ficétur hoc sepúlcrum. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. Pax huic dómui.

Deinde recondit ibi vasculum cum Reliquiis et aliis in eo inclusis veneranter, atque accipiens lapidem, seu tabulam, qua debet claudi sepulcrum, facit pollice crucem ex Chrismate subtus in medio ejus dicens :

COnse ✠ crétur, et sancti ✠ ficétur hæc tábula (vel hic lapis), per istam unctiónem et Dei benedictiónem. In nómine Pa- ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Et mox, cæmento benedicto adhibito, adjuvante, si opus sit, cæmentario, ponit et coaptat tabulam, seu lapidem, super sepulcrum, claudens illud, et dicit :

Orémus — Oratio

DEus, qui ex ómnium cohabitatióne Sanctórum, ætérnum majestáti tuæ condis habitáculum, da ædificatióni tuæ increménta cæléstia : et præsta ; ut quorum hic Reliquias pio amóre compléctimur, eórum semper méritis adjuvémur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc, cæmentario adjuvante, cum eodem cæmento firmat ipsam tabulam, seu lapidem, super sepulcrum : deinde ipse facit crucem desuper ex Chrismate pollice dexteræ manus, dicens :

SIgné ✠ tur et sancti ✠ ficétur hoc altáre. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. Pax tibi.

CAPUT V

ORDO SEPELIENDI PARVULOS

1. Cum infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta ætatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoríferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; Parochus autem, superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint, præcedente Cruce, quæ sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum Clerico aspersorium deferente.

Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit :

Ant. 2. D



SIT nomen Dómi-ni. Ps. 112. Laudá-te pú- e-ri, Dó-



minum : * laudá-te nomen Dómi-ni.

Sit nomen Dómini benedíctum. * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Ant.



Sit nomen Dómi-ni be-ne-dictum, ex hoc nunc et



usque in sæcu-lum.

2. Dum portatur corpus ad ecclesiam, dicatur Ps. 118 Beáti immaculáti (ut ad Primam Dominicæ); et, si tempus superest, dici potest Ps. 148 Laudáte Dóminum de cælis (pag. 657); in fine autem utriusque Psalmi dicitur : Glória Patri, etc.

Cum pervenerint ad ecclesiam, dicatur :

Ant.
6. F

HIC accí-pi- et. Ps. 23. Dómi-ni est terra, et ple-ni- Hæc



tú-do e-jus : * orbis terrá-rum, et u-ni-vérsi qui há-bi-tant



in e- o.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, † qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, † et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? † Dóminus fortis et potens : * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, † et elevámini, portæ ætérnales : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc et semper : * et in sæcula sæculórum. Amen.



Postea Sacerdos dicit : Chorus prosequitur :



Sacerdos :



Interim corpus aspergit.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Me autem propter innocéntiam suscepísti.
℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

OMnípotens et mitíssime Deus, qui ómnibus párvulis renátis fonte baptísmatis, dum migrant a sæculo, sine ullis eórum méritis vitam íllico largíris ætérnam, sicut ánimæ hujus párvuli (-læ) hódie crédimus te fecísse : † fac nos, quæsumus, Dómine, per intercessiónem beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum, hic purificátis tibi méntibus famulári, * et in Paradíso cum beátis párvulis perénniter sociári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum, vel in eodem loco, si tunc non portetur, dicitur :

Ant. 4. E



Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : † senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum, et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper : * et in sæcula sæculórum. Amen.

Ant.



Júve-nes et vírgi-nes, se-nes cum ju-ni- ó-ri-bus



laudent nomen Dómi-ni.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Sínite párvulos veníre ad me :
℟. Tálium est enim regnum cælórum.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, sanctæ puritátis amátor, qui ánimam hujus párvuli (-læ) ad cælórum regnum hódie misericórditer vocáre dignátus es : dignéris étiam, Dómine, ita nobíscum misericórditer ágere, † ut méritis tuæ sanctíssimæ Passiónis, et intercessióne beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum, * in eódem regno nos cum ómnibus Sanctis et Eléctis tuis semper fácias congaudére : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

3. Deinde Sacerdos corpus aspergat aqua benedicta, et thurificet, similiter et tumulum : postea corpus sepeliatur.

4. Cum autem revertuntur a sepulcro in ecclesiam, vel accedunt ad altare, dicatur :

Ant. 7. a



B Ene-dí-ci-te Dómi-num. Cant. Be-ne-dí-ci-te, ómni- a

ó-pe-ra Dómi-ni, Dómi-no : * laudá-te et su-per-exaltá-te

e-um in sæcu-la.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino : * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino : * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino : * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánía, Azaría, Mísaël, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli : * et laudábilis et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.



Deinde ante altare dicit Sacerdos :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas : † concéde propítius; ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, * ab his in terra vita nostra muniátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

5. Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono eamdem functionem peragente de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quæ in casu necessitatis legitime præsumitur.

APPENDIX[1]

PRO MONIALIBUS FRANCISCALIBUS

ORDINIS CONCEPTIONIS B. M. V.

Omnia ut in præcedenti Rituali Romano-Seraphico, Tit. V. — Ritus peculiares II Ordinis, p. 331, præter sequentia :

CAPUT I

RITUS VESTITIONIS

Præmissis quæ pag. 331 Ritualis præscribuntur, Celebrans imprimis Candidatas, more sponsarum vestitas, interrogat :

Fíliæ caríssimæ, quæ est petítio vestra (Fília caríssima, quæ est petítio tua)?

Et Candidatæ simul respondent :

Reverénde Pater, — rogo te propter amórem Dei, — beatíssimæ Vírginis Maríæ, — sancti Patris nostri Francísci et ómnium Sanctórum, — quátenus me ad hábitum Seráphici Ordinis Conceptiónis Beátæ Maríæ Vírginis — admíttere dignéris: — ad agéndam pœniténtiam, — emendándam vitam meam — et Deo fidéliter usque ad mortem serviéndum.

Pag. 333, in Oratione « Omnípotens sempitérne Deus, qui per mortem... », loco « éxstitit institútor » dicatur « speciális apud Te est protéctor ».

Pag. 339 — Cum Moniales ad chorum pervenerint sequentem cantant antiphonam : [1]

Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo; ex te enim ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

---

[1] Pro musica vide Ant. ad Magnificat II Vesp. 8 Septembris.

℣. In Conceptióne tua, Virgo, Immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.

Dein Candidatæ in medio genuflectunt, ceteraque peragunt ut præscribitur p. 339, n. 11. ss. Post Psalmum « Consérva me, Dómine », Celebrans... cantat sequentes Versiculos :

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis :
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, Immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.
℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum :
℟. Signis Redemptiónis nostræ.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Hic Celebrans assurgit et subjungit :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : † da nobis in eódem Spíritu recta sápere, * et de ejus semper consolatióne gaudére.

DEus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; † quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti; * nos quoque mundos, ejus intercessióne, ad te pervenire concédas.

DEus, qui mira Crucis mystéria in beáto Patre nostro Francísco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti; † da his fámulis tuis (huic fámulæ tuæ) devotiónis suæ semper exémpla sectári, * et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum, ℣. Benedicámus Dómino et benedictio super omnes præsentes, ut p. 343.

CAPUT II

RITUS PROFESSIONIS SIMPLICIS

Omnia ut supra in Rituali, pag. 344, præter sequentia :

Pag. 345 in responso Novitiæ omittitur « sanctæ Matris Claræ ».

Pag. 347 in Oratione « Sancte Spíritus » omittitur « necnon Matris nostræ beátæ Claræ ».

Pag. 348 :

Formula professionis votorum simplicium.

Ego Soror N. N., inténdens hanc professiónem fácere juxta Decréta Apostólica de votis simplícibus in Ordine nostro emitténdis, ob amórem et servítium Dómini nostri et Immaculátæ Conceptiónis Ejúsdem Genitrícis, vóveo et promítto Deo, et beátæ Maríæ Vírgini, et beáto Francísco et ómnibus Sanctis, et tibi Mater, vívere sub Régula per sanctíssimum Papam Júlium secúndum nostro Ordini concéssa et confirmáta, secúndum sacros Canónes et Constitutiónes nostras a Sede Apostólica approbátas.

Et Mater Abbatissa :

« Si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam ».

Pag. 351, omittitur : ℣. Ora pro nobis, beáta Clara. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, et Oratio Fámulos tuos etc.; sed hujus loco dicitur :

℣. Ora pro nobis beáta Mater nostra Beátrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

DEus, qui in Ecclésia novum Sacrárum Vírginum Ordinem per Beatrícem fámulam tuam excitásti, † concéde propítius, ut ipsíus intercessióne * studeámus peccáti máculas devitáre ac virtútis ópera exercére. Per Dóminum.

CAPUT III

RITUS PROFESSIONIS SOLEMNIS

Omnia ut supra in Rituali, pag. 355, præter sequentia :

Pag. 356, omittitur « sanctæ Matris Claræ ».

Pag. 365. Formula professionis votorum solemnium.

Ego Soror N. N., ob amórem et servítium Dómini nostri et Immaculátæ Conceptiónis Ejúsdem Genitrícis, vóveo et promítto Deo, et beátæ Maríæ Vírgini, beáto Francísco et ómnibus Sanctis, et tibi Mater, toto témpore vitæ meæ vívere in obediéntia, sine próprio, et in castitáte, et in clausúra perpétua, sub Régula per sanctíssimum Papam Júlium secúndum nostro Ordini concéssa et confirmáta, secúndum Dispositiónes Pontifícias et Constitutiónes nostras.

Et Mater Abbatissa :

Si hæc observáveris, promítto tibi vitam ætérnam.

INDEX SYNTHETICUS

TITULUS I

De Administratione Sacramentorum

		Pag.
CAP. I.	*De Pœnitentia.*	
Art. I.	Ordo administrandi Sacramentum Pœnitentiæ . . .	1
Art. II.	Forma absolvendi ab excommunicatione extra sacramentalem confessionem	2
Art. III.	Forma absolvendi a suspensione vel ab interdicto extra sacramentalem confessionem, et dispensandi super irregularitate	4
Art. IV.	Forma absolutionis generalis pro religiosis nostris . .	5
CAP. II.	*De SS. Eucharistia.*	
Art. I.	Ordo administrandi S. Communionem	8
Art. II.	De Communione infirmorum et de Viatico . . .	11
CAP. III.	*De Extrema Unctione.*	
Art. I.	Ordo ministrandi Religioso infirmo Sacramentum Extremæ Unctionis	16
Art. II.	De visitatione et cura infirmi	21
Art. III.	Ritus benedictionis apostolicæ in articulo mortis impertiendæ	31
Art. IV.	Ordo commendationis animæ	34
Art. V.	§ I. Exsequiarum ordo	44
	§ II. In exsequiis Ministri Generalis vel Provincialis. .	59
CAP. IV.	*Ritus absolutionis ad tumulum post Missam pro defunctis absente corpore defuncti*	68

TITULUS II

Preces, Hymni et Litaniæ in variis functionibus et necessitatibus

CAP. I.	*Ordo ad faciendam et aspergendam aquam benedictam* .	74
CAP. II.	*Litaniæ SS. Nominis Jesu*	78
CAP. III.	*Litaniæ Sacratissimi Cordis Jesu*	80
CAP. IV.	*Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virginis cum aliis precibus recitari solitis*	82
CAP. V.	*Litaniæ de S. Joseph*	86
CAP. VI.	*Responsorium de B. P. N. Francisco.* Francisce quali cuspide	88

Cap. VII.	*Responsorium ae S. Antonio.* Si quæris miracula	90
Cap. VIII.	*Pro invocatione Spiritus Sancti.* Veni Creator	92
Cap. IX.	*Pro gratiarum actione.*	
	Te Deum I. (Tonus solemnis)	94
	Te Deum II. (Juxta morem Romanum)	97
	Te Deum III. (Tonus simplex)	101
Cap. X.	*Orationes diversæ*	106
Cap. XI.	*Pro benedictione cum SS. Sacramento*	115
Cap. XII.	*Preces pro solemni receptione Prælatorum*	116
Cap. XIII.	*Preces pro solemni receptione Regiæ personæ in locis suæ ditionis*	122
Cap. XIV.	*Processio in Litaniis Majoribus et Minoribus pro Nostratibus*	128
Cap. XV.	*Litaniæ, Preces et Orationes dicendæ in expositione XL Horarum in Urbe*	141
Cap. XVI.	*Processio pro gratiarum actione*	144
Cap. XVII.	*De Processionibus pro variis necessitatibus.*	
Art. I.	De Processione ad petendam pluviam	149
Art. II.	De Processione ad postulandam serenitatem	151
Art. III.	De Processione ad repellendam tempestatem	152
Art. IV.	De Processione tempore penuriæ et famis	154
Art. V.	De Processione tempore mortalitatis et pestis	156
Art. VI.	De Processione tempore belli	157
Art. VII.	De Processione in quacumque tribulatione	161
Art. VIII.	De Processione in Translatione Ss. Reliquiarum	162
Cap. XVIII.	*Professio Fidei et Juramentum antimodernisticum*	163

TITULUS III

De Ritibus Communibus Trium Ordinum

Cap. I.	*Benedictio mensæ*	168
Cap. II.	*Preces in capitulo culparum dicendæ*	181
Cap. III.	*Preces tempore disciplinæ recitandæ*	185
Cap. IV.	*Benedictio Communitatis post Quadragesimam Epiphaniæ*	187
Cap. V.	*Preces occasione exercitiorum spiritualium dicendæ*	189
Cap. VI.	*Preces pro initio et fine anni scholaris*	196
Cap. VII.	*Preces in primitiis Neo-sacerdotis.*	197
Cap. VIII.	*Consecratio quotidiana ad SS. Cor Jesu*	199
Cap. IX.	*Responsorium* Tota pulchra es *post cœnam Sabbati cantandum*	200
Cap. X.	*Annua renovatio expiationis erga Sacratissimum Cor Jesu*	202
Cap. XI.	*Benedictio liliorum in festo S. Antonii Patavini*	207
Cap. XII.	*Processio in pervigilio festi B. M. V. Angelorum ad annuntiandam indulgentiam de Portiuncula dictam*	210
Cap. XIII.	*Memoria Transitus S. P. N. Francisci*	213

CAP. XIV. *Annua renovatio consecrationis Christo Jesu ultima Octobris Dominica* 217
CAP. XV. *De erectione Stationum Viæ S. Crucis* 221
CAP. XVI. *Ordo servandus in discessu Missionariorum* . . . 233

TITULUS IV

Ritus Peculiares I Ordinis

CAP. I. *Ritus vestitionis Oblatorum I Ordinis* 240
CAP. II. *Ritus professionis Oblatorum I Ordinis* 245
CAP. III. *Ritus vestitionis in I Ordine* 249
CAP. IV. *Ritus professionis simplicis in I Ordine* 258
CAP. V. *Ritus professionis solemnis in I Ordine* 268
CAP. VI. *Ritus renovationis votorum (16 Aprilis)* 276
CAP. VII. *Ritus celebrandi Jubilæum vitæ religiosæ* 281
CAP. VIII. *Ritus recipiendi Ministrum vel Visitatorem Generalem aut Ministrum Provincialem* 291
CAP. IX. *Ordo visitationis canonicæ* 296
CAP. X. *Ritus celebrandi Capitulum Provinciale* 303
CAP. XI. *Ritus celebrandi Capitulum Generale* 318

TITULUS V

Ritus Peculiares II Ordinis

CAP. I. *Ritus vestitionis in II Ordine* 331
CAP. II. *Ritus professionis simplicis in II Ordine* 344
CAP. III. *Ritus professionis solemnis in II Ordine* 355
CAP. IV. *Ordo visitationis canonicæ in II Ordine* 373
CAP. V. *Ritus servandus in electione Abbatissæ* 377

TITULUS VI

Ritus Peculiares III Ordinis Regularis

CAP. I. *Pro monasteriis Monialium votorum solemnium cum clausura apostolica.*
Art. I. Ritus vestitionis 380
Art. II. Ritus professionis simplicis 381
Art. III. Ritus professionis solemnis 382
CAP. II. *Pro institutis votorum simplicium.*
Sectio I. Pro congregationibus Virorum 383
Sectio II. Pro congregationibus Sororum
I. Ritus vestitionis 384
II. Ritus professionis temporariæ 391
III. Ritus professionis perpetuæ 395

TITULUS VII

Ritus Peculiares III Ordinis Sæcularis

CAP. I. *Preces pro congregatione quovis mense celebranda* . . 401
CAP. II. *Ritus vestitionis in III Ordine sæculari* 404
CAP. III. *Ritus professionis in III Ordine sæculari* 409
CAP. IV. *Particularis Discretorum congregatio* 413
CAP. V. *Ritus electionis faciendæ* 415
CAP. VI. *Cæremonia visitationis* 417
CAP. VII. *Ritus erigendæ novæ congregationis* 419
CAP. VIII. *Ritus impertiendi Tertiariis papalem benedictionem* . . 423
CAP. IX. *Absolutio generalis pro Tertiariis sæcularibus* . . . 424

TITULUS VIII

De Benedictionibus

CAP. I. *Regulæ generales* 427
CAP. II. *Benedictio rerum et locorum Sacræ Liturgiæ destinatorum.*
Art. I. Ritus benedicendi et imponendi primarium lapidem pro ædificanda Ordinis ecclesia. 429
Art. II. Ritus benedicendi novam ecclesiam vel oratorium publicum 434
Art. III. Benedictio oratorii privati seu domestici . . . 439
Art. IV. Ritus reconciliandi ecclesiam violatam quæ fuerat tantummodo benedicta 439
Art. V. Ritus benedicendi novum conventum 442
Art. VI. Ritus benedicendi novum cœmeterium 450
Art. VII. Ordo reconciliandi cœmeterium violatum . . . 451
Art. VIII. Benedictio novæ campanæ quæ ad usum ecclesiæ benedictæ vel oratorii inserviat 453
Art. IX. Benedictio organi in ecclesia 456
Art. X. Benedictio sacerdotalium indumentorum . . . 457
Art. XI. Benedictio mapparum sive tobalæarum altaris . . 459
Art. XII. Benedictio pallæ et corporalis 460
Art. XIII. Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda 461
Art. XIV. Benedictio ostensorii pro SS. Sacramento exponendo . 461
Art. XV. Benedictio capsarum pro Reliquiis Sanctorum includendis 462
Art. XVI. Benedictio vasorum pro sacris oleis includendis . . 462
Art. XVII. Benedictio sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere 463
Art. XVIII. Benedictio novæ Crucis 464
Art. XIX. Benedictio fontis seu aquæ baptismalis 469

CAP. III. *Benedictio rerum devotioni privatæ destinatarum.*

Art. I. Benedictio et impositio scapularium.

1. Benedictio et impositio scapularis SS. Trinitatis . . 473
2. Benedictio et impositio scapularis nigri SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. 474
3. Benedictio et impositio scapularis rubri Passionis et Sacratissimi Cordis D. N. J. C. atque Cordis amantissimi et compatientis B. Mariæ V. Immaculatæ . 476
4. Benedictio et impositio scapularis cærulei B. Mariæ Virginis Immaculatæ 477
5. Benedictio et impositio scapularis nigri septem Dolorum B. Mariæ Virginis 478
6. Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ V. de Monte Carmelo 480
7. Formula brevior benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo 482
8. Formula brevior benedicendi et imponendi quinque scapularia 483
9. Benedictio scapularis pretiosi Sanguinis 485
10. Benedictio et impositio scapularis sacri Cordis Jesu . 486
11. Benedictio et impositio scapularis Immaculati Cordis B. Mariæ Virginis 487
12. Benedictio et impositio scapularis sacrorum Cordium Jesu et Mariæ 488
13. Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ Virginis de Mercede 489
14. Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ Virginis sub titulo Salus infirmorum 490
15. Benedictio et impositio scapularis B. Mariæ V. de Bono Consilio 492
16. Benedictio et impositio scapularis Sancti Joseph Sponsi B. Mariæ Virginis, Protectoris Ecclesiæ Universalis. 493

Art. II. Benedictiones Rosariorum et Coronarum.

1. Benedictio coronæ seu trisagii SS. Trinitatis . . . 494
2. Benedictio coronæ Domini 495
3. Benedictio coronæ pretiosissimi Sanguinis . . . 495
4. Benedictio coronæ sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virg. . 496
5. Benedictio coronæ septem Dolorum B. Mariæ Virginis. 497
6. Benedictio coronæ septem Gaudiorum B. M. V. . . 498
7. Benedictio coronæ S. Joseph 499
8. Benedictio coronæ S. Birgittæ 499

Art. III. Benedictiones rerum devotionalium.

1. Benedictio imaginis Jesu Christi Domini nostri vel B. Mariæ V. vel alius Sancti 500
2. Benedictio candelarum 501
3. Benedictio vexilli processionalis 502
4. Benedictio vestis in honorem B. M. V. vel alius Sancti. 503
5. Ritus induendi pueros, vel puellas habitu S. P. N. Francisci, vel S. Claræ, ex voto 503
6. Benedictio cinguli in honorem D. N. J. C. . . . 505
7. Benedictio cinguli in honorem B. M. V. vel alius Sancti. 505
8. Benedictio cingulorum in honorem S. Joseph. . . 506
9. Benedictio funiculorum et vittarum pretiosi Sanguinis . 507
10. Benedictio et impositio chordæ in honorem S. Francisci Assisiensis 508

11. Benedictio cinguli in honorem S. Thomæ Aquinatis ad servandam castitatem 509
12. Benedictio et impositio sacri numismatis B. Mariæ Virg. Immac., vulgo Médaille miraculeuse 509
13. Benedictio numismatum S. Benedicti 511
14. Benedictio anuli S. Joseph 513
15. Ritus benedicendi et imponendi Cruces in signum Piæ Unionis S. Antonii Patavini 513

CAP. IV. *Benedictiones personarum.*
1. Ritus benedictionis apostolicæ statis diebus super populum elargiendæ 514
2. Formula benedictionis papalis cum indulgentia plenaria 515
3. Benedictio et consecratio parvulorum in honorem S. Antonii de Padua 516
4. Benedictio peregrinorum ad loca sancta prodeuntium . 517
5. Benedictio peregrinorum post reditum 518
6. Benedictio adulti ægrotantis 520
7. Eadem benedictio pro pluribus infirmis 521
8. Benedictio mulieris prægnantis 522
9. Benedictio infantis. 524
10. Benedictio mulieris post partum 524
11. Benedictio pueri 526
12. Benedictio puerorum 527
13. Benedictio puerorum ægrotantium 528
14. Exorcismus in satanam et angelos apostaticos . . 531

CAP. V. *Benedictiones rerum et locorum usui profano destinatorum.*
1. Benedictio domorum 534
2. Benedictio loci vel domus 535
3. Benedictio domorum 536
4. Benedictio domus scholaris 538
5. Benedictio primarii lapidis ædificii 543
6. Benedictio officinæ librariæ et machinæ typographicæ . 543
7. Benedictio bibliothecæ 544
8. Benedictio archivi 545
9. Benedictio thalami 545
10. Benedictio super fruges et vineas 546
11. Benedictiones esculentorum præsertim in Pascha . . 546
12. Benedictio herbarum 549
13. Benedictio vini 551
14. Benedictio seminum 553
15. Benedictio seminum et segetum 554
16. Benedictio cerevisiæ 555
17. Benedictio uvarum 555
18. Benedictio horrei seu segetum demessarum . . . 555
19. Benedictio casei vel butyri 556
20. Benedictio laridi 556
21. Benedictio volucrum 556
22. Benedictio apum 557
23. Benedictio pecorum et armentorum 557
24. Benedictio equorum aliorumve animalium . . . 558
25. Benedictio animalium 558
26. Benedictio salis vel avenæ 560
27. Benedictio stabuli 560
28. Benedictio deprecatoria contra mures, locustas et alia animalia nociva 561

29. Benedictio contra inundationes aquarum . . . 562
30. Benedictio navis 563
31. Benedictio solemnis navis piscatoriæ 564
32. Benedictio metalli pro campana 566
33. Benedictio fornacis calcariæ 567
34. Benedictio vehiculi seu currus 568
35. Benedictio viæ ferreæ et curruum 568
36. Benedictio telegraphi 569
37. Benedictio machinæ ad excitandam lucem electricam . 571
38. Benedictio machinæ itineri aereo destinatæ . . . 572
39. Benedictio machinæ ad exstinguendum incendium . 573
40. Benedictio ignis 575
41. Benedictio pontis 575
42. Benedictio fontis 576
43. Benedictio putei 576
44. Benedictio linteaminum pro infirmis 577
45. Benedictio cujuscumque medicinæ 577
46. Benedictio ad omnia 578

APPENDIX

Cap. I. *De Baptismo*
Art. I. Ordo Baptismi parvulorum 579
Art. II. Ordo Baptismi adultorum 586
Art. III. Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum . 609
Art. IV. Ordo supplendi omissa super adultum baptizatum . . 616
Cap. II. *De Confirmatione* 637
Cap. III. *De Matrimonio*
Art. I. Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum . . . 644
Art. II. Benedictio nuptialis extra Missam danda ex apostolico indulto, quando Missa non dicitur 646
Art. III. Preces recitandæ extra Missam super conjuges ex apostolicæ Sedis indulto, quando benedictio nuptialis non permittitur 647
Cap. IV. *De consecratione altarium exsecratorum*
Art. I. Ritus seu formula brevior consecrationis altaris immobilis 649
Art. II. Ritus seu formula brevior consecrationis altaris . . 650
Cap. V. *Ordo sepeliendi parvulos* 654

APPENDIX

pro Monialibus Franciscalibus Ord. Concept. B. M. V.

Cap. I. Ritus vestitionis 661
Cap. II. Ritus professionis simplicis 663
Cap. III. Ritus professionis solemnis 664

INDEX ALPHABETICUS

A

Abbatissæ : electio 377.
Absolutio : ab excommunicatione 2 ; — ab interdicto 4 ; — a suspensione 4 ; — defuncti ad tumulum 68.
Absolutio generalis : pro Nostratibus 5 ; — privatim impertienda 7 n. 4 ; — formula brevior 7 n. 4 ; — pro III Ord. sæc. 424.
Administratio : Sacramenti Pœnitentiæ ; — SS. Eucharistiæ 8.
Adultus : benedictio adulti ægrotantis 520 ; — ordo Baptismi adultorum 586 ; — ordo supplendi omissa super adultum baptizatum 616.
Ædificium : benedictio lapidis primarii ædificii 543.
Ægrotans : adulti benedictio 520 ; — benedictio puerorum ægrotantium 528.
Agnus : benedictio in Pascha 546.
Altare : formula brevior consecrationis altaris immobilis 649 ; — ritus seu formula brevior consecrationis altaris 650.
Amici : oratio pro devotis amicis 113.
Animal : oratio pro peste animalium 110 ; — animalium benedictio 558, 559 ; — deprecatoria benedictio contra animalia nociva 561.
Annus scholaris : preces pro initio et fine 196.
Antonius S. : Resp. *Si quæris* 90 ; — benedictio liliorum in festo S. Antonii 207 ; — ritus benedicendi Cruces in signum Piæ Unionis S. Antonii 513 ; — benedictio et consecratio parvulorum in honorem S. Antonii 516.
Anulus : benedictio anuli S. Joseph 513.
Apostolica benedictio : in articulo mortis 31 ; — super populum 514.
Apes : benedictio 557.
Aqua baptismalis : benedictio 469.
Aqua benedicta : ordo ad faciendam et aspergendam 74.
Archivum : benedictio 545.
Armenta : benedictio armentorum et pecorum 557.
Articulum mortis : benedictio apostolica in articulo mortis 31.
Aspersio : aquæ benedictæ 76 n. 4.
Avena : benedictio avenæ vel salis 560.

B

Baptismus : ordo Baptismi parvulorum 579 ; — adultorum 586 ; — ordo supplendi omissa super infantem baptizatum 609 ; — super adultum baptizatum 616.
Benedictio : apostolica in articulo mortis 31.
— mensæ 168.
— papalis pro III Ordine 423.
— regulæ generales 427 ; — pro diversis rebus et occasionibus vide sub propriis nominibus.
Benedicti S. : numismatum benedictio 511 ; — formula brevior 512.
Bibliotheca : benedictio 544.
Birgittæ S. : coronæ benedictio 499.
Bruchus : benedictio deprecatoria contra bruchos 561.
Butyrum : butyri benedictio 556.

C

Campanæ : novæ, quæ ad usum ecclesiæ benedictæ vel oratorii inserviat, benedictio 453.
Candelæ : benedictio 501.
Capitulum : culparum 181.
— Generale, preces capitulares 318; — sessiones 322 n. 7 ss.
— Provinciale, preces capitulares 303; — sessiones 304 n. 2.
Capsarum : pro Reliquiis Sanctorum includendis benedictio 462.
Carcer : oratio pro constituto in carcere 113.
Cardinalis : receptio solemnis 116.
Caritas : oratio ad postulandam caritatem 112.
Caseum : casei vel butyri benedictio 556.
Cerevisia : benedictio 555.
Chordæ : in honorem S. Francisci Assisiensis benedictio 508.
Cineres : benedictio 651.
Cinguli : benedictio 505, 506; — benedictio cinguli in honorem S. Thomæ Aquinatis 509.
Cœmeterium : benedictio novi cœmeterii 450; — reconciliatio cœmeterii violati 451.
Comestibilis : cujuscumque benedictio in Pascha 548.
Commendatio : animæ 34.
Communio : administratio 8; — infirmorum 11.
Conceptio Immaculata : Resp. *Tota pulchra* 200.
Concordia : oratio pro — 108.
Confirmatio : instructio pro simplici sacerdote Sacramentum Confirmationis administrante 637.
Congregatio : oratio pro congregatione 108; — mensilis Tertiariorum sæc. 401; — particularis Discretorum III Ord. sæc. 413; — erectio novæ congr. III Ord. sæc. 419.
Conjuges : preces recitandæ extra Missam super conjuges, quando benedictio nuptialis non permittitur 647.
Consecratio : annua — Christo Regi 217; — quotidiana ad SS. Cor 199; — altaris immobilis formula brevior 649; — altaris ritus seu formula brevior 650.
Continentia : oratio ad postulandam continentiam 112.
Conventus : novi benedictio 442.
Cor SS. Jesu : Litaniæ — 80; — consecratio quotidiana 199; — annua renovatio expiationis 202; — scapularis benedictio 486.
Coronæ benedictio : S. Birgittæ 499.
— — S. Joseph 499.
— — septem Dolorum B. Mariæ V. 497.
— — formula brevior 498.
— — Domini Nostri 495.
— — septem Gaudiorum B. Mariæ V. 498.
— — sacratissimi Rosarii B. Mariæ V. 496.
— — formula brevior 497.
— — pretiosissimi Sanguinis 495.
— — seu trisagii SS. Trinitatis 494.
Corporalis : et pallæ benedictio 460.
Crux : benedictio novæ Crucis 464; benedictio solemnior 465; — Crucis in signum Piæ Unionis S. Antonii Patavini 513.
Crucis SS. et Passionis D. N. J. C. scapularis nigri benedictio 474.
Cura : infirmi 21.
Currus : seu vehiculi benedictio 568; — curruum et viæ ferreæ benedictio 568.

D

Defuncti : absolutio ad tumulum 68 ; — exsequiæ 44.
Deprecatoria : benedictio contra mures, locustas et alia animalia nociva 561.
Discessus : ordo servandus in discessu Missionariorum 233.
Disciplina : preces recitandæ 185.
Dispensatio : : ab irregularitate 4
Domini : coronæ benedictio 495.
Domus : scholaris benedictio 538 ; — domorum benedictio in Sabbato Sancto et reliquo Tempore Paschali 534 ; — extra Tempus Paschale 535 ; — in festo Epiphaniæ 536.

E

Ecclesia : benedictio 434 ; — reconciliatio ecclesiæ violatæ 439.
Electio : Abbatissæ 377 ; — Min. General. 322 n. 7 ; — Min. Prov. 306 n. 6 ; — facienda in III Ord. sæc. 415.
Electrica lux : benedictio machinæ ad excitandam lucem electricam 571.
Episcopus : receptio solemnis 116.
Equi : equorum et aliorum animalium benedictio 558.
Erectio : Viæ Crucis 221 ; — novæ congregationis III Ord. sæc. 419.
Esculenta : benedictio in Pascha 546.
Eucharistia : administratio 8 ; — benedictio cum SS. 115 ; — expositio XL Horarum 141.
Excommunicatio : absolutio ab excommunicatione 2.
Exercitia Spiritualia : preces pro exercitiis spiritualibus 189.
Exorcismus : in satanam et angelos apostaticos 531.
Expiatio : annua renovatio expiationis erga SS. Cor Jesu 202.
Expositio XL Horarum : Litaniæ et preces 141.
Exsequiæ : ordo 44 ; — Ministri Gen. vel Prov. 59.
Exsequialis Missa : quando prohibetur 44.
Extrema Unctio : 16 ; — in casu necessitatis 21 n. 16.

F

Famis : oratio tempore famis 109.
Fons : benedictio 576 ; fontis seu aquæ baptismalis benedictio 469.
Fornacis : calcariæ benedictio 567.
Franciscus S. : Resp. *Francisce quali cuspide* 88 ; — memoria Transitus 213 ; — chordæ benedictio 508.
Fructuum : novorum benedictio in Pascha 547.
Fruges : frugum et vinearum benedictio 546.
Funiculorum : et vittarum pretiosi Sanguinis benedictio 507.

G

Generalis Absolutio : vide i. v. Absolutio Generalis.
Generalis Minister : vide i. v. Minister Generalis.
Gratiarum actio : Hymnus *Te Deum* 94 ; 97 ; 101 ; oratio pro — 114.

H

Herbæ : benedictio in festo Assumptionis B. Mariæ V. 549.
Horrei : seu segetum demessarum benedictio 555.
Humilitas : oratio ad postulandam humilitatem — 112.

I

Ignis : benedictio 575.
Imaginis : Jesu Christi D. N. vel B. Mariæ V. vel alius Sancti benedictio 500.
Immaculata Conceptio : Resp. *Tota pulchra* 200.
Immaculati Cordis : B. Mariæ V. scapularis benedictio 477.
Immaculatæ : B. Mariæ V. scapularis cærulei benedictio 477; — sacri numismatis benedictio 509.
Imperator : oratio pro imperatore 107; — receptio solemnis 122.
Incendium : benedictio machinæ ad exstinguendum incendium 573.
Induendi : ritus — pueros vel puellas habitu S. P. N. Francisci, vel S. Clarae ex voto 503.
Indumentum : benedictio sacerdotalium 457; — benedictio specialis cujuslibet indumenti 459.
Infans : benedictio 524; — ordo supplendi omissa super infantem baptizatum 609.
Infirmi : Communio — 11; Communio plurium — 15 n. 20; visitatio et cura infirmi — 21; benedictio plurium — 521; — benedictio linteaminum pro infirmis 577.
Inimici : oratio pro inimicis 113.
Interdictum : absolutio ab interdicto 4.
Inundationes : benedictio contra inundationes aquarum 562.
Irregularitas : forma dispensandi super irregularitate.

J

Jejunium : benedictum, benedictio post — 187.
Joseph S. : Litaniæ 86; — oratio 87; — scapularis benedictio 493; — coronæ benedictio 499; — anuli benedictio 513.
Jubilæum : ritus celebrandi Jubilæum vitæ religiosæ 281.
Juramentum : antimodernisticum 165; — formulæ juramenti a Definitoribus emittendæ 317.

L

Lapidis : primarii pro ecclesia benedictio 429; — primari ædificii benedictio 543.
Laridum : benedictio 556.
Lauretanæ : Litaniæ — B. Mariæ V. 82.
Librariæ : officinæ benedictio 543.
Lilia : benedictio — in festo S. Antonii 207.
Linteaminum : pro infirmis benedictio 577.
Litaniæ : SS. Cordis Jesu 80; — S. Joseph 86; — B. Mariæ Virginis 82; — SS. Nominis 78; — Omnium Sanctorum pro Eccl. universali 132; — Omnium Sanctorum pro Nostratibus 128.
Locus : benedictio 535.
Locustæ : deprecatoria benedictio contra mures, locustas et alia animalia nociva 561.

M

Machinæ : typographicæ benedictio 543; benedictio mach. ad excitandam lucem electricam 571; benedictio mach. itineri æreo destinatæ 572; benedictio mach. ad exstinguendum incendium 573.
Mapparum : sive tobalæarum altaris benedictio 459.

Mariæ Virg. : Litaniæ 82;— Resp. *Tota pulchra* 200;
— — de Bono Consilio scapularis benedictio 492;
— — septem Dolorum coronæ benedictio 497; formula brevior 498; scapularis nigri benedictio 478;
— — septem Gaudiorum coronæ benedictio 498;
— — Immaculatæ scapularis cærulei benedictio 477; — numismatis sacri benedictio 509;
— — de Mercede scapularis benedictio 489;
— — de Monte Carmelo scapularis benedictio 480; formula brevior 482;
— — sub titulo Salus Infirmorum scapularis benedictio 490.
Matrimonium : ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum 644.
Medicina : cujuscumque benedictio 577.
Mensa : benedictio 168.
Metalli : pro campana benedictio, dum ære conflatur 566.
Minister Generalis : receptio 291; — exsequiæ 59; — electio 322 n. 7.
Minister Provincialis : receptio 295 n. 10; — exsequiæ 59; — electio 306 n. 6.
Missa exsequialis : quando prohibetur 44.
Missionarii : ordo in discessu Missionariorum 233.
Moniales Franciscales : appendix pro Monialibus Franciscalibus Ord. Conceptionis B. Mariæ V. 661.
Mulier : benedictio prægnantis — in periculis partus 522; — benedictio post partum 524.
Mures : deprecatoria benedictio contra — et alia animalia nociva 561.

N

Navigantes : oratio pro navigantibus 113.
Navis : benedictio 563; — piscatoriæ benedictio solemnis 564.
Necessitas : oratio pro quacumque necessitate 108.
Nominis SS. Jesu : Litaniæ 78.
Numisma : benedictio — S. Benedicti 511; — benedicendi formula brevior 512; benedictio sacri — B. Mariæ V. Imm. 509.
Nuptialis : benedictio, quando Missa non dicitur 646.

O

Oblati : vestitio — in I Ord. 240; — professio 245.
Officinæ : librariæ benedictio 543.
Oleum : benedictio in Pascha 548.
Omnis res : seu benedictio ad omnia 578.
Oratio : ad poscenda suffragia Sanctorum 106; — pro omni gradu Ecclesiæ 106; — pro Papa 107; — pro Imperatore 107; — pro Rege 107; — pro Prælatis et congregationibus eis commissis 107; — pro Congregatione et familia 108; — pro concordia 108; — contra persecutores Eccl. 108; — contra persecutores et male agentes 108; — pro quacumque necessitate 108; — pro quacumque tribulatione 109; — tempore famis 109; — tempore terræmotus 109; — ad petendam pluviam 109; — ad postulandam serenitatem 109; — ad repellendas tempestates 110; — pro peste animalium 110; — pro seipso Sacerdote 110; — pro petitione lacrimarum 110; — pro remissione peccatorum 112; — pro publice pœnitentibus 111; — pro tentatis et tribulatis 111; — ad repellendas malas cogitationes 111; — ad postulandam continentiam 111; — humilitatem 112; — patientiam 112; — caritatem 112; — pro devotis amicis 113; — pro inimicis 113; — pro constituto in carcere 113; — pro navigantibus 113; — pro salute vivorum 114; — pro vivis et defunctis 114; — pro gratiarum actione 114; — in absolutione defuncti ad tumulum 70.

Oratorium : benedictio oratorii publici 434 ; — privati seu domestici 439.
Organum : benedictio 456.
Ornamentorum : altaris in genere benedictio 463.
Ostensorii : benedictio pro SS. Sacramento exponendo 461.
Ova : benedictio in Pascha 546.

P

Pallæ : et corporalis benedictio 460.
Panis : benedictio in Pascha 547.
Papa : oratio pro Papa 107 ; — benedictio papalis cum indulgentia plenaria 515.
Parvuli : benedictio et consecratio — in honorem S. Antonii 516 ; — ordo baptismi parvulorum 579 ; — ordo sepeliendi 654.
Passionis : D. N. J. C. et SS. Crucis scapularis nigri benedictio 474.
Patientia : oratio ad postulandam patientiam 112.
Pecorum : et armentorum benedictio 557.
Peregrini : benedictio peregrinorum ad loca sancta prodeuntium 517 — benedictio post reditum 518.
Persecutores : oratio contra persecutores 108.
Pestis : oratio pro peste animalium 110.
Piscatoriæ : navis benedictio solemnis 564.
Pluvia : oratio ad petendam pluviam 109.
Pœnitentia : ordo administrandi 1.
Pons : benedictio 575.
Prælatus : oratio pro Prælatis 107 ; — receptio solemnis 116.
Primarii : lapidis pro ecclesia benedictio 429 ; — lapidis ædificii benedictio 543.
Primitiæ : preces in primitiis Neo-Sacerdotis 197.
Princeps : receptio solemnis — 123.
Processio : Rogationum 128 ; — pro gratiarum actione 144 ; — ad petendam pluviam 149 ; — ad postulandam serenitatem 151 ; — ad repellendam tempestatem 152 ; — tempore penuriæ et famis 154 ; — tempore mortalitatis et pestis 156 ; — tempore belli 157 ; — in quacumque tribulatione 161 ; — in translatione SS. Reliquiarum 162 ; — in Vigilia festi Portiunculæ 210 ; — pro Capitulo Generali 318 n. 3.
Professio fidei 163.
Professio : Oblatorum I Ord. 245 ; — simplex in I Ord. 258 ; — solemnis in I Ord. 268 ; — simplex in II Ord. 344 ; — solemnis in II Ord. 355 ; — simplex in III Ord. regulari cum votis solemnibus 381 ; — solemnis in III Ord. regulari cum votis solemnibus 382 ; — temporaria et perpetua in III Ord. regulari cum votis simplicibus virorum 383 ; — temporaria in III Ord. regulari c. votis simplic. sororum 391 ; — idem perpetua 395 ; — in III Ord. sæculari 409 ; — simplex in Ord. Conceptionis B. Mariæ V. 663 ; — solemnis in Ord. Conceptionis B. Mariæ V. 664 ; — et vestitio eodem tempore faciendæ in I Ord. 265 ; — in II Ord. 352.
Provincialis Minister : vide i. v. Minister Provincialis.
Pueri : benedictio — 526 ; — benedictio puerorum ægrotantium 528 ; — ritus induendi pueros vel puellas habitu S. P. N. Francisci vel S. Claræ ex voto 501.
Puteus : benedictio — 576.

R

Receptio : solemnis Prælatorum 116 ; — Regiæ personæ 122 ; — Ministri vel Visitatoris Gen. 291 ; — Ministri Prov. 295 n. 10 ; — Visitatoris Prov. 295 n. 11.
Reconciliatio : ecclesiæ violatæ 439 ; — cœmeterii violati 451.

Renovatio : consecrationis Christo Regi 217; — expiationis erga SS. Cor 202; — professionis (16 Aprilis) 276; — votorum temporariorum in I Ord. 266; — in II Ord. 353.
Rex : oratio pro Rege 107; — receptio solemnis 122.
Rosarii : sacratissimi B. Mariæ V. coronæ benedictio 496; — formula brevior 497.

S

Sacerdos : oratio pro seipso Sacerdote 110.
Sacerdotalium : indumentorum benedictio 457.
Sal : salis vel avenæ benedictio 560.
Sanguinis : pretiosi scapularis benedictio 485; — coronæ benedictio 495.
Scapularis benedictio : B. Mariæ V. de Bono Consilio 492;
— — sacri Cordis Jesu 486;
— — Immaculati Cordis B. Mariæ V. 487;
— — sacrorum Cordium Jesu et Mariæ 488;
— — nigri SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. 474;
— — nigri septem Dolorum B. Mariæ V. 478;
— — cærulei B. Mariæ V. Imm. 477;
— — S. Joseph 493;
— — B. Mariæ V. de Mercede 489;
— — B. Mariæ V. de Monte Carmelo 480; — brevior 482;
— — rubri Passionis et utriusque SS. Cordis 476;
— — B. Mariæ V. sub titulo Salus Infirmorum 490;
— — pretiosi Sanguinis 485;
— — SS. Trinitatis 473;
— — formula brevior pro quinque Scapularibus 483;
Scholaris annus : preces pro initio et fine — 196.
Scholaris domus : benedictio 538.
Segetum : et seminum benedictio in festo Nat. B. Mariæ V. 554; — demessarum seu horrei benedictio 555.
Semina : benedictio 553; — benedictio in festo Nat. B. Mariæ V. 554.
Sepeliendi : parvulos ordo 654.
Serenitas : oratio pro serenitate 109.
Spiritus Sanctus : invocatio : *Veni Creator* 92.
Stabulum : benedictio 560.
Supplenda : super infantem baptizatum 609; — super adultum baptizatum 616.
Suspensio : absolutio a suspensione 4.

T

Tabernaculum : benedictio tabernaculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda 461.
Telegraphum : benedictio 569.
Tempestas : oratio ad repellendas tempestates 110.
Terræmotus : oratio tempore terræmotus 109.
Tertius Ordo : congregatio mensilis 401; — benedictio papalis 423.
Thalamum : benedictio 545.
Thomæ S. Aquinatis : benedictio cinguli — 509.
Tobalæarum : sive mapparum altaris benedictio 459.
Transitus : memoria S. P. N. Francisci 213.
Tribulatio : oratio pro quacumque tribulatione 109.
Trinitas SS. : benedictio scapularis — 473; — benedictio coronæ seu trisagii 494.
Trisagium : benedictio trisagii SS. Trinitatis 494.
Typographiæ : machinæ benedictio 543.

U

Unctio : Extrema Unctio 16.
Uvœ : benedictio 555.

V

Vasculum : benedictio vasculi seu tabernaculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda 461.
Vasa : benedictio vasorum pro sacris oleis includendis 462; — benedictio sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere 463.
Vehiculum : benedictio vehiculi seu currus 568.
Vermes : benedictio deprecatoria contra 561.
Vestis : benedictio 503.
Vestitio : Oblatorum I Ord. 240; — in I Ord. 249; — in II Ord. 331; — in III Ord. regulari cum votis solemnib. 380; — in III Ord. regulari cum votis simpl. Virorum 383; — idem Sororum 384; — in III Ord. sæculari 404; — in Ord. Conceptionis B. Mariæ V. 661; — et professio eodem tempore faciendæ in I Ord. 265; — in II Ord. 352.
Vexillum : benedictio processionalis vexilli 502.
Via Crucis : erectio 221; — documenta 227.
Via ferrea : benedictio viæ ferreæ et curruum 568.
Viaticum : 11.
Vinea : benedictio vineæ et frugum 546.
Vinum : benedictio 652; — benedictio in festo S. Joannis Apostoli et Evangelistæ 551, 552.
Violatum : reconciliatio ecclesiæ violatæ 439; — reconciliatio cœmeterii violati 451.
Visitatio : canonica in I Ord. 296; — in II Ord. 373; — in III Ord. sæc. 417. — infirmi 21.
Visitator : Generalis receptio 291; — Provincialis receptio 295 n. 11.
Vittæ : benedictio vittarum et funiculorum pretiosi Sanguinis 507.
Volucres : benedictio 556.

INDEX ALPHABETICUS

Antiphonarum, Hymnorum, Psalmorum et Responsoriorum

Antiphonæ

4 Asperges me 444
7 Asperges me 434

3 Benedic Domine 437
7 Benedicite Dominum 660

8 Confirma hoc 641
6 Congregavit nos 449

1 Dabit illi 218
4 Dirigatur oratio 455

8 Ecce fidelis 292
8 Ecce mitto 122
1 Ecce quam bonum 260
2 Ego sum 56
1 Exsultabunt 47
7 Exsurgat Deus 441
2 Exsurge Domine 129

6 Hæc } accipiet 656
Hic }

7 Incensum istud 447
7 Induit me Dominus 349
7 In paradisum 54
7 In viam pacis 236

4 Juvenes et virgines 658

4 Mane surgens 431

6 O quam metuendus 432
6 O Sanctissima 213
6 O Stupor 374

2 Parce Domine 189
7 Posuit Christus 349
4 Prudentes Virgines 355

1 Sacerdos et Pontifex 117
2 Salve sancte Pater 214
2 Sancta Maria 318
8 Signum salutis 429
2 Sit nomen Domini 655
8 Suavis Dominus 192
3 Suscepit 204

8 Veni Sponsa 336
8 Venite exsultemus 285
8 Vos estis cives 119

Hymni

Ave maris stella 235
Maria cui nil 211
Proles de cælo 210
Stabat Mater 225
Tantum ergo 115
Veni Creator 92
Vexilla Regis 224

Psalmi

119 Ad Dominum cum tribularer 437
122 Ad te levavi 181
28 Afferte Domino 587

127 Beati omnes 519, 646
102 Benedic anima... et omnia 192
103 Benedic anima... Domine Deus 569

95 Cantate Domino... cantate Domino 145
149 Cantate Domino... laus ejus 147
110 Confitebor tibi, Domine . . 419
15 Conserva me 255
115 Credidi 277

129 De profundis 45
69 Deus in adjutorium . . 137, 454
53 Deus in nomine tuo 453
66 Deus misereatur . 151, 181, 523
45 Deus noster refugium . . . 157
78 Deus venerunt gentes . . . 159
8 Domine, Dominus noster 564, 586
6 Domine, ne in furore . . . 23
23 Domini est terra . . . 525, 655
22 Dominus regit me 154
96 Dominus regnavit 571

132 Ecce quam bonum 260
19 Exaudiat te 26
80 Exsultate Deo 145

86 Fundamenta ejus 433

85 Inclina, Domine, aurem . . 27

65 Jubilate Deo... date gloriam 144
99 Jubilate Deo... servite Domino 286

121 Lætatus sum 337
147 Lauda Jerusalem 152
148 Laudate Dominum de cælis 146, 282, 657
150 Laudate Dominum in sanctis 147, 456

116 Laudate Dominum omnes gentes. 406
146 Laudate Dominum quoniam bonus 149
112 Laudate pueri. . . . 261, 654
120 Levavi oculos 438
131 Memento, Domine, David . 319
56 Misere mei..., quoniam in te confidit 453
50 Miserere mei, Deus, secundum 46, 190
126 Nisi Dominus. 432
83 Quam dilecta 368
41 Quemadmodum desiderat . 587
90 Qui habitat. 29
64 Te decet hymnus 549
141 Voce mea ad Dominum . . 213

Cantica

Benedicite omnia opera 658
Benedictus II 55
— VIIa 235
— VIc. 375
Magnificat 536
— If 219
— IIIa² 205
— V 239

Responsoria

8 Domine quando veneris . . . 63
8 Ecce sacerdos 117
8 Elegit eum Dominus 122
4 Fidelis namque 118
7 Francisce quali cuspide . . . 88
2 Ista est speciosa 124
1 Libera me 50
6 Ne recorderis 65
1 Posui adjutorium 123
4 Qui Lazarum 299
5 Regnum mundi 366
1 Si quæris 90
4 Subvenite 47
1 Tota pulchra 200
7 Unam petii 338
2 Veni electa 344

Varia

Litaniæ Omnium Sanctorum . . 129
Sanctissimæ Trinitati 325
Suscipe me 272, 365
Te Deum I (solemnis) 94
— II (solemnis, tonus Romanus) 97
— III (simplex) 101

Imprimé par la Société S. Jean l'Évangéliste, Desclée & Cie, Tournai (Belgique). — 5367